2

COMMENTARII IN QVATVOR PRIORES

Dauidis Regis, & Prophetæ celeberrimi Pſalmos. Vna cum Poëtica Paraphraſi in fine cuiuſque Pſalmi.

A DON IOANNE TREMINIO Ilonenſi, Sanctæ Theologiæ Doctore, Scholaſtico, & Canonico in Cathedrali Eccleſia Orioleñſi.

AD CLARISSIMOS DOMINOS Præpoſitum, Canonicos, & Capitulum dictæ Sanctæ Eccleſiæ.



CVM LICENTIA ORDINARII.

ORIOLÆ, Apud Ludouicum Beroſsium.
Anno Dñi M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LICENTIA.

NOS Frater Don Andræas Balaguer, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Orioleñ. & de Conſilio Regiæ Maieſtatis, &c. Quoniam hi Commentarij in quatuor priores Dauidis Regis, & Prophetæ Pſalmos, vna cum poëtica Paraphraſi, in fine cuiuſque Pſalmi, compoſiti à Doctore Don Ioanne Treminio Scholaſtico, & Canonico noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Orioleñ. ex commiſsione noſtra examinati, & approbati fuerunt, à viris valdè eruditis, Doctoribus, Canonicisque dictæ noſtræ Eccleſiæ, vt ex eorum atteſtationibus conſtat. Tenore præſentium, licentiam concedimus, & facultatem, vt in hac noſtra Diœceſi, poſsint typis excudi, & lucem aſpicere. Dat. Oriolæ in noſtro Palatio Epiſcopali, die 29. mẽſis Maij, Anno à Natiuitate Domini M.DC.XXIII.

Frater Andræas Balaguer
Epiſcopus Orioleñ.

De mandato dicti Domini mei Epiſcopi.

Ioannes Baptiſta Marco Secret.

NON Poſſum non gratulari auguſtiſsimæ Eccleſiæ Oriolanæ (quã verè doctrinæ, ac pietatis ſcholam appellauerim) quod tantum ſit nacta Alumnũ, Doctorẽ, Canonicum, & Scholaſticum; nimirum Dõ Ioannẽ Treminiũ Alonẽſem, Philologũ, Philoſophũ, ac Theoſophũ prçſtantiſsimum. Teſtatã hanc veritatẽ probabunt ipſius Commẽtarij eruditiſsimi in quatuor priores Dauidis Regis Pſalmos, vna cum Paraphraſi poëtica in fine Pſalmi. Quos cum libentiſsime, & ſtudioſiſsime, legiſſem, impolitum, aut incultum reperi nihil. Nec mirum ſeruat enim in eloquendo, leporem; in commentando, acumẽ; in refutando, modeſtiã; in ſeligẽdo, grauitatem, ac demum in ſcrutandis Sanctorum Patrum ſententijs miram diligentiam, ac fidem. Quapropter è re chriſtiana futurum iudico, vt hi Commentarij lucem adſpiciant iucundiſsimã: tum, vt Sacrorum eloquiorum ſtudioſis ſolatio ſint, ac emolumento: tum, vt huius clariſsimi viri memoriã nulla vmquam deleat, aut obſcuret obliuio. Oriolæ, die 13. Ianuarij. 1623.

Doctor Philipus Coruinus Canonicus.

COMMENTARIA grauiſsimi, & doctiſsimi viri Domini D. Ioannis Treminio Canonici, & Scholaſtici Cathedralis Oriol. iuſſu admodum illuſtris, & Reuerendiſ. D. D. Fr. Andrææ Balaguer Epiſcopi vigilantiſsimi, &c. in quatuor priores Pſalmos vna cũ Paraphraſi poëtica attentè legi; quæ non ſolum commendã da ſunt, quia verum Prophetæ ſenſum referant, ex originali erutum, & Sanctorũ Patrũ ſententijs illuſtratũ, verumetiam quod ad varia Sacræ Scripturæ loca intelligẽ da, & ad pietatẽ promouendã omnib. concionatorib. plurimũ referãt. Quod atteſtor. Oriolæ 30 Ianuarij. 1623.

D. Ioan. Garcia Canonic. Magiſtralis.

DON

Digitized by Google

DON MARCI ANTONII PALAV S. T. Doctoris Præpoſiti, & Canonici in Cathedrali Eccleſia Orioleuſi.

In laudem Auctoris, Decaſtichon.

GESSIADES, plenus diuino Numine, Vates;
Concinuit pulſans Carmina ſacra lyram.
In quibus Alma Fides, & Sacramenta latebant
In Teſtamento conſtituenda Nouo.
Aſt ea TREMINIVS (fauſto quem ſydere Muſæ
Inter Phœbæos erudiere choros)
Tam docto in lucem ſermone, atque ordine prodit;
Vt claro fiant lucidiora die.
Tali igitur nato iuſtè ſe iactet ALONA,
Cuius poſt funus viuere fama queat.

PHILIPPI CORBI S. T. DOCTORIS & in Cathedrali Eccleſia Orioleuſi Canonici Magiſtralis, in laudem Auctoris.

EPIGRAMMA.

CARMINA dia Dauid cecinit, docuitq; piorum
Mentes fatidica dogmata rara fide.
Sæpius ob tantum facinus Rex inclytus, ore
Diuino, Vates concelebratus ouat.
Quo te, Tremini, compellem nomine? Quave
Voce tuum ingenium ſæcula noſtra canant?
Eloquio quæcumque tuo ſint abdita pandis
Clarius, & conſtat ſenſus vterque ſophus
Falſa fugas abſurda negas: paradoxa refutas
Nubila colluſtras: certa ſequenda notas
Macte animo, ſtudijſque ſacris inſiſte: licet ſit
In rebus magnis vel voluiſſe ſatis.

¶ FERDINANDI DE LA GASCA S. Theologiæ Licenciati, & in Cathedrali Eccleſia Oriolenſi Capellani Regij.

AD LECTOREM.

¶ Carmen Aſclepiadæum cum Glyconio.

LEctor, TREMINIVS, quæ tibi ſerius
Quam velles, perhibet ſcripta ſalubria,
Intentis cupide ſenſibus arripe,
Quæſo te, ne ea reſpuas.
Hic porro inuenies myſtica, quæ aureis
Vates carminibus concinuit bona
Diuino aſsiduè Numine concitus
Perdulci celebris lyra.
Nam primo cecinit quod ſoboles Dei
CHRISTVS ſaluificis victus amoribus,
(Et ſi eſt corde Patris ſemper in intimo)
Ex ſummo aduenieus Polo.
Cum in caſtis MARIÆ viſceribus ſacræ
Humanis voluit ſe induere artubus
Non eſt virginitas tacta puerperæ
Immo illuſtrior extitit.
Vt clarus radijs ſol penetrat ſuis
Non damno afficiens oſtia vitrea
Chriſtus iuſtitiæ ſol fuit ortus haud
Lædens virgineum decus.

Vitæ

Digitized by Google

IN LAVDEM AVCTORIS.

Vitæ corporeæ luſtra peregerat
Iam ſex, percupidus crimina tollere
Humani generis, ſanguine proprio
Vt Patri faceret ſatis.
Clauis vitifera fixus in arbore,
Factus pro omnibus, & victima Gentibus,
Et cæli reſerans oſtia, Dæmonis
Nos tetri vnguibus eruit.
Mortem poſt obitam Tartareos ſinus
Fractis ingrediens vectibus æreis
Manes carceribus ſoluit ab inferis.
Et cœlo aſſeruit pios.
Verum vix triduo præterito, bonus
Paſtor, qui pro ouibus mortuus eſt ſuis,
Surrexit, ſpolijs innumeris ouans.
In tactis tumuli ſeris.
Cuncta hæc Pſalmographus montibus in Sion
Diuino Cytharæ concinit ſono;
ECHO ceu reſonans Treminius modo.
Eius vocibus accinit.
Tu lector placidis auribus accipe
Auctor quæ ingenij munera nunc ſui,
Offert pollicitus plura quod offeret.
Virtus ſi fuerit comes.

¶ FINIS.

Digitized by Google

EPIGRAMMA IN LAVDEM diuini operis, quod Doctor Don Ioannes Treminio Scholaſticus, & Canonicus Eccleſiæ Orioleſis in lucem edere properat, Franciſci Leonis Ludi Magiſtri Orioleſis.

IVDICIO Paridis victrix vt mater amorum
Euaſit: noſtro ſic quoque victor eris.
Pierides quamuis me non fecere poetam;
Nec faueat votis docta Minerua meis!
Attamen vt, quidnam de libro ſentio, dicam,
Protinus & iuſsis obſequar ipſe tuis.
Quantumuis notum, quidnam anſeris inter olores
Hic ſtrepitus valeat, barbara lingua ſonet.
Admiror, ſtupeo, cunctor, vox faucibus hæret,
Cum tua ſcripta libens perlegis hercle mihi.
Eſt facile, actutum nobis mox reddere cauſas,
Difficile eſt vero ſpondera certa ſequi,
Arridet primum, ſenſim quo ſingula dicam.
Copia verborum terſior illa quidem.
Delectat deinceps multum concordia rerum,
Quæ certé cunctis fulgurat, atque tonat.
Sanctorum gemmæ recreant, vah, pondere miro;
Omnibus haud dubie ſingula quæque placent.

Per

IN LAVDEM AVCTORIS.

Per doctos mollit ſic lactea vena poetas:
Vt iurent tuto, dulcius eſſe nihil.
Pſalmorum nexum libras an, atque Prophetæ?
Quidlibet hic certè conſonat appoſite.
Nec mirum, vates vati cum congruat apte,
Qui fuerit Chriſti vera figura, vides?
Quid verbis opus eſt, aut cur immoror iſtis?
Cuncta tuo quadrant clarius ingenio.
Quo circa incumbas, oro te, pectore toto,
His ſtudijs, ſane te ſuper adra vehent
Sic patriam charam belle illuſtrabis Alonam,
Et clarum facies nomen in orbe tuum.

DON

EPIGRAMMA IN LAVDEM diuini operis, quod Doctor Don Ioannes Treminio Scholaſticus, & Canonicus Eccleſiæ Orioleuſis in lucem edere properat, Franciſci Leonis Ludi Magiſtri Orioleuſis.

IVDICIO Paridis victrix vt mater amorum
Euaſit: noſtro ſic quoque victor eris.
Pierides quamuis me non fecere poetam;
Nec faueat votis docta Minerua meis!
Attamen vt, quid nam de libro ſentio, dicam,
Protinus & iuſsis obſequar ipſe tuis.
Quantumuis notum, quidnam anſeris inter olores
Hic ſtrepitus valeat, barbara lingua ſonet.
Admiror, ſtupeo, cunctor, vox faucibus hæret,
Cum tua ſcripta libens perlegis hercle mihi.
Eſt facile, actutum nobis mox reddere cauſas,
Difficile eſt vero, pondera certa ſequi,
Arridet primum, ſenſim quo ſingula dicam,
Copia verborum terſior illa quidem.
Delectat deinceps multum concordia rerum,
Quæ certé cunctis fulgurat, atque tonat.
Sanctorum gemmæ recreant, vah, pondere miro;
Omnibus haud dubie ſingula quæque placent.

Per

IN LAVDEM AVCTORIS.

Per doctos mollit ſic lactea vena poetas:
Vt iurent tuto, dulcius eſſe nihil.
Pſalmorum nexum libras an, atque Prophetæ?
Quidlibet hic certè conſonat appoſite.
Nec mirum, vates vati cum congruat apte,
Qui fuerit Chriſti vera figura, vides?
Quid verbis opus eſt, aut cur immoror iſtis?
Cuncta tuo quadrant clarius ingenio.
Quo circa incumbas, oro te, pectore toto,
His ſtudijs, ſane te ſuper adrà vehent
Sic patriam charam belle illuſtrabis Alonam,
Et clarum facies nomen in orbe tuum.

DON

¶ *Don Alphonſi Yañez à Parladorio, Rhetoricæ, & Poeticæ artis profeſſoris.*

¶ IN LAVDEM AVCTORIS, ET EIVS in his Commentarijs inſtitutum.

EPIGRAMMA.

O, Æui noſtri decus, ò lux inclyta ALONÆ,
O, Parnaſsæi gloria magna Chori!
Quis non te ſummis exornet laudibus vltro?
Quis non extollat nomen ad aſtra tuum?
Sed ſatis, altiloquæ quis laudet munera linguæ?
Quis queat ingenij dicere dona tui?
IONÆ mira refers, & Proſa, & carmine geſta,
Et referas ſenſus, qui latuere, ſacros.
Poſtea DAVIDIS diuina Poemata Regis,
Exponis, cantas, ceu moribundus Olor,
Ac non immerito Vatem cõnectis vtrumque,
Namq; eadem excellens ſors vtriuſq; fuit,
Exprimit ille Deũ, factis; hic, verſibus almis,
CETVM, pro inſigni, ille; hic, ſacra NABLA, gerit.
Ille, reſurgentis ſignat miracula CHRISTI,
Ab Ceti viuens dum ſtomacho euomitur
Hic canit, vt CHRISTVS devicta morte triumphans,
Prodijt ex ORCO Tartareiſque locis
Tu vero amborum ſic dicta, & facta recludis,
Egregia, vt Vates iunxeris arte duos.

CLARIS-

CLARISSIMIS,

ATQVE PRÆSTANTISSIMIS Dominis, Decano, Canonicis, Capituloque Sanctę Eccleſiæ ORIOLENSIS, Don Ioãnes Treminius Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus, & Scholaſticus eiuſdem Eccleſiæ, diuturnam vitam, Salutem plurimam, proſperitatem maximam, dicit Optat, Precatur.

NE Ionas meus (Canonici Præclariſsimi) tam ſolus atque inops in publicum exiret, decreui, ipſi tamquã itineris, & legationis ſuæ comitem, & adiutorem, adhibere Commentarium hunc in quatuor priores Dauidis Pſalmos, quem olim in hac Sancta Eccleſia Orioleñ. cum Sacram Scripturam interpretarer, auditoribus meis obnixe poſtulantibus, dictaueram. In his enim Pſalmis, altiſsima atque ineffabilia Chriſti Seruatoris noſtri myſteria continentur, ac potiſsimum ſuæ Incarnationis, Paſsionis, mortis, ſepelitionis, deſcenſus ad inferos, Reſurrectionis à mortuis, gentium vocationis, & Eccleſiæ propagationis, quorum omnium Ionas, expreſſam præ ſe imaginem tulit. Et cum huic opuſculo quærendus eſſet aliquis Mœcenas, ac Patronus illuſtris ſub cuius numine & auſpicio poſſet ſe tuto in viam dare, non valde mihi laboran-

laborandum fuit: ſtatim enim vos, mihi occurriſtis, quibus, quæcumque Sacrorum Hymnorum elucidatio iure optimo debetur. Nam cui potius dicarem hanc meã in priores Regij Vatis Pſalmos ennarrationem, quã vobis, qui in Dei cultu ſummopere amplificando, Eccleſiaſticis, officijs ſolemniter celebrandis, Dauidicis Pſalmis quotidie ad horas ſeptem Canonicas mirabili concentu, deuotè, attentèq; decantandis, egregiam in hac Cathedrali Eccleſia operam impenditis? Nota res eſt, & in ore ferè omnium verſatur eximia veſtra nobilitas, eruditio, ſapientia, ſanctitas, & ſingularis in Dei honorem, & proximorum vtilitatem, ſedulitas. Nec mihi eſt animus hoc loco, virtutum veſtrarum laudes, & eclogia perſequi, cum ad Epiſtolæ huius breuitatem, & linguæ meę ruditatem, atque teſtimonium domeſticum, quale meum eſt, minime ſpectare videantur. Relinquo ea copioſis libris, externis teſtibus, eloquentiſsimis viris. Ego vero tantummodo vos precor, vt hoc Collegæ veſtri, ſeu potius humilis famuli, munuſculũ, grato animo ſuſcipiatis, tamquam pignus, & ſi exiguum, non exigui erga vos amoris mei. Habeatiſque opuſculum hoc tamquam ſpecimen, & prægustamen quoddam meorũ in alios Pſalmos Commentariorum, quod ſi hi vobis arriſerint, enitar vt aliquando, Deo beneiuuante, lucẽ aſpiciant. Valete Domini mei colẽdiſsimi, & me apud Deum veſtris precibus, & ſacrificijs adiuuate.

AD LECTOREM.

QVAMQVAM in dedicatoria Epiſtola, amice lector, breuiſsimè cauſam indicauerim, cur meis ſuper Ionam Cōmentarijs addere, & quaſi annectere voluerim hos alios in quatuor tantum priores Dauidis Pſalmos: Tu modo paulò explicatius conſilij mei rationem accipe. In Iona ſiquidem præcipuè enituerunt hæc altiſsima Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri myſteria videlicet: Incarnatio, Paſsio, deſcenſio ad inferos, à mortuis reſurrectio, legis veteris abrogatio, Gentilium ad Euangelium vocatio, Eccleſię Catholicæ propagatio, &c. Quæ omnia mirificè, & ſparſim in omnibus Regij Prophetæ vaticinijs prædicuntur. Sed in quatuor prioribus Pſalmis aptius ad noſtrum inſtitutum, continentur. Nam In carnationis myſterium habetur in tribus prioribus primi Pſalmi verſibus: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, &c.* In quibus iuxta grauiſsimorum Patrum expoſitionem agitur egregiè de Chriſto, qui (vt ſuo loco videbimus) vir per anthonomaſiā appellatur; ipſe enim ſolus eſt, qui præ omnibus hominibus: *Non abijt in concilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, &c.* Cui præſtantiſsimè competit metaphora arboris pulcherrimæ fructuoſiſsimæ, perpetuò virentis, iuxta aquarū fluēta conſitæ, ſuo tempore vberrimos fructus proferētis. Chriſtus enim, (qui ſe arbori comparauit, dicens de ſeipſo: *Si in viridi ligno hæc facta ſunt, in arido quid fiet.*) Luc. 23. 31.
Ratione humanitatis aſſumptæ plantatus dicitur in ſacratiſsimo ſolo virginalis vteri: Iuxta decurſus aquarū, omnium gratiarum, & diuinorum chariſmatum, quorū pleni-

plenitudinem habuit tamquã homo. Vt latius in Allegoria explicabimus. Tum etiam hoc idem myſterium expreſsè prædicitur in 2.Pſalm. Verſu 7. *Dominus dixit ad me filius meus es tu:ego hodie genui te*. Quæ verba de temporali Chriſti generatione, communiter à Sanctis Doctoribus explicantur. Paſsio Chriſti aperte prædicitur in primis ſecundi Pſalmi verſibus: *Quare fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ,&c.* Quo nihil potuit dici luculentius, ad immane odium Iudæorum, & cæterorum hoſtium contra Chriſtum coniurantium,ſignificandum. Mors, deſcenſus ad inferos,& Reſurrectio innuuntur apertiſsimè in 3.Pſalm. Verſu 6. *Ego dormivi,& ſoporatus ſum:& exurrexi,quia Dominus ſuſcepit me.* Vbi per dormitionẽ,mors Chriſti intelligitur. Per ſoporẽ,mora illa triduana, quã & anima eius beatiſsima in inferno, & corpus Sãctiſsimum in ſepulchro peregerunt. Per reſurrectionẽ,à mortuis ſuſcitatio, per quam glorioſiſsimè deuicta morte, æternitatis nobis aditum reſerauit. Legis ſcriptæ abrogatio prædicitur Pſalmo.2. Verſ. 2. *Dirumpamus vincula eorum:& proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Quem etiã Patres pleriq; intelligunt de iugo & vinculis grauiſsimis iudicialium, & cæremonialium præceptorũ dictæ legis. Quod ſane iugũ à ceruicibus noſtris,virtute Paſſionis Chriſti excuſſum fuit. Gentilium vocatio Pſalmo eodem verſu 8 & ſeqq. *Poſtula à me,& dabo tibi gẽtes:hæreditatem tuã,& poſſeſsionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea,&c.* Eccleſiæ dilatatio,& multiplicatio,non ſolum prædictis verſibus, ſed etiam verſu 8.quarti Pſalmi: *A fructu frumenti,vini,& olei ſui,multiplicati ſunt.* Vaticinium eſt de multiplicatione fideliũ facta virtute Sacramentorũ Nouæ Legis, & potiſsimũ ſacratiſsimæ Euchariſtiæ. De quibus ſuis locis fuſius à

nobis

Digitized by Google

nobis agitur. Quapropter inſtitutum noſtrum fuit his quatuor Pſalmorum Commentarijs annuere, & veluti correſpondere quatuor prioribus Ionæ Prophetiæ capitibus, myſterijſque in ipſo contentis. Placuit etiam in fine cuiuſcumque Pſalmi poëticam Latinis carminibus Paraphraſim adijcere. Tum quia Pſalmi omnes à Dauide Rege, poëtico ſtylo, & arte fuerunt cõpoſiti. Tũ quia à multis doctiſsimis, grauiſsimiſque viris fuit factitatum. Ars enim Poëtica præter leporem, ac venuſtatem plurimum habet ponderis ad animum permulcendum, & ad pietatem incitandum. Quamobrem ſummopere culta fuit, non ſolum ab antiquiſsimis Gentilium Philoſophis, ſed etiam ab omnibus ferè ſacrorum librorum ſcriptoribus, & à multis ſanctiſsimis eruditiſſimiſque Eccleſiæ Patribus. Vnde non eſt quod mihi vitio vertatur: quod & Ionæ hiſtoriam, & Pſalmorum interpretationẽ etiam carminibus explicauerim. Vale.

Errata

Errata ſic corrige.

PAGINA 7. lin. 11. quod octaplis conſtat Alphabetis.lege,quod viginti duobus cōſtat octonarijs iuxta numerum Hebraici Alphabeti.

Pag. 36. lin. 6. quod Deum.lege,quo Deum.

pag. 37. lin. 16. excertij. lege,exercitij.

Pag. 138. lin. 21. poſterior.lege,poſteriorem.

Pag. 10. lin. 32. Hieronymi.lege,Hieronymus.

Pag. 139. lin. 29. generationi intellige.lege,generatione intelligi.

Pag. 92. lin. 12. dæmon peccatū.lege, demum peccatū.

Pag. 107. lin. 28. quæ enim.lege,qui enim.

Pag. 146. lin. 31. donrae.lege,donare.

Pag. 169. lin. 18. PANIEANAPH . lege, PENIEANAPH.

pag. 182. lin. vltima conuiuit.lege,conciuit.

Pag. 184. lin. 24. conqueri.lege,conqueritur.

Pag. 283. lin. 3. Hebrom.lege,Hebron.

Pag. 283. lin. 13. iuſtitiæ.lege,iuſtitia.

Pag. 288. lin. vltima perſpicicuis.lege,perſpicuis.

Pag. 318. lin. 13. nihil.lege,nil.

Pag. 318. lin. 16. ſuparna.lege,ſuperna.

Pag. 318. lin. 22. ſpergit.lege,ſpargit.

¶ COM-

Digitized by Google

COMMENTARII

IN QVATVOR PRIORES DAVIDIS Pſalmos, cum Paraphraſi Poëtica in fine cuiuſque Pſalmi.

A DOCTORE DON IOANNE TREMINIO Canonico, & Scholaſtico in Eccleſia Cathedrali ORIOLENSI.

PROOEMIVM IN TOTVM LIBRVM PSALMORVM.

DE LIBRI TITVLO, ET INSCRIPTIONE.

CAP. I.

HIC liber, qui ab omnibus, tàm in veteri, quã in noua lege, in diuinarum Scripturarum Canonem, proculdubio receptus, & vt Sacroſanctus ſemper habitus fuit; Hebraicè inſcribitur, SEPHER THEHILLIM, ideſt; liber Hymnorum, ſeu laudationũ, SEPHER enim, apud Hebræos, idem eſt, quod liber, ſeu narratio. Deductum nomen à verbo SAPHAR, quod ſignificat recẽſere numerare, narrare. THEHILLIM, à verbo HALAL, quod ſignificat laudare: vnde, nomen THEHILLAH; idẽ quod laus laudatio & in plurali, THEHILLOTH; ſiue THEHILLIM, laudationes, ſiue Hymni. In his enim Pſalmis, diuinæ præſertim laudes decãtantur, & gratiæ, pro acceptis beneficijs Deo aguntur. Græcè autem Pſalterium dicitur. Quæ appellatio, cõmuniter apud Latinos inualuit, quamuis impropriè. Pſalterium

namq́; ſignificat inſtrumentum muſicum, quod ab Hebræis NEBEL vocatur, ad cuius ſonum Pſalmi cani ſolebant. Sed quia hic liber, Pſalmos Dauidicos, in Templo decantari conſuetos, complectitur, Pſalterium appellatur. Tum etiam, & quidem aptius, & cõuenientius, liber Pſalmorum dicitur, vt Actuũ. 1. 20. eum ap-
Act. 1. pellauit D. Petrus allegans in Iudam proditorem vaticinium Dauidis deſumptum ex Pſal. 68. *Scriptum*, inquit, *eſt enim in libro Pſalmorum fiat commoratio eius deſerta, &c.* Nam Pſalmus vox Græca eſt, Hebraicè MIZMOR, hoc eſt, cantio ſiue cãtus, á verbo, ZAMAR, quod in coniugatione PIHEL, ſignificat canere, ſeu cantare, perſonante aliquo muſico inſtrumento. Hoc ſiquidem diſcrimẽ eſt apud Hebræos, inter SVR, vel SAR, quod eſt cãtare; vnde SIR, canticum vel cantilena; & inter ZAMAR, quod etiam eſt canere, ſiue pſallere, vnde, MIZMOR, Pſalmus: Quod, SIR, eſt canticum, ſola voce decantatum, & ſiue metrica, ſiue ſoluta oratione compoſitum; MIZMOR autem, ſiue Pſalmus, cantus eſt poetica arte concinnatus, & vna cũ inſtrumento muſico, corporea voce pronunciatus. Eſt & aliud diſcrimen, quod canticum, non ſolum in diuinis rebus celebrandis, ſed in profanis etiam adhiberi ſolet; Pſalmus vero tantũmodo ad diuinas laudes vſurpari conſueuit. Quare Pſalmi non ad quemcumq́; cantum, aut harmonicũ ſonum referuntur, ſed ad eum, quo vel diuinæ laudes, vel ad Deum preces, vel morum inſtructio, vel ad virtutem exhortationes, continentur.

¶ Hinc duo nobis fiunt perſpicua; Primum, quàm fuerit Regius Vates de diuino cultu benèmeritus, cum fuerit primus ac potiſsimus auctor, & inuentor componendorum Pſalmorum, & in Templo Domini publicè, & ſolemniter concinendorum. Vt 2. Reg. cap. 23. narratur;

Digitized by Google

ratur; Ibi enim *Egregius pſaltes Iſrael* appellatur, quod ipſe primus fuerit, qui Pſalmos egregiè condiderit, & non ſolum ad muſica inſtruméta, in domo Domini canendos tradiderit; ſed ipſemet ore ſuo, aliquot decantauerit, vt cõſtat aliquibus Sacrę Scripturę locis. Deinde, 1. Paralipo. cap. 23. 5. ſtudens Dauid diuinum cultum amplificare, dicitur conſtituiſſe *quatuor millia Ianitores, & totidem pſaltes canẽtes Domino in organis quæ fecerat ad canendum, &c.* Secundũ patet ex dictis, Quid interſit inter Pſalmum cantici, & canticum Pſalmi, quæ ſæpè in Pſalmorum titulis, præpoſita inueniuntur; eſt ſiquidem, vt diximus, Pſalmus, quidam diuinus concentus inſtrumenti muſici, vna cum voce coniunctus; Canticum eſt ſolius vocis modulantis abſque organo. Pſalmus Cantici ergo eſt, cum organum melodiam inchoat, & deinceps ſubſequitur humana vox: canticum Pſalmi eſt è conuerſo, cum voce præcinente, inſtrumentum ipſum æmulatur. Vide Hilarium, & Chryſoſtomum in Prologo ſuper Pſalmos.

2. Regum 23.

1. Parali. 23.

Diſcrimẽ inter Pſalmum cantici & cãticũ Pſalmi.

DE IDIOMATE ET STYLO LIBRI PSALMORVM.

CAP. II.

PORRO Pſalmos omnes Dauidicos, & in canonem receptos, non ſolum Hebraica lingua, ſed etiam iuxta artem poëticam fuiſſe cõfectos, apud omnes tàm Hebræos, quàm Eccleſiæ Patres, & Doctores, eſt incõteſſo. Carmina ſi quidẽ ſuaptè natura ſolẽt eſſe aptiora, & efficatiora ad animum permouendum, & alliciendum, præterquamquod plus habent leporis & venuſtatis, & memoriæ magis adhærẽt, quam ſoluta oratio. Quare diuino conſilio factum eſt,

Digitized by Google

teſte D. Baſilio, vt Pſalmi, poëtico ſtylo, & phraſi conſcriberentur: Nam quãdo Spiritus Sanctus (ait Baſilius) nos vidit ægrè perſuaderi, ad complexum virtutis, ac proinde ad ineũdam vitæ rectitudinem per hoc lenteſcere, quod toti ad ſectandam voluptatem propenderemus quid fecit? Nimirùm ſcripturæ ſuæ dogmatis, miſtim inſperſit concinnam iſtam numerorum modulationem, vt auribus permulctis & delinitis mellico vocũ cõcentu ſineremus in animos noſtros irrepere, eloquiorum vtilitatem, &c.] Et infra: O inuentum ſanè quam admirabile ac ſapiẽs Doctoris, qui excogitauit vna eademque opera ipſi mellicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ ſalutarẽ condiſceremus, Quod enim numeroſis modulis cõprehenſum ediſcitur, fixius imprimitur animo, &c.] Hæc & alia plura in hanc ſentẽtiam Baſilius. Quo autem carminum genere, & mẽſura, Pſalmi fuerint cõfecti, ignotum prorſus eſt, etiam ipſis Hebræis, noſtra tempeſtate. D. Hierony. librum Pſalmorũ, varijs carminum generibus apud Hebræos ſolitis cõſtare affirmat, non aliter quã Pyndari poëmata apud Græcos, & Horatij apud Latinos. Quare Dauidem, non ſolum inter Prophetas, præſtãtiſsimum, ſed etiam inter poëtas Lyricos, eximium fuiſſe, merito aſſerere poſſumus. Quamquam enim diuinus Moſes Hebraicę poëſis auctor fuerit, egregio illo Cantico, ac poëmate compoſito, ad diuinas laudes celebrandas, & gratiarũ actiones reddẽdas, pro miraculoſa liberatione populi Iſraëlis, ex miſerrima Ægypti ſeruitute, quod habetur Exo.

Exod. 15 1. 15. 1. incipitque: *Cantemus Domino glorioſè enim magnificatus eſt, &c.* Deinceps Deut. 32. aliud cõpoſuit & de-

Deut. 32. cãtauit carmen elegantiſsimũ, quod incipit: *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei, &c.* Moyſen quoquè imitati ſunt alij, qui libros ſuos, & vaticinia metricè conſ-

conſcripſerunt, vt videre eſt apud Iſaiam, Iobum, Ieremiam, Salomonem; omnibus tamen excellit Regius Vates, qui tot Pſalmos, tot orationes & cantica condididit, atque concinuit; tot eloquentiæ luminibus decorata, tot precationum generibus plena, tot diuinarum inſtitutionum theſauris locupletata, tot piarum affectionum flammis ardentia, totque demum reconditorum myſteriorum vaticinijs refertiſsima, vt nulla ſatis lingua pro dignitate ea poſsit explicare.

¶ Sanè verſibus Trimetris, Tetrametris, Pentametris, & Hexametris cõſtare ſacra Dauidis poëmata, multi, etiam ex Hebræis, affirmant, vt ait Genebrardus in ſua Chronologia. Sed audiamus hac de re differẽtem D. Hieronymum, qui in Præfat. ad librum Iob, poſtquam aſſeruerat Iobum à principio capitis tertij, Heroico, ſiue Hexametro carmine, ex Dactylis, & Spondæis currente, vſum fuiſſe, hæc addit Hierony. Quod ſi cui videtur incredulum, metra eſſe apud Hebręos, & in morem noſtri Flacci, & Græci Pyndari, & Alcæi, & Sapphus, vel Pſalterium, vel Lamẽtationes Ieremię, vel omnia fermè Scripturarum cantica comprehẽdi, legat Philonem, Ioſephum, & Origenem.] Quare falſò admodũ & impiè Iulianus apoſtata apud Cyrillum lib. 7. inficiatus eſt, fuiſſe poeſim, apud Hebræos. Quamquã fateamur eius temporibus, vt noſtris, iam intercidiſſe germanam & veram Hebraicè metrificandi, & carmina ſcandendi rationem. Nec Anabaptiſtarum hæreticorum calumnia, in noſtram Vulgatam Editionem, quidquam habet momenti, quod in dicta Editione nõ fuerit obſeruata Rythmica, ſiue Metrica Dauidicorũ verſuum proprietas, nam vt optimè & eleganter ait Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca ſancta, multiplicia illa Hebræorum carmina, quamuis ex pedibus dactylis, &

Ad annũ mundi 300066. fol. 109.

Lib. 8. hæreſi. 5.

ſpondæis, inſtar Latinorum conſtarent, non omnino ſunt eiuſdem rationis, cum verſibus noſtrorum Poëtarũ, differunt enim in ſitu, ordine, & modo diſponendi. Sæpè namq; Hexametri Hebræorum, inter dactylum, & ſpondæum alios pedes admittunt, teſte Hieronymo, in dicta Præfat.

¶ Ordo etiam erat diuerſus, cum vel tot dactyli, vel tot ſpondæi præcedere, vel ſubſequi deberent, iuxta regulas Hebraicæ Proſodiæ, quod apud Latinos Poëtas non obſeruatur; conueniunt tamen cum noſtris carminibus, in eo, quod plures pedes habebant noſtris ſimiles, videlicet, dactylos, ſpondæos, Iambos, dichoræos & alios huiuſmodi. Atque etiam quod inſtar carminũ Latinorum, alia erant, vt diximus, Hexametra, alia Pentametra, alia Tetrametra, &c. De diuerſitate Hebraicæ poëſis, vide quæ Genebrard. affert loco citato Chronologiæ ex Rabbi Moſe Abib. Quare mirum non eſt, quod translatores Sacræ Scripturæ ex Hebræo in Græcum, vel Latinum ſermonem obſeruare non potuerint Hebraici carminis proprietatẽ; tum ob maximum idiomatum diſcrimen; tum propter diuerſas Proſodiæ leges, quæ in dictis translationibus nullo modo retineri valuerunt: ne (vt D. Aug. ſcribit ad Memorium Epiſcopum) metri neceſsitate ab interpretãdi veritate amplius, quam ratio ſententiarum ſinebat digrederentur. Noſtro tamen æuo, permulti Latini Poëtæ, & viri doctiſsimi, egregium ingenium in Dauidicis Pſalmis vario carminum genere componendis, mirificè exercuerunt; in quibus non infimum habet locum Benedictus Arias Montanus, cuius Muſa in hoc fœliciter deſudauit, quod Pſalmos omnes ex Hebraica quoad ſenſum veritate, in Latinum carmen obſeruantiſsimè conuerterit. Nec denique defuit Hebraicæ poëſi grauitas, & elegan-

elegantia artificioſa Acroſticorũ verſuum à litteris Alphabeti, ſeruato ordine, inchoantiũ. Docet enim Rabbi Dauid, hanc Hebræis poëtis eſſe conſuetudinem, vt carmina, quibus illuſtria quædam argumẽta traduntur, iuxta ſeriem Hebraici Alphabeti diſponantur, vt facilius memoriæ commẽdari, & tenacius retineri poſsint; quod quidem componendi genus, Ieremias præſertim in ſuis ſequutus eſt Threnis, ſeu lugubri poëmate. Vates etiam noſter Regius in multis Pſalmis, ac præcipuè in Pſalmo 118. hunc ſtylum ſeruauit, in eo namque Pſalmo, quod octaplis conſtat Alphabetis, octonis ſemper verſibus ab eadem littera incipientibus, egregiam poëticæ artis elegantiam, oſtentauit.

¶ *DE AVCTORE PSALMORVM.* CAP. III.

CIRCA auctorem Pſalmorum, tàm apud Rabbinos, quàm apud catholicos Doctores admodum cõtrouerſa quæſtio fuit: An omnes Pſalmi fuerint à Dauide Rege compoſiti? Non eſt ſermo de auctore præcipuo & primario, qui proculdubio eſt Spiritus Sanctus, ſed de inſtrumentali, & ſecundario. Non defuerunt hæretici, qui Dauidem nullum Pſalmum condidiſſe, ſed falſò librum Pſalmorum ipſi adſcriptum fuiſſe, impudentiſsimè aſſeruerunt. Quem errorem Philaſtrius in Cathalogo hæreſum, tribuit Nicolaitis, Gnoſticis, & Manichæis. Idem poſtea profeſſus eſt Paulus Samoſatenus, vt ſcribit Euſeb. 7. lib. hiſtoriæ cap. 24. is enim Paulus homo impius, & hoſtis Eccleſiæ nefarius, pſalmos & cãtus, qui ad Domini noſtri Ieſu Chriſti honorem decantari ſolent, tamquam nullius momenti, & à viris recẽtioribus editos, exploſit

ab Eccleſia; & in ea ſolemni Paſchatis die, mulieres, inanes cantilenas, auditu horrendas, in ipſius laudem, fundere faciebat. Ioannes Lorinus Præfat in Pſalmos cenſet, hoc non eſſe intelligendum de Dauidicis Pſalmis, ſed de alijs Hymnis, in Eccleſia cantari ſolitis. Verum ea eſt hæreticorum impudentia, atque audacia, vt ponant in cœlum os ſuum; nec mirum ſit, quod hæreticus ille ambitioſiſsimus, & effrænatiſsimus diuina omnia, atque humana iura conculcare, auſus ſit.

¶ Tandem Anabaptiſtæ hęretici, noſtra tempeſtate, hanc eamdem hæreſim ſuſcitarunt, dicentes; Pſalmos, neque à Dauide, neque ab aliquo viro ſancto diuinitus conditos, ſed à recentioribus quibuſdam Iudæorum Magiſtris, poſt Chriſti aduentum concinnatos, & diris multis, atque imprecationibus in Chriſtum, & Chriſtianum populum repletos, vt haberent Hebræi ad captiuitatis longiſsimæ ſolatium, cantilenas iſtas, quibus publicè in Synagogis ſuis orantes, & canētes hoſtibus ſuis captiuitatem, & exitium imprecarentur. Hic tamen error adeò eſt manifeſtus, & impius, vt nulla egeat refutatione, cum contra eum militent tot tamque aperta ſacrarum litterarum teſtimonia, quæ fuſè adducuntur à Sixto Senenſi loco citato.

¶ Relicta ergo ſtolida atq; impia hæreticorum ſententia, de auctore Pſalmorum, duplex apud catholicos, fuit opinio; Altera aſſerētium Dauidem omnium Pſalmorum conditorem extitiſſe; ex quibus ipſe aliquot nō compoſuit ſolum, ſed etiam ore proprio cecinit, cæteros verò a ſe compoſitos tradidit cātoribus, qui ad varios cantus & organa muſica illos accōmodantes, proprijs nominibus inſcripſerunt. Hanc ſentētiam amplexati ſunt D. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. cap. 14. D. Hilar. Chryſoſtom. Theodoret. Euthym. Caſsiodor. in

præfat.

Digitized by Google

præfat. ſuorum cõmentariorum ſuper Pſalmos, & multi ex recentioribus, & maximè Iacobus Epiſcopus Chriſtopolitanus in Prologo Pſalmor. tract. 1. cap. 1. vbi aſſerit cõmunem eſſe hanc ſententiam Eccleſię, & contrariam eſſe figmentum recentium Iudæorum, qui odio Chriſti, volunt nõ omnes Pſalmos, Dauidi eſſe adſcribendos; cum omnium vetuſtiſsimorum Hebræorum cõmunis opinio fuerit vſq; ad tempora Origenis, Dauidem omnium Pſalmorũ fuiſſe auctorem. Et probari poteſt hæc ſententia teſtimonijs Sacræ Scripturæ, ex libris Regum, & Paralipomenon, in quibus vt ſupra vidimus, ſummis laudibus extollitur Dauid, quod fuerit egregius pſaltes Iſrael, qui proprio ore cecinit Pſalmos aliquot, veluti Pſalmum 17. cum liberaſſet eum Dominus de manu Saul, & omnium inimicorũ ſuorum, Pſalmum 104. cum reduceretur Arca Domini: qui etiam cõſtituit in Templo quatuor millia pſaltes, canentes Domino in organis, inter quos præcipui erãt tres, qui iuxta eum in Templo canerent cantica, in cytharis, pſalterijs, & cymbalis, videlicet, Eman, Idithum, & Aſaph, quem Eſdras teſtatur laudaſſe Dominũ per manus Dauid Regis; hoc eſt, Pſalmis, manu Dauidis Regis conſcriptis. Secundo probatur ex lib. Apoc. cap. 3. vbi ſolus Chriſtus dicitur habere clauem Dauid, per quam communiter Doctores ſignificari aſſerunt, intelligentiam libri Pſalmorum: quia ſolus Chriſtus, eam diſcipulis ſuis aperuit: tum etiam omnia, quę ibi propheticè includuntur, per ſe ipſum compleuit. Vnde apertè colligi videtur, ſoli Dauidi Pſalmos omnes, acceptos eſſe referendos. Hac etiam ratione vtitur D. Auguſt.

2. Reg. 23. 2. Reg. 22. 1. Paral. 16. 1. Paral. 29. 1. Eſdre. 3. Apoca. 3.

¶ Altera tamen ſententia, quã ſequuntur * D. Hieron. Athanaſ. & ferè omnes recentiores, aſſerit, plures fuiſſe Pſalmorum auctores, videlicet: Dauidem, Aſaphum,

*Luc. vlt. * Hiero. in epiſ. ad Sophron. & epiſ. ad Cyprianũ Aſthan. in Synopſi.*

phum, filios Core, & reliquos, quorum nominibus, Pſalmi ſinguli inſcripti ſunt; de quibus métio fit 1. Pa-
1. *Parali.* ralipom. cap. 15. Quare iuxta hanc ſententiam, decem
15. fuerunt Pſalmographi, ſcilicet, Dauid, Salomon, Moy-ſes, Aſaph, Eman, Ethan, Idithum, & tres filij Core,
1. *Par.6.* quorum nomina habentur 1. Paralip. cap. 6. videlicet, Azir, Elcana, & Abiazaph. Hi omnes diuino etiam af-flati ſpiritu, ſuos Pſalmos, de Chriſto & Eccleſia vati-cinia continétes, ediderunt. Quod attinet ad Pſalmos Anepigraphos, hoc eſt, ſine titulo, ſiue inſcriptione, aſ-ſerunt cō muniter Hebræi, ad Dauidem pertinere. Vnde in Editione Græca LXX. quæ habetur in Regijs Bi-blijs, & in Complutenſibus, Dauidis nomine prænotā-tur. Quamquam D. Hieron. in epiſt. ad Cyprian. dicat, Pſalmos abſque titulo, eius eſſe auctoris, qui proximè præceſsit. Sed D. Hierony. repugnat, quod Actor. 4. & 13. deſumitur teſtimonium ex 2. Pſal. qui ibi Dauidi aſcribitur, & caret inſcriptione, ſiue titulo; ſicut & pri-mus.

¶ Hæc ſecunda de auctore Pſalmorū opinio, funda-tur in conſuetudine Sacrarum Scripturarū propheticarum, quæ proculdubio, ſunt eorū auctorum, quorū no-minibus ſunt inſignitæ: vt Iſaiæ, Ezechielis, Ieremiæ, &c. Ita etiā cum Pſalmi ferè omnes, ſint prophetici, am-bigi nō debet, quin ad eos pertinere debeant, qui in ip-ſorū titulis prænotātur. Deinde probatur: Quia quem-admodum Pſalmos Dauidis nomine prænotatos, certū eſt ad ipſum tamquam auctorem ſpectare; Pari modo reliqui Pſalmi, qui aliorum Sanctorum nominibus inſ-cribuntur, ad eoſdem pertinebunt. Et profectò, meo iudicio, maximi ponderis hæc ratio eſt, qua perſuaſi tanti Doctores, Hieronymi, & alij citati, quorum apud nos maxima debet eſſe auctoritas, hanc ſententiam, tā-

quam

Digitized by Google

quam veriorem & cõmuniorem, arripuerunt. Nec Iacobi de Valentia, qui D. Hierony. auctoritate depreſſum ſe agnoſcit reſponſio, vllius eſt momenti. Dicit namque, Hieronymum, ſequutum fuiſſe, falſam & prauam Magiſtri ſui Barrabani opinionem, à quo Hebraicam, & Chaldaicam linguam didicerat, poſtea verò, re meliùs perpenſa, mutaſſe ſentẽtiam. Hæc, inquam, reſponſio non placet; tum quia eximię Hieronymi pietati & eruditioni plurimum derogat; Tum, quia nullibi legitur Hieronymus, hac de re palynodiam recantaſſe. Quamquam, vt mihi videtur, hæ duæ ſententiæ conciliari poſſunt, ſi dicamus cum priori, Dauidem omnium Pſalmorum fuiſſe auctorem, quia omnium argumenta ipſe adinuenit, & ſuppeditauit: tametſi non omnes ipſe cõdiderit. Et etiam dicere poſſumus, alios iam citatos, fuiſſe auctores multorum Pſalmorum, quia eos, accepta à Dauide re ſubiecta, compoſuerũt, & cum muſicis organis in Templo decantarunt. Vnde patet ſolutio ad auctoritates Sacræ Scripturæ, pro ſententia priore adductas. Nam verum eſt, cantorum præfectos ceciniſſe Dño laudes & Hymnos per manus Dauid Regis, hoc eſt, acceptis ab eo, non ſolum Pſalmis, ſed etiam argumentis, quibus ipſi quoque ſuos Pſalmos componerẽt. Quare & rectè dicũtur omnes Pſalmi, eſſe Dauidis, quia magna ex parte ad eum ſpectant; & etiam eſſe plurimi Aſaphi, & aliorum, quia ab ipſis fuerunt confecti, & decantati.

¶ Ad illud ex Apocal. etiam dicere poſſumus, locum hunc varias habere expoſitiones. Quas videre potes apud Pererium in Apoc. cap. 3. diſp. 11. & 12. Sed dico, quod per clauem Dauid, ſignificetur, intelligentia libri Pſalmorum, dicitur ad Dauidem pertinere, nõ quod alij citati carerent ea intelligentia, cum eſſent

eodem

eodem ſpiritu illuſtrati, ſed quia Dauid fuit condendorum Pſalmorũ præcipuus auctor. Tum etiam, quia omnium Pſalmorum, tàm ſibi, quàm alijs, argumenta ſubminiſtrauit, atque exhibuit. Et in hoc ſenſu, D. Auguſtinus prioris ſententiæ acerrimus propugnator, dixit ſuper titul. Pſalmi 1. tom. 8. non omnes Pſalmos à Dauide fuiſſe compoſitos.

¶ Hanc rationem adducit D. Athanaſ. in Synopſi, vbi poſtquam multos fuiſſe Pſalmorum auctores affirmauerat, hæc ſubiunxit: Pſalmorum liber ſoli Dauid inſcribitur, propterea quod ille primus Spiritum pſallendi à Deo accepit, & compoſuit Pſalmos, & ſcripſit, & prædictos Pſalmiſtas, ipſe ex Sacerdotibus ſelegit ac inſtituit, ſtationemque locorum illis, & ordinem melodiæ; ac tempus pſallendi matutinum, & veſpertinum determinauit, & ita ordinauit, vt alij à dextris, alij à ſiniſtris ſtarent; atque ita Deo pſallerent, laudemque ac Hymnos voce canerent, &c.] Hæc Athanaſius.

¶ Vnde poſſumus etiam per manus Dauid intelligere, eius induſtriam, ſtudium, & ordinationes, quas circa modum pſallendi decreuit. Manus ſæpè ſignificãt præcepta & edicta principum, ſiue amicorum conſilia, fauores, induſtrias, &c.

¶ Adhunc fere modum conatur conciliare has duas ſententias circa auctorem Pſalmorum Mathias Toring in ſua Replica, vt ipſe loquitur, contra additionem primam Pauli Burgẽſis, aſſerit enim dictus Toringus, omnium Pſalmorum Dauidem fuiſſe auctorem, quia ipſorum materiam, hoc eſt, propheticas illuſtrationes, & reuelationes ſubminiſtrauit, Aſapho, filijs Core, & alijs, qui Pſalmorum titulis præponuntur, hos vero dicit, fuiſſe omnium Pſalmorum cõpoſitores, quia Poëticè eos in artem redegerunt, & in Templo decantarũt. Quare

Quare iuxta hunc modum conciliandi, Dauid nullum Pſalmum condidit, ſed præbuit argumenta, & ratio eſt, quia Dauid, vt ipſemet teſtatur Pſalm. 70. dicens: *Quoniam non cognoui litteraturam, &c.* Neſciuit legere & ſcribere, neque liberaliũ Artium habuit peritiam, & ita ignorauit artem poëticam, iuxta quam Pſalmi fuerunt cõcinnati. Alij verò auctores, cum eſſent Leuitæ, & liberaliũ Artium ſciẽtia inſtructi, Pſalmos, ſecũdum materiã à Dauide acceptam, compoſuerũt, ſcripſerunt, & cantoribus tradiderunt. Sed certè huiuſmodi ratio; non eſt verò ſimilis; immo exiſtimo falſam eſſe, cum dicat, Dauidem legẽdi, ſcribendi, verſificandiq; artem ignoraſſe; Tum quia manifeſtè conſtat ex Sacra Scriptura, ipſum aliquos Pſalmos, non tantummodo compoſuiſſe, ſed etiam in Templo concinuiſſe, vt ſuperius vidimus. Nec credibile eſt Dauidẽ Regem ac Prophetam clariſsimum, adeò fuiſſe ruſticũ, vt neſciret legere & ſcribere, cum id potuerit facilè addiſcere, etiam paſcendo oues, vt didicit muſicam: Quidquod invnctus in Regem, nihil regimen impediuit, quin his rebus addiſcendis, operam daret: Præſertim cum eſſet, ſummo ingenio, & alijs præclaris naturæ dotibus præditus. Quod autem ſciret ſcribere, patet ex ea epiſtola, quam de Vria ſcripſit ad Ioabum militiæ principem 2. Regum cap. 11. Nec eum in re tã arcana, & tanti momenti, credendũ eſt, vſum fuiſſe famulo amanuenſi. Vnde noſtra conciliandi ratio, magis vera, & Dauidis excellentiæ cõſentanea videtur. Nec obſtat, quod dicit in Pſal. prædicto: *Quoniam non cognoui litteraturam,* Quoniam alias habet interpretationes. In Hebræo pro *litteratura*, eſt SEPHOROTH, hoc eſt, narrationes. Chal. vertit: *Quoniã neſciui numerũ earũ.* Quaſi dicat: Nũquam ceſſabo à tuis laudibus narrãdis, & celebrandis, quoniam à me

Pſal. 70. 16.

2. *Regum* 11.

me

me neſcitur illarum numerus,cum ſit infinitus. Eodem modo transfert Pagninus: *Quoniam non cognoui numeros.* Similiter Campenſis,Vatabl. Montã. Vt ſit ſenſus: Tot extant in me, & tanta beneficia tua, vt numerum ignorem. Alia verſio: *Quoniam ego modum ignoro.* Prætermitto in ſuum locum, alias expoſitiones, ex quibus colligitur, Dauidem non aſſerere, ſe ignorare litteras exarandi, & ſcribendi artem, ſed non poſſe, modum & numerum aſſequi diuinarum miſericordiarum,& beneficiorum. Et ita litteratura,ſignificabit characteres numerales, Hiſpanicè, *Cifras de guariſmo*, quæ non ſufficiunt ad Dei beneficia, & opera mirabilia comprehendenda. Hiſpanicè: *No ſe con que modo ni guariſmo,pueda yo contar vueſtras grandezas, y miſericordias.*

¶ DE NVMERO PSALMORVM. CAP. IIII.

QVAMQVAM probabile admodum eſt,Dauidem, cæteroſque Pſalmographos, condidiſſe plures alios Hymnos, ſeu Pſalmos, ad Dei magnalia extollenda, vt ſentit Diuus Athanaſ. loco citato,ſcribens, Dauidẽ tria millia Pſalmorum condidiſſe,idque colligi ex Sacra Scriptura; At vero centum & quinquaginta Pſalmi, tantummodo in noſtra Vulgata Editione, tamquam canonici, recepti ſunt. A Græcis, præter illos centum & quinquaginta, admittitur alter, qui incipit: *Paruus eram inter fratres meos.* Eumque ferũt à Dauide fuiſſe compoſitum,ſimul atque cum Goliath cõgreſſus, ipſum deuicit, atque iugulauit. Quem Pſalmum idem Athanaſ. inter canonicos numerat, & eiuſdem meminit Euthym. in Præfat. ſuper Pſal. Sed eum planè reijciunt tamquam Apocryphum,

phum, omnes Eccleſię Latinę Patres. Vt videre eſt apud Sixtum Senenſem lib. 2. ſuæ Bibliothecæ, verbo Pſalterij appendix, vbi ipſum Græcè, vt apud LXX. habetur, adducit.

¶ Pſalmorum collectores, ſeu compilatores, in vnũ volumen, vt modo ſunt coaceruati, aſſerit D. Athanaſ. fuiſſe amicos Ezechiæ Regis, qui ſancto zelo permoti, ne tam inſignis theſaurus deperiret, ex magno Pſalmorum numero, hos tantum centum & quinquaginta ſelegerunt, tamquam potiores, & præſtantiores; & in vnũ librum congeſſerunt. D. tamen Baſilius, Euthym. & alij Patres cõmuniter exiſtimant Pſalmos, ab Eſdra propheta & ſcriba, diuinoque ſacrarum omnium Scripturarum inſtauratore, poſt Babylonicam captiuitatem, fuiſſe conquiſitos, & in vnum volumen relatos; nõ quidem eo quo fuerunt editi ordine, ſed quo inueniri cõtigerat; vt ex ipſorum inſcriptionibus manifeſtè patet. Hic ergo Pſalmorum codex, ab Hebræis Neotericis, in quinque partiales libros, maioris diſtinctionis gratia, diuiſus eſt: quorum primus, incipit, à primo Pſalmo vſque ad quadrageſimum. Secundus à quadrageſimo primo, vſque ad ſeptuageſimũ primum. Tertius à ſeptuageſimo ſecundo, vſque ad octuageſimum octauum. Quartus ab octuageſimo nono, vſque ad centeſimum quintum. Quintus à centeſimo ſexto, vſque ad vltimũ. In quorum ſingulorum fine, duplex Amen, quod LXX. verterunt, fiat, fiat, poſitum eſt. Hæc tamen Pſalmorũ diuiſio, non probatur D. Hieron. in epiſt. ad Sophron. Neque Hilario in Præfat. Hieronymus ita ſcribit: Nos autem Hebræorum antiquorum auctoritatem ſequuti, & maximè Apoſtolorum, qui ſemper in Nouo Teſtamento Pſalmorum librum nominant, vnum aſſerimus Pſalmorum volumen.] Nihilominus tamẽ plurimi ex recen-

recentioribus linguæ ſanctæ periti, hanc Pſalmorum ſectionem, obſeruarunt.

¶ Et tametſi de numero Pſalmorum nobis conueniat cum Hebræis, non plures quam centum & quinquaginta Pſalmos recipientibus; nihilominus tamē de ſingulorum Pſalmorum diſtinctione, non nihil diſcrepamus. Nā, qui nobis eſt nonus, apud Hebræos in duos eſt diſſectus; Similiter, qui nobis eſt centeſimus decimus tertius, rurſum ab Hebræis in duos Pſalmos diuiſus extat. Præterea, qui ſunt apud nos 114. & 115. apud Hebræos vnico Pſalmo continentur: quemadmodum, qui nobis ſunt 146. & 147. vt in 148. ad eumdem numerum cum Hebręis reuertamur. Huius diſcriminis ratio eſſe poteſt, vt inquit Euthym. quod apud Hebræos olim indiſcretus fuerit numerus Pſalmorum, quia ſine ordinis annotatione, ab Eſdra fuerunt collecti, & diſpoſiti; poſtea vero LXX. interpretes iuſſu, & opera Ptholomæi Regis Ægypti, libros Veteris Teſtamenti, ex Hebræo in Græcum transferentes, Pſalmos maioris perſpicuitatis cauſa, in numeros, diſtinxerūt; eorumq; titulis, nonnulla addiderūt; vt ſuis locis explicabimus. Hebræi vero recentiores, eodem fortè cōſilio, pro ſuo arbitratu, & non iuxta LXX. diſtributionem, Pſalmos diuiſerunt. Quapropter mirum non eſt, quod aliquatenus diſſentiant: ſed cum ſit diſcrimen parui momenti, nullum nobis hac in parte negotium faceſsunt.

¶ DE EDITIONE PSALMORVM.

CAP. V.

CIRCA Vulgatam Pſalmorum Editionem, qua Latina vtitur Eccleſia, breuiter animaduertēdum eſt,

eſt, quod D. Hierony. multorum amicorum precibus, & iuſſu Damaſi Papę (ad tollendas diſsenſiones, quæ in catholica Eccleſia graſſabantur, ob varias diſcrepanteíq; Sacrorum Bibliorum translationes, quæ paſsim circumferebantur, licèt magis Vulgata, & recepta eſſet LXX. Editio) tandem ex Hebræo, omnes Veteris Teſtamenti libros in Latinum conuertit, exceptis libris Sapiẽtiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, cum epiſtolis Ieremię, & Machabæor. libris; quos omnes (vt ſentit Bellarm. ſequutus Eugubinum) non transtulit D. Hieron. cum in Hebraicis Codicibus, non extent, ſed iam translatos recognouit, & emendauit. Editio verò Pſalmorum, quam Latinæ ſequuntur Eccleſiæ, tamquam Vulgatam & authenticam, nõ eſt ea, quam D. Hieron. ex Hebræo transtulit, ſed vetus illa, facta ex Græco LXX. quæ in Hexaplis Origenis incorrupta, & illibata, ſeruabatur, & in Ieroſolymæ, & alijs Orientis Eccleſijs, decantari cõſueuit; vt ipſemet teſtatur Hieron. in epiſt. ad Suniam, & Fretellam, in hunc modum ſcribens: Sciatis aliam eſſe Editionem, quam Origenes, & Cæſarienſis Euſebius, omneſque Græciæ tractatores *Κοινὴν*, ideſt, cõmunem appellant, atque Vulgatam, & à pleriſque nunc Luciani dicitur: Aliam LXX. interpretum, quæ & in Hexaplis codicibus reperitur, & à nobis in Latinũ ſermonẽ, fideliter verſa eſt, & Ieroſolymę, atq; in Orientis Eccleſijs decãtatur.] Et paulò poſt, Vtramq; verſionẽ Luciani, ſcilicet, & eam quæ in Hexaplis Origenis habebatur, aſſerit eamdem eſſe; cum LXX. Editione; diſtinguit tamẽ, quod communis & Vulgata, multis ſcatebat vitijs; it verò, quæ in Hexaplis aſſeruabatur, pura, & incorrupta erat. Sunt autem hæc, verba Hieron: Ea autẽ, quæ habetur in Hexaplis, & quã nos vertimus, ipſa eſt, quæ in eruditorum libris, incorrupta, & immaculata

Bellarm. to. 1. lib. 2. cap. 9.

LXX. interpretum tranſlatio, reſeruatur.] Et hoc eſt Pſalterium, Anglicanum, vulgo appellatum, quod ab Angliæ Eccleſijs, primo receptum ſit, & inde ad alias Occidentis Eccleſias deriuatum, maximo in honore, & pretio, nunc etiam habetur. At verò ante hanc Pſalterij tranſlationem, ex textu LXX. incorrupto, fatetur idem Hierony. antiquam Latinam Pſalterij editionem, emendaſſe: quamuis raptim, & multis mutatis, ſeu additis, iuxta Hebraicam veritatem, & Theodotionis editionem, quæ obeliſcis, & aſteriſcis annotata erant. Vt apertè indicat in epiſt. ſiue Procemio Pſalterij ad Paulam, & Euſtochiũ. Et hoc Pſalteriũ exiſtimo eſſe, quod Romanum dicitur, quia in primis, & Patriarchalibus Romæ Eccleſijs, ab antiquis temporibus, hucvſq; ſemper, retentum & recitatum fuit. Quę duo Pſalteria, Romanum, ſcilicet, & Anglicanum, licet cum Editione LXX. conſentiant, inter ſe tamen non nihil diſcrepãt, vt ſuis in locis, annotabimus.

¶ Lindanus lib. 3. de optimo genere interpretãdi, cenſet, Vulgatam Latinam, qua vtimur, Pſalmorum interpretationem, non eſſe ex LXX. Editione deriuatam, cum ab ea, nonnullis in locis diſcrepet, quos citat ipſe Lindanus, & nos, cum ſe dabit occaſio, attingemus: ſed cum diſcrimen in ſenſu ferè ſit nullũ, & reliqua omnia cum LXX. conſentiant, nõ eſt quod à cõmuni, & ipſius præſertim Hieron. ſentẽtia, diſcedamus. Si quęras, cur, reliqui libri ſacri, Veteris Teſtamenti, à D. Hierony. ex Hebræo in Latinum conuerſi, tamquam authentici, in Eccleſia Latina recepti ſint, ſolus Pſalmorum liber ex Hebræo ab eodem Hierony. translatus, non fuerit admiſſus, niſi quem ex Editione LXX. cõuertit. Reſpondeo, cauſam extitiſſe, ſummam religionem, & inueteratiſsimã conſuetudinẽ, qua omnes Eccleſiæ, tàm Orien-

tales

tales, quàm Occidentales, LXX. Editionem, in Canonicis Horis, diuiniſq́; officijs celebrandis, ſemper obſeruarunt. Quare cũ maxima, & grauibus ſcandalis, obnoxia, timeretur rerum Eccleſiaſticarum perturbatio, quia ægrè admodum ferebant, nouam & inuſitatam D. Hieron. translationem admittere, atque illam veterẽ, tot ſæculis imbibitam, deſerere. Meritò S. Apoſtolicæ Sedis permiſſu & auctoritate, factum eſt, vt prædicta D. Hieron. translatio, iuxta LXX. textum, in Eccleſia Latina reciperetur, ſeu potius retineretur. Vide Beuther annot. 10. ad Sacr. Scrip. Translatio autẽ D. Hieron. ex Hebræo, habetur inter ipſius opera to. 7. Et quamuis non ſit authentica; eſt tamen maximæ auctoritatis, apud omnes viros doctos. Quam ſæpè ad maiorẽ Pſalmorum intelligentiam conſulere ſolent.

¶ *DE DIGNITATE, ET VTILItate libri Pſalmorum.*

CAP. VI.

SVpereſt (vt huic procemio finem imponamus) agere de Pſalmorum libri auctoritate, & vtilitate; ſed res hæc, tempus, ſermonemque exigit propè infinitum. Quare ne longiores, quã par eſt ſimus, contentus ero digitum ad fontes intendere, vnde poterit lector, vberrimam haurire Pſalmorum excellentię & vtilitatis cognitionem. Videat ergò D. Athanaſ. in epiſt. ad Marcellionem, de interpret. Pſalmor. D. Baſil. Hom. 1. ſiue procemio in Pſalm. D. Auguſt. Ambroſ. Theodoret. procemio in Pſalm. Et præcipuè D. Bernard. lib. de modo bene viuendi ad ſororem, ſerm. 52. vbi egregiè ſcribit de Pſalmorũ fructu, & efficatia. Nos iam ad ipſorum explicationem accedamus.

COMMENTARII
IN QVATVOR PRIORES PSALMOS DAVIDIS.

PSALMVS. I.

1 BEATVS vir, qui non abijt in conſilio
impiorum, & in via peccatorum non ſte-
tit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.
2 Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius
meditabitur die, ac nocte.
3 Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus
decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in
tempore ſuo:
4 Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque
faciet proſperabuntur.
5 Non ſic impij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem
proijcit ventus à facie terræ.
6 Ideo non reſurgent impij in iudicio: neque peccato-
res in concilio iuſtorum.
7 Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter
impiorum peribit.

ARGV-

Digitized by Google

¶ ARGVMENTVM I. PSALMI.

HOC Pſalmo primo deſcribitur, & ſuis quaſi coloribus exprimitur, iuſtorum hominũ fœlicisſimus ſtatus, & veris omnibus diuitijs affluens; ſimiliſq; dicitur arbori pulcherrimæ, perpetuò virẽti, iuxta aquarum riuos conſitæ, & vberrimos fructus, ſuo tempore, proferenti. Et è conuerſo, depingitur, miſerrima impiorum, & peccatorum conditio: quæ comparatur viliſsimo ac tenuiſsimo puluери, à vento quolibet facile diſsipato, & proiecto. Tandem Pſalmus concluditur, explicato vtrorumque diſpari fine, atque exitu; iuſti enim, & pij viri, quia in hac vita diuinam legem accuratiſsimè obſeruarũt, in mundi conſummatione, cum futura erit vniuerſorum hominum reſurrectio, ineffabili lætitia perfuſi, perfectæq; fœlicitatis participes effecti, in extremo iudicio, ſecuri conſiſtent. At verò impij, & peccatores, cauſa cadentes, contabeſcent, & in orcũ detrudentur, æternis cruciandi ſupplicijs.

¶ DE TITVLO PSALMI.

HIC Pſal. eſt Anepigraphus, ideſt, carens titulo, ſeu inſcriptione, tàm in Textu Hebræo, quàm Græco, & Latino L X X. iuſſu Sixti V. Pontif. Max. edito, & etiam in noſtra Vulgata Editione emẽdatiſsima, auctoritate Clementis VIII. in lucẽ emiſſa. Huius rei cauſam, aſsignans D. Auguſt. ſic ait: Ideò titulum nõ habet, nè quid diuino eloquio præponeretur, aut primus diceretur, qui nõ primus, ſed vnus eſt appellatus, & ideò prætitulationem habere nõ potuit, nec debuit, ne ſi habuiſſet, vt primus eſſet me- *Auguſt.*

lior tantum in ordine numeri, non auctoritate iudica-
Hilar. retur.] D. tamen Hilar. contrarium ſentit, docens; neque Deum Patrem, neq; Deum Filium, loqui in hoc Pſal. Non Patrem, quia ſi is loqueretur, nō diceret, ſed in lege Domini voluntas eius, ſed in lege mea. Cum Deus Pater, nullum habeat dominum; neque Filium loqui conſtat, quia quando eum loquentē inducit Propheta, ita ei ſermonem adaptat, vt nulli alij conuenire
Pſal. 17. 45. poſsit, quod dicit. Vt Pſal. 17. 45. *Populus quem nō cognoui ſeruiuit mihi, &c.* Caſsiodorus cauſam eſſe dicit: Quia maximè perfectiſsimèque competunt, quæ in hoc Pſal. dicuntur ſoli Chriſto; qui ſuaptènatura, innocēs, & omnis peccati expers eſt. Capiti autē omnium ſan-
Hierony. ctorum, nihil omnino debuit præponi. D. Hierony. refert aliquorum ſentētiam, affirmantium; hunc Pſal. eſſe præfationem Spiritus Sancti, & quaſi argumentum, totius libri tractationem complectens. Quod ſentire vi-
Chryſolo. detur D. Chryſolog. ſer. 44. vocans Pſalmorum præfationem, Pſalmorum Pſalmum, titulorum titulum, argumentum generans argumenta, & cauſam totam ſequentium canticorum. Et ſicut clauis (inquit Chryſolog.) aulæ regalis, vbi primam ianuam patefecerit, penetrales reddit intimas, ac multiplices manſiones; ita Pſalmus iſte, vbi reſerauerit aditus intelligentiæ primos, Pſalmorum omnium pandit myſterium, pandit ſecretum.] Huic ſubſcribunt ſentētiæ Nicolaus de Lyra, Ludolphus, Fœlix Pratenſis, & alij.

¶ Non tamen verū iudico, quod aſſerunt hunc Pſal. ab Eſdra fuiſſe compoſitum; & tamquam prooemium, libro Pſalmorum præpoſitum. Nam Pſal. ſequens, qui Act. iū. 4. & 13. dicitur eſſe Dauidis, & ſecundus appellatur, etiam eſt abſque inſcriptione, & ita dici non poteſt, ab Eſdra conditus. Vnde tamquam veriſsimū exi-

ſtimo,

Digitized by Google

ſtimo, huius 1. Pſalmi auctorem (vt & ſequentis) fuiſſe Dauidem, iuxta Hebræorum traditionem, à nobis ſuperius adductam. Pro cuius confirmatione facit, quod in Editione LXX. quę habetur in Biblijs Regijs, & Cōplutenſibus. Pſalmus 1. & 2. atque reliqui omnes, qui apud nos carent titulo, huiuſmodi habent inſcriptionem: *Pſalmus Dauid ſine inſcriptione apud Hebræos.* Et loca adducta ex Actibus Apoſt. me cogunt fateri, vel exemplaria LXX. quibus vſi fuerunt Apoſtoli, fuiſſe cum inſcriptionibus, Dauidis nomine inſignitis; vel fuiſſe tunc temporis, apud eos, traditionem, Pſalmos prædictos, ad Dauidem, tamquam auctorem, eſſe referendos. Quare cum Apoſtoli à Spiritu Sancto edocti, loquerentur, dici nō poteſt, ab eis, hac in re errari potuiſſe. Nec vero ſimile eſt (vt aliqui volunt) Pſal. hunc 1. cum ſequenti, vnum eſſe. Et Act. 13. pro 2. primum legi debere: Tum, quia ſic, nō haberemus completum Pſalmorū numerum: Tum, quia in noſtra Vulgata Editione, emendata, & in reliquis ferè omnibus, tàm Græcis, quàm Latinis, & in Syriaca, & Aethyopica, diſtincti hi duo Pſalmi reperiuntur.

VERSVS PRIMVS.

¶ *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.*

CVM Dauidis, tamquam Spiritus Sancti organi, & inſtrumenti, ſcopus ſit, hominem iuſtum, & omni ex parte perfectum, omniumq; virtutum numeris abſolutum, exprimere & repræ-

 ſentare,

ſentare, quia is, non poteſt Deo, non eſſe charus & acceptus; & ex conſequenti, tamquã diuinæ conſors effectus naturæ, ad æternam beatitudinem ius habens; ideo Pſalmographus à beatitudine auſpicatur. Quo etiã modo, Chriſtus Dominus (cuius, Regius Propheta typum gerebat) promulgaturus in monte, Euangelicam legẽ,

Matth. 5. 3. eodem eſt vſus exordio: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, &c.* Beatitudo autẽ duplex cum ſit; Altera, quæ in hac vita haberi poteſt, eaque conſiſtit in perfecta iuſtitia, de qua inquit Apoſtolus

Rom. 14. 17. Rom. 14. 17. *Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Altera, beatitudo patriæ, quę eſt conſummata, æterna, & inamiſsibilis, in perenni Dei viſione cõſiſtens. Beatitudo viæ eſt veluti pignus certiſsimum beatitudinis patriæ, eam enim iuſti & amici Dei, quaſi hæreditario per Chriſtum iure, conſequuntur.

¶ In Pſal. ergò iſto, agitur de beatitudine huius vitæ, quæ tamquam ſuburbium, præcedere debet patriæ fœlicitatem. Quia item vera iuſtitia, in duobus, veluti cardinibus, verſatur: In vitãdis peccatis, ac ſceleribus: & in virtutibus aſſequendis. Iuxta illud eiuſdem Dauidis

Pſal. 33. 13. Pſal. 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Declina à malo, & fac bonum, &c.* Idcirco in 1. Verſu agit, de vitandis malis. In 2. de bonis exſequendis. Dicit ergò: *Beatus vir.* In Hebræo, maxima ineſt his verbis emphaſis. A S R E H A I S. *Beatitudines illius viri.* Quaſi dicat: O tèrque, quatèrque beatum virum illum. Eſt ſiquidem beatitudo, vt optimè Boethi.

Beatitudo quid. dixit: Status, omnium bonorum aggregatione, perfectus. Et idcirco Propheta, hanc bonorum omnium abſolutiſsimam congeriem, per verbum numeri pluralis, & in abſtracto poſitum, indicare voluit. Deriuatur dictio,

Digitized by Google

ctio, A S R E, à verbo, A S A R, quod ſignificat beatũ eſſe, dirigi, beneambulare: Vnde A S R E, in plurali, beatitudines, directiones, beneambulationes; Hiſpanicè, *bienandanças*, omnimodę fortunationes, quæ niſi viro iuſto,& legis diuinę perfecto obſeruatori, nulli alij cõpetere poſſunt. *V I R.*] Hebr. H A I S, cum He, demonſtratiuo; Græcè etiã cum articulo, *O anir*; *Ille vir.* I S, apud Hebræos, ſignificat hominē, non quemcumq; ſed illuſtrem, inſignem, ſtrenuum, & cum appoſitam habeat emphaticam demonſtrationē, nonnullam dedit occaſionem Auguſt. Haymoni, Caſsiodoro, & alijs Patribus, intelligēdi hũc Pſal. primò & pręcipuè de Chriſto, cui vni, perfectiſsimè cõueniũt omnia. Is namq; ſolus fuit, omnis peccati expers; *Qui peccatũ nõ fecit*, &c. *Sanctus, innocēs*, &c. Qui ſicut arbor ſemper virēs diuinę ſciētiæ, & gratiæ plenitudine, ſecus fluēta aquarum perēnia, plãtatus, .i. donorũ Spũs Sancti, quibus abundauit, ac etiam redũdauit. Vnde nec foliũ cœleſtis ſapiētiæ, & doctrinæ in eo vmquã defuit; nec opera eius, fructu meriti infiniti caruerunt. De ipſo ſolo beatitudines conſummatæ, in plurali ennuntiari queunt. Cum & ratione Deitatis, habuerit infinitam beatitudinem, quam poſsidet naturaliter ab ęterno; & ratione humanitatis, quã in tēpore aſſumpſit ab ipſo inſtãti ſuę cõceptionis, ex vi vnionis hypoſtaticæ, eius anima clarè vidēs diuinã eſſentiam, ſupremũ beatitudinis gradũ adepta fuit. I S verè & propriè, eſt vir ille, qui per anthonomaſiã, in Sacra Scriptura vir appellatur. Ierē. 31. 22. *Creauit Dñs nouum ſuper terrã, mulier circumdabit virum.* Zachar. 6. 12. *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Quæ loca de Chriſto loqui, communis eſt Patrum interpretatio.

1. Pet. 2. 22.
Hebræ. 7. 26.
Ierē. 31. 22.
Zacha. 6. 12.

ADDVCVNT in confirmationem huius ſenſus, Divus Auguſtinus, & alij, apertiſsima teſtimonia ipſius

Pſal. 39. 8. ipſius Chriſti Domini, Pſal. 39. 8. in hunc modum de ſe dicentis: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quæ verba eſſe à Chriſto Domino prolata ad Patrem, in ipſo ineffabili ſuæ incarnationis momẽto, teſtatur D. Paulus Hebr. 10. 5. ſic ſcribens: *Ideo ingrediens mundũ dicit; Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, holocauſtomata, & pro peccato nõ tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio, In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam.* Quibus in locis dicti Patres, per caput libri, interpretantur, priora huius Pſal. verba, quæ Chriſto propriſsimè & excellentiſsimè competunt, cum ipſe fuerit diuinæ voluntatis, in procuranda, atque efficienda humani generis ſalute, diligentiſsimus miniſter; *Qui de cælo deſcendit, vt faceret Patris voluntatem: Factus ei obediens vſque ad mortẽ, mortem autem crucis.* Quique venit; *Non vt ſolueret legẽ, ſed ad impleret ad vnum vſque iota, & apicem.* Quam voluntatem Patris, à primo conceptionis inſtanti agnoſcens, amplexatus fuit; animoq; impreſſam, ac defixam habuit; eamque in omnibus, opere adimpleuit.

Hebr. 10. 5.

Ioan. 6. 35.

Philip. 2. 8.

Mrtth. 5. 17. 18.

¶ Facit deniq; pro hac interpretatione, quod propterea Spiritus Sanctus, Dauidico ore, hoc loco vſus eſt verbis præteriti temporis: *Abijt: Stetit: Sedit.* Vt ſignaret Chriſti excellentiam, qui ſolus inter omnes, nullo vmquam tempore alicui noxæ, vel crimini fuit obnoxius: cum omnes homines, quamlibet Sancti, originali peccato; ante iuſtificationem inficiantur, & poſt eam, à venialibus culpis, non euadant liberi.

¶ Quia tamen hæc de Chriſto expoſitio, myſtica, ſiue allegorica potius, quam litteralis videtur, ſentiunt plurimi, Pſalmum eſſe re vera dogmaticum, & ad bonos mores pertinentem; in eoque ſermonem fieri, de quocumque

cumque

Digitized by Google

cumq́; iuſto, ſiue vir ſit, ſiue fœmina. Nomine enim viri, etiam mulier intelligitur. Nominatur autem vir, quia prior eſt, & præcipuus in humana natura. Et iuxta hanc exponendi rationem, pulcherrimũ præſtantiſsimumq́; exordium ſuis Pſalmis dediſſe Dauidem, ſatis apparet. Nam vt (inquit Chriſoſt.) Beatitudo eſt, omnium bonorum baſis, ac fundamentum, quæ neceſſario eſt in Pſalmis præpoſita, eius amatores ad victoriam præparans]. Similiter Petrus Chryſolog. loco citato: Sicut dimicaturo (inquit) cum beſtijs, & grauiſsimorum certaminum diſcrimina ſubituro, pronuntiantur ante bravium præmia coronæ; Propheta, beatitudinem ſic præmiſit, vt prouocaret hominem, totam, quam poſt enumerat, vincere criminum feritatem]. *Chriſoſt.* *Chryſolo.*

¶ Pro, *Beatus*, Scholiõ Græcum legit ſiue interpretatur: *Irreprehenſibilis ille vir.* Theodotionis, & *Quinta* & Sexta Editiones, transferunt; *Perfectus*, ſeu *conſumatus, ille iunior.* Quo indicatur, perfecta, & omnibus numeris abſoluta, virorum illorum ſanctitas, qui à teneris, vt aiunt, vnguiculis, & ab incunabulis, iuſtitiam conſectantes, ſemper coluerunt. Iuxta illud Threno. 3. 27. *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Vbi bonum, idem eſt, quod, bonum, & perfectiſſimum. Talis erat ſanctitas, quã ſummis laudibus, Deus ipſe extollit, dum ait iob. 2. 3. *Numquid cõſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & ad huc retinens innocentiam?* Talis etiam extitit, excellens perfectio Ieremiæ, Ioannis Baptiſtæ, multorumque aliorum, præſertim Noui Teſtamenti virorum inſignium, qui à pueritia, Dei cognitione, & gratia imbuti, eam perpetuò conſeruarunt. *Thren. 3. 27.* *Iob. 2. 3.*

Digitized by Google

¶ *QVI, non abiјt in conſilio impiorum, &c.*

QVAMVIS *KIMHI* cenſeat omnia in hoc Verſu 1. contenta, vnam, & eamdem ſententiam habere, & veluti more Rhetorum, appoſita fuiſſe verba plura, idem elegantiſsimè ſignificantia, conſentiunt tamen expoſitores ferè omnes, ſingulis in dictionibus, eſſe gradationem quãdam, & ſignificationis incrementum, tàm in verbis; *Abijt, ſtetit, ſedit*, quàm in nominibus; *conſilio, via, cathedra, impiorum, peccatorum, peſtilentia*, ſeu *peſtilentiũ*; Vt habent Græci, vel, *irriſorum*, vt legunt Hebræi. Verum, exponendi ratio, non eadem eſt apud omnes, ſed multiplex.

¶ Prima expoſitio D. Baſilij, Ambroſij, Theodoreti, & ferè cõmunis, quam ſequitur D. Thom. in hunc locum eſt: Quod deſcribuntur tres modi peccandi, ſeu gradus. Primus eſt; cum quis prauam concipit cogitationem, & veluti ſecum conſultat de aliquo facinore perpetrando, in illud inclinans, & animo propendens, per conſenſum. Secundus gradus, cum malo acquieſcens cõſilio, illud exſequi ſtudet. Tertius gradus, Quãdo peccatis, & ſceleribus, ita delectatur, vt peccandi ſocios, ſibi aſciſcat, & ad peccandũ peruerſo ſuo exemplo, vel ſuaſione inducat. Primus gradus explicatur primis verbis; *Qui non abijt in conſilio impiorum*. Vbi proprietas maxima ſeruatur, cũ dicit, *abijt*, quia quamdiu, homo deliberat, habet ſe inſtar ambulantis, dicit, *in conſilio* cum, ſ, non cum, c, Quamuis Scholium Græcum, iam citatum, habeat, in conſeſſu: Legendum eſt tamen, vt in omnibus exemplaribus, tàm Græcis, quàm Latinis, & in Hebraico B A G A T S A T H, hoc eſt, in conſilio, à verbo I A G H A T S, quod eſt, conſiliari, conſu-

cōſulere, deliberare. Phraſis eſt linguæ Sanctæ; Abire in conſilium impiorum, pro ſequi conſilium, vel ſuggeſtionem impiam, exterius ab iniquis hominibus, vel interius, à Dæmonibus, vel carnis illecebris immiſſam. Alter gradus ſignificatur, dum ait: *Et in via peccatorum non ſtetit.* Via ſignificat in ſacris litteris inſtituti, ſeu profeſsionis, quam quiſque ſequitur, iugem obſeruationem: Quemadmodum enim via, ſiue iter, pedibus incedentium proteritur; ita via peccatorum, eſt conſuetudo peccandi. Vnde ſtare in via peccatorum, idem eſt, quod peccare ex conſuetudine, & perſeuerare in peccato. GHAMAD, ideſt, fixum eſſe, permanere, perſeuerare. Vltimum gradum explicant illa verba: *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Quando, videlicet, quis, non modo peccatis ſe addicit, & totum tradit, ſed aliorum, in peccando, magiſtrum ſe exhibet, peruerſa dogmata profitendo, vel exempla exhibendo; tunc enim, quaſi in cathedra peſtilētiæ ſedet, cum doceat, vel ſuadeat errores, ac mores peſtilentiſsimos, quod ad hæreticos, & infideles maximè ſpectat; quibus nihil eſſe aut cogitari valet peſtilentius. In Hebræo, vt dixi, habetur: *In cathedra irriſorum* Et aptiſsimè quidem, nam cū nefarius homo aliquis, eo peruenit improbitatis, vt doctor efficiatur peccandi, irriſor, & contemptor euadit rerum omnium diuinarum, atque ſanctarum. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Deinde in nominibus, impiorum, peccatorū, & irriſorum, docet D. Thom. exprimi peccata in Deum, in ſe ipſum & in proximum. Si contra Deum peccant, propriè dicuntur impij. Hebraicè, RESAGHIM, à verbo, RASAGH, quod eſt, impium eſſe; impie agere, inquietè ſe gerere. Valdè perturbari. Refertur ad peccata, quæ directè contra Deum fiunt, quo in gradu ſtatuendi ſunt Hære-

Abire in cōſilio impiorum, quid.

Via in ſacris litteris, quid.

Prou. 18. 3.

Hæretici, Iudæi, Pagani, Athæi, Idololatræ, Blaſphemi, & id genus alij. Et propriè dicitur, *In conſilio*; Quia infidelitas, & hæreſis propriè ſpectant ad intellectum. Peccatores dicũtur, qui in ſeipſos delinquunt. Hebræi HHATAIM, à verbo, HHATA, quod eſt peccare, à legis rectitudine deuiare. Et quia peccata contra ſeipſos, apud omnes peccatores, communia ſunt, & trita; idcirco, via peccatorum, appellatur. Tandem per *Cathedram peſtilentium*, innuuntur peccata contra proximum, quæ perpetrari ſolent à detractoribus, vſurarijs, homicidis, & alijs huiuſmodi. Præſertim à potentibus & prædiuitibus, quorum proprium eſt, ſedere in cathedra, & ſolio honoris, & poteſtatis; qua abutendo, proximis ſuis, perniciem inferunt, atque machinantur; & cathedrã dignitatis & potentiæ, quam exercere oportebat, in pauperibus ſubleuandis, conuertunt in cathedram peſtilentiæ, qua eos perdunt, & modis omnibus infeſtant. Irriſores etiam apertè appellantur, nam nihil tam ſolitum magnatibus, & potentibus eſt, quàm humiles, & egenos contemnere, ac deridere.

¶ Secundam expoſitionem adducit Lyranus, aſſerens totum verſum intelligendum eſſe, de peruerſa doctrina, licèt in ea, gradus inueniantur, quos Propheta inſinuat, qui cum in toto hoc opere, nihil aliud intendat, quam hominem ad amorem, ſtudium, & obſeruantiam diuinæ legis inflammare, totus eius ſermo, circa doctrinam verſatur, quam Dei cultor vitare debet, vt tandem diuina præcepta, atque inſtituta amplecti valeat. Erit ergo ſenſus; fœliciſsimum eſſe virum, qui impiorum conſilijs non adhæret, ipſum à Dei cultu abducere conantium, neque quod grauius eſt, impiam doctrinam ita imbibit, vt eam tamquam habitus, difficilè amittat, inſtar eius, qui in via ſtans, vix ab ea diuelli

poteſt

poteſt. Neque tandem, quod grauiſsimum eſt, erroneã & pernicioſam doctrinam, ita amplectitur, vt eius doctor & profeſſor, effici velit. Quod eſt verè & propriè ſedere in cathedra peſtilentiæ. Sedere enim in cathedra ad Magiſtros, & Doctores pertinet.

¶ Tertium modum exponẽdi, docent Auguſt. Caſſiodor. Haymo, Remigius, qui quoniam aiunt, ſtatim in primis verbis, Pſalmographum oſtendere voluiſſe, quantum differat ſecundus Adamus Chriſtus, à primo, hæc ad litteram præcipuè de Chriſto intelligi volunt, qui Adamo fuit oppoſitus. Hic enim acquieuit conſilio impiorum dæmonum, cum animũ induxit, eorum ſuggeſtione, ſe Deo ſimilem futurum, in ſcientia boni & mali, diuinum præceptum tranſgrediendo. Stetit in via peccatorum, quando ſcelus commiſit, & ſic ad ſtatum peccatoris perueniens, morti tam animæ, quam corporis obnoxius remanſit. In cathedra peſtilentiæ ſedit, quia non ſibi modo damnum intulit, ſed totam etiam humanam poſteritatem peccati contagio inquinauit. Contraria omnia Chriſtus præſtitit, vt ſupra explicauimus, & latè prædicti auctores, & multi alij proſequuntur, vt facilè videre eſt, apud Lipomanum, in Catena ſuper Pſalm.

SED quoniam (vt diximus) ſenſus hic, magis videtur myſticus, quam litteralis, & Pſalmus, ad mores inſtituendos referendus eſt, placet communis opinio, in ipſo, quemcumque hominem, beatitudinis conſequendæ cupidum, edoceri; Ac debere in primis vitare malorum hominum conſilia, præſertim impiorum, qui cum iam Dei fidem, & timorem abiecerunt, flagitioſiſsimè & ſine lege vivunt, irrequieti, rabido furore incitati, & omnium vitiorum mole oppreſsi. Secundo, Quia poteſt homo, retenta fide, in alia ſcelera incũbere & labi,

& labi, monetur curandum illi eſſe, ne in peccato perſeueret, vel inſiſtat. Tandem ne peccandi conſuetudine in naturam conuerſa, eò progrediatur, vt doctor eſſe velit, alios impietatis, ſiue improbitatis eadē peſte corrumpens, verbo vel exemplo, quaſi in cathedra peſtilentiæ ſedens. *Et in cathedra.* Hebraicè, V B E M O-S A B, in conſeſſu, in conſiſtorio, in congregatione, in ſocietate. Ita Chaldæus. Quia hic malorum apex eſt, & culmen congregari impios contra Deum, & veluti exercitum facere contra ipſius præcepta, quæ maximo odio proſequuntur.

¶ Perpendit D. Ambroſ. & Baſil in præterito dici; *Abijt*, *Stetit*, *Sedit*, & non de præſenti tempore ambulat, ſtat, ſedet, vt denotet, neminem eſſe in præſenti ſæculo, de ſua beatitudine ſecurum, neq; aliquem, dum viuit in hoc mundo, tamquam beatum prædicandum, ſed cum fœliciter abſoluto vitæ curſu, in Dei obſequio, & gratia perſiſtens, in humanis eſſe deſierit. Iuxta illud Eccleſiaſtici 11. 30. *Ante mortem ne laudes hominē quemquam, &c.* Sed cum Hebraica lingua careat tempore præſenti, poſita ſunt verba in præterito, vt etiam, præſens comprehendatur, & ſic etiam perfecta innocentia ſignificetur. Quæ, vt diximus, non ſolum ſecundum prçſens cōmendatione digna eſt, ſed etiam, ſecundum omne tempus; ita vt non modo illam exerceat homo ad præſens, ſed à tenera ætate ad vltimum vſq; vitæ ſpiritum. Quamobrem, verba præteriti temporis, hoc loco, ad præſens & futurum, ſunt extendenda. Nonnulli linguæ ſanctæ periti, per præſens tempus transferunt, vt Kampenſis, Arias Montanus, Vatablus. Adde, quod tempus futurum pro præſenti, & præterito poni ſolet, vt ſtatim verſu ſequenti, liquebit.

Eccleſia. 11. 30.

¶ VER-

VERSVS SECVNDVS.

¶ *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.)*

QVIA ad veram, & perfectam iuſtitiam, non ſatis eſt mala non agere, niſi bonis operibus inſudetur, poſtquam Dauid, diuino afflatus Numine, ſuperiore verſiculo docuit, quæ ſint viro iuſto vitanda. Hoc ſecundo verſu, proponit, quænam ſint bona excercenda, dicens: *Sed in lege Domini, &c.* Quibus verbis etſi breuiſsimis, omnem moralem philoſophiã comprehendit. Hęc ſiquidem, in duobus conſiſtit: Primo, vt habeat homo veram Dei, eiuſq; voluntatis cognitionem, quam ex diuina lege petere debet: Secundo, vt hanc legem ſummo amore proſequens, aſsiduoque contemplans, omnes ſuas actiones ad eius normam dirigat, atque moderetur. Primum explicatur illis verbis: *Sed in lege Domini volũtas eius, &c.* *In lege.*] Hebraicè, BETHORATH, hoc eſt, diſpoſitio, conditio, lex. A verbo, THVR. Quod ſignificat ſcrutari, inquirere, explorare; quod Dei præcepta, & diſpoſitiones ſunt à nobis, ſummo ſtudio inquirendæ, & explorandæ, vt exactè poſsint adimpleri. Vel ſit hæc dictio, à verbo IARAH, quod ſignificat docere, Ita THORA, idem erit, quod doctrina. Nam in diuina lege, edocentur homines, quid colere, quid ſperare, quid amare, quid effugere debeant, ad beatitudinem aſſequendam.

¶ Quid per hanc legem intelligatur, diuerſimodè exponunt.

ponunt interpretes. Euſeb. Cæſarien. intelligit legēm naturalem hominibus inditam, de qua ad Roman. cap.
Rom. 2. 14. 2. loquitur Diu. Paul. *Gentes, quæ legem non habēt* (ſcilicet ſcriptam) *naturaliter, quæ ſunt legis faciunt.* Theodoret. & Caſsiodor. de Moſayca lege interpretantur.
Deut. 6. 6. 7. De qua Deuter. 6. præceperat Deus, populo Iſraelitico, dicens: *Et ſint verba legis huius, iugiter in ore tuo, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens.* Et Ioſue cap. 1.
Ioſue. 1. 8. *Non recedat volumen legis huius, ab ore tuo, ſed meditaberis in ea, diebus, ac noctibus.* Alij, per legem, diuinam Scripturam intelligunt, ad cuius ſtudium, & contemplationem, nos hoc loco admonet Regius Vates, & Chriſtus
Ioan. 5. 39. Dominus, Ioan. cap. 5. hortabatur Scribas, & Phariſæos; *Scrutamini ſcripturas, quia ipſæ teſtimonium perhibent de me.* Secundum Chryſoſtomum, legis nomine, Chriſtus ſignificatur, quia finis, & ſcopus eſt totius legis ſcriptæ, in quem omnia præcepta illa referebantur.
Iſaias. 2. 3. Et Iſai. 2. dicitur: *De Syon exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Placet Genebrardi opinio, quod, quia iuſtitia, & beatitudo communis eſt omnibus, tàm doctis, quàm indoctis, notantur hoc Pſalmo, ſimplicia mandata Dei, quæ verſantur circa credenda, colenda, agenda: Et etiam illa præcepta, quæ ſcire quilibet tenetur ad ſtatum ſuum, & munus ſpectantia.

D*omini.*] In Hebræo ponitur Dei nomen ineffabile, IEHOVAH, ſeu IEHVEH, vt proferendum eſſe aiunt Hebræi. Quod Græci vocant, *Te-*
Leuit. 16 *tragrammaton*, hoc eſt, quatuor litterarū; & nemini Iudæorū proferre fas erat, niſi ſoli ſummo Sacerdoti ſemel in anno, in die ſolemni expiationis, cum Sancta Sanctorum ingrederetur. Dictumque nomen ineffabile, etiam gereret ſcriptum in aurea lamina fronti appenſa,

penſa, pontificalibus indutus ornamentis. Plurima ſunt alia nomina, quibus Deus vocari ſolebat, hoc tamen erat præcipuum, & proprium, & nulli alij præterquam ſibi conueniens. Cum enim cætera nomina alijs communicet, & ipſi attribuantur ex effectu, hoc tantum eſt, quod ipſius Dei naturam incomprehenſibilem, infinitam, immutabilem, eiuſque miſericordiæ, & veracitatis vim immenſam, explicat. Qua de re, videre eſt Divum Hieronymum epiſtola ad Marcellam, Benedictum Ariam Montanum in lib. quem inſcripſit, Ioſeph, ſiue de Arcano ſermone in Apparat. ad Sacra Biblia, & omnium fuſiſsime Petrum Fabrum Sanjorianum lib. de nomin. Dei. cap. 7.

V*OLVNTAS eius.*] Hebrai. HHEPHTSO; Ideſt, voluptas, delectatio, affectus, deſiderium, negotium. Hæc enim omnia ſignificat prædicta dictio, à verbo HHAPHATS; Quod eſt velle, voluntatem habere, cupere delectari. D. Auguſt. & D. Thom. annotant, merito poſitum eſſe, *In lege eius*, & non ſub lege eius, quia habere voluntatem ſub lege, indicat timorem, & coactionē, qua quis legem exequitur, quod ſervorum eſt. At vero habere voluntatem in lege, eſt legem velle, in ipſaque delectari, & ſibi complacere. Quod eſt filiorum, qui amore erga diuinę legis, & mandatorum obſeruātiam ducuntur. Aliud, inquit Auguſt. eſt eſſe in lege, aliud eſſe ſub lege. Qui eſt in lege, ſecundum legem agit. Qui eſt ſub lege, ſecundum legem agitur. Ille ergò liber eſt, iſte ſervus.]

¶ Alij ita exponunt: *In lege Domini voluntas eius.*] Quod quia huius vitę iuſtitia non poteſt pertingere ad hoc, vt nulla in re offendamus, cū ſcriptum ſit Iacob. 3. *Iacob. 3.* *In multis offendimus omnes.* Hoc tamen, viro iuſto ne-

ceſſarium eſt,vt in lege Domini voluntatem ita habeat defixam, vt eam perficere omnimodè percupiat. Vnde ſiquando pro humana imbecillitate labi contigerit in aliquod peccatum veniale,quod charitatem non tollit, ſemper dicetur,eius voluntas adhęrere legi diuinæ. Cũ non extinguatur ardor, quod Deum,& eius doctrinam diligit,atque contemplatur.

¶ *ET in lege eius meditabitur die, ac nocte.)*

HOC alterum eſt, quod ad ſecundam partem iuſtitiæ ſpectat, perpetua videlicet,diuinæ legis exercitatio. Ex amore ſiquidem, & delectatione, qua iuſtus afficitur, in Dei legem & inſtituta, ſequitur eorumdem ſedula,& cõtinua obſer-
Ioan. 14. 23. uatio, iuxta illud Chriſti,Ioan.14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Quod explicat hoc loco Dauid, dicens: *In lege eius meditabitur die, ac nocte.* Hebraicè, I E H G V E H, ideſt, ſe exercebit, efficaciter cogitabit, in mente, & ore ducet, ſolicitus de ea cognoſcenda,& perficienda. H A G A H, verbum iuxta proprietatem linguæ ſanctæ includit vehementẽ, & aſsiduam mentis agitationem,quaſi curam ac ſolicitudinem,quæ erumpat ſæpè ad oris motum, & ſubmiſſam vocem, & quãdo oportet ad opus, & exercitium. Hinc illud Pſal.
Pſal. 36. 20. 36. *Os iuſti meditabitur ſapientiam.* Ideſt,loquetur,reſonabit. In qua ſignificatione Virgil. dixit. Eclog.1.

Syluestrem tenui muſam meditaris auena.

Ideſt, exigua fiſtula concinis bucolicum carmen,& paſtoritium; in quo exercendo aſsiduè delectaris, patulæ recubans ſub tegmine fagi. Et Eccleſia in Hym. dicit.

Semper

Semper in Pſalmis meditemur, atque
Viribus totis Domino canamus
Dulciter Hymnos.

Ideſt, laudemus, canamus, meditemur, exerceamus viribus totis. Prouerb. 8. *Veritatem meditabitur guttur meum.* Hoc eſt; bona opera, cogitatione, ore, opere ampleɛtar. Eamdem Græcus Textus vim dictionis obſeruauit, transferens hoc loco; *Vehementer cogitauit, ſe exercebit.* Aquila vertit; *Reſonabit.* Eſt enim *Melethi*, efficax, & continua animi cogitatio, quæ plerumque prorumpit in vocem, & in opus exterius. Meditationes militares, vel meditamenta dicebantur in Romana militia exercitationes, vel ludicra certamina, citra ſanguinem. Tertullian. quoque Latinæ locutionis antiquitatum obſeruantiſsimus, dixit, Meditatorium, pro loco excertij. Prou. 8. 7.

D*IE, ac nocte.*] Diuerſimode exponitur; Primo, vt ſit prouerbialis, & Hyperbolica loquutio, accipiaturq́; pro ſtatis temporibus, hoc eſt, quando opus fuerit, & occaſio ſe ſe obtulerit, ſicut dicitur Luc. 18. 1. *Oportet ſemper orare, & nũquam deficere.* Et 1. Theſal. 5. *Sine intermiſsione orate.* Ideſt; Statutis horis, & temporibus, vt aliqui exponunt. Cum in hac vita pro humana imbecillitate, impoſsibilis ſit huiuſmodi inceſſabilis omnino oratio, ſeu meditatio. Secundo accipi poteſt, *Die ac nocte*, pro continua & inceſſabili meditatione, ideſt, vt omnia opera, tàm diurna, quàm nocturna, iuxta normam diuinæ legis fiant, & nullo modo ab ea diſcedatur. Iuxta illud Apoſt. 1. Corint. 10. 31. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Hoc modo dicetur, vir iuſtus, inceſſanter die, ac nocte meditari in Dei lege, non actu, ſed habitu, & virtute. Tertio exponi poteſt, vt exponit Luc. 18. 1. 1. Theſal. 5. 17. 1. Corin. 10. 31.

 Auguſt.

Auguſt. Remig. Bernard. Thom. & alij, de proſperis & aduerſis. Per diem, enim proſperitas ſignificatur: per noctem, aduerſitas. Vnde vir iuſtus, in quouis euentu debet Dei legem præoculis mentis habere, & obſeruarē; ita vt nec frangatur aduerſis, nec proſperis, inſoleſcat. Quarto, exponit Iacobus de Valentia, de lege noua, & veteri, nam per diem, intelligitur Novum Teſtamentũ, per noctem Vetus; Vt indicat Pau. Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autẽ apropinquauit.* Quod de vtroque Teſtamento cõmuniter intelligunt ſacri expoſitores. Erit ergò viro probo meditandum vtrumque Teſtamẽtum, in quo Chriſtus annuntiatur; in Veteri, tamquam futurus, in Nouo, tamquam præſens. Sed hæc expoſitio nimis apparet allegorica. Tandem (vt ait D. Bernard.) edocemur per hanc diurnam, & nocturnam meditationem, non eſſe nobis, tota nocte ſomno indulgendum, ſed multam eius partem in diuinis meditationibus, & orationibus tranſigendam; Regij Vatis inſtar, qui media nocte ſurgebat ad confitẽdum nomini Dñi. Aquila tranſtulit; *Die*, nulla noctis mentione facta. Stricte voluit diem naturalem denotare, qui comprehendit tempus lucis, & tenebrarum cõſtans ex viginti quatuor horis. Quo etiam modo de die loquutus videtur Dauid Pſal. 118. *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt.* Dies intelligitur naturalis. In Textu Hebræo, cum dicitur die ac nocte, accipitur dies pro artificiali, horarum tantum duodecim: quomodo Chriſtus accepit, dicens, Ioan. 11. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?*

Rom. 13. 12.

Pſal. 118 97.

Ioan. 11. 9.

¶ Qui de Chriſto hunc verſum interpretantur, perennem, & numquam intermiſſam diuinæ legis meditationem ipſi attribuunt. Referam Richardi Pampolitani verba: Non ſic (inquit) fuit Chriſtus ſicut Adam, ſed

ſed in lege Domini voluntas eius, ideſt, ſemper legem voluit, quod eſt, voluntatẽ eſſe in lege. Et in lege eius meditabitur die, ac nocte, quod alteri non conuenit, quia non eſt, qui aliquando non dormiat, & non alia quandoque cogitet. At legem, etiam dormiens Chriſtus meditari poterat. Nos multa poſſumus ſcire, ſed vnum ſolum ſimul intelligere, vel meditari, at ſuus intellectus, tam potens fuit, vt omnia ſimul intelligeret die ac nocte, ideſt, continuè, &c.] Hæc Richard. Illa tamen ratio Hilarij, quam ſupra attigimus, in explicatione tituli, nihil vrget prædictam expoſitionem de Chriſto, quia quamuis ratione diuinæ naturę, nulli legi ſit ſubiectus, cum ſit legis auctor; at verò ſecundũ formam ſerui fieri voluit ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant redimeret. Quare vt homo, dicit, quod deſcendit de cœlo, nõ vt faciat voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris. Et ei dicitur; Factus obediens vſque ad mortem. Hoc modo optimè Chriſto competunt, quæ in hoc Pſalmo dicuntur.

VERSVS TERTIVS.

¶ *ET erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.*

APTISSIMA ſimilitudine, explicat, quæ dixit de viri iuſti fortunatione, comparans cum arbori fœcundiſsimæ, ſemper virenti, iuxta riuos perennium aquarum conſitæ, quę

tempore fructuum, ipſos profert, quam vberrimos, & præſtantiſsimos. Conferri homines arboribus, etiam Philoſophis placuit antiquis. Vnde quidam dixit; Hominem eſſe arborem inuerſam, quoad formam corpoream, & externam, ita vt caput cum crinibus, ſpeciem trunci cum radicibus referat, brachia,& crura, ramorũ ſint inſtar. Sed multo excellentius, quoad interiorẽ hominem, iuſtus, arboris pulcherrimæ ſemper frondentis, & fructiferæ, ſimilitudinẽ gerit, omnia enim, quæ huiuſmodi arbori conueniunt, iuſto homini accomodari poſſunt. In primis arbor ſeritur, ſeu plantatur, & eget aquarum irrigatione, atque cultura; ſic nemo naſcitur iuſtus, ſed fit per plantationem in feraciſsimo Eccleſiæ ſolo, per irrigationem diuinæ gratiæ, & cœleſtium donorum, accedente cultura propriæ cooperationis, cum diuino auxilio. Secundo; pars prior arboris deformis eſt, ſuperior pulchra. Iuſti pars inferior animæ, naturalem habet deformitatem cum ſit ad malum prona, & idcirco domanda, & deprimenda; Pars vero ſuperior rationis, qua Deum cognoſcit, amat, & ſe ſubijcit diuinæ legi, ſpecioſiſsima eſt. Tertio, radix vnde omnia trahit arbor latet & quo procerior arbor, eo radix profundior; iuſtus latibula quærit, hominumque conſpectum, & applauſum fugit, & quo ſanctior, eo humilior. Quarto, Arbor, ſæuiente hyeme, rigeſcit, nullamque oſtentat pulchritudinem, ſed adueniente vere reuireſcere, & floribus, pomiſque diteſcere videtur. Sic iuſtus in hac vita, quaſi mortuus, & obſcurus eſt, accedente tamen verè placidiſsimo, æternæ vitæ flores, & fructus eius pulcherrimi, apparẽt ingẽtium virtutum, & meritorum. Quinto, ex radice profluit cæterarum partium arboris virtus, varietas, ſpecioſitas; in iuſto ex chari-

charitate,quę cæterarum virtutum parens eſt,& origo, proficiſcuntur omnes meritorię cogitationes,& actiones. Sexto; Arbor quæcumque non ſibi, ſed alijs fructus profert: Virtus verò iuſti gratuita, atque perfecta, non ſuam, ſed Dei gloriam,& proximi vtilitatem quærit. Septimo; Arbor, quæ profundas radices agit, quibuſcumque ventis, imbribus, inundationibus reſiſtit, & invulſa perſiſtit: iuſtus in diuina gratia radicatus, & fundatus, non mouetur vllis aduerſitatis procellis, immò, quo magis impetitur, maiore meritorum robore ſolidatur. Octauo; vt in arbore inueniuntur folia, flores, fructus; ita in viro ſancto ſunt folia bonæ doctrinæ, flores ſanctarum cogitationum, & fructus bonorum operum: Tandem fructus maturi, in promptuaria, debito tempore,reconduntur: ſic iuſtorum opera,poſt mortem, æterna præmia conſequuntur; & in Dei horrea quaſi fructus dulciſsimi, nullo vmquam æuo corrumpendi, inferuntur.

ET quemadmodum hoc loco, & alijs Sacræ Scripturæ, iuſti, arboribus, & plantis fructuoſis, & odoriferis comparantur; vt oliuæ, palmæ, cedro, platano, roſæ, lilio, &c. Ita è conuerſo, impij, & nefarij, ſimiles efficiuntur rebus leuiſsimis, atque viliſsimis: tum etiam plantis,& arboribus infrugiferis,& ſenticoſis,vt paleæ, ſtipulæ, fœno, rhamno, ſpinis, &c. Propter malitiam operum, & nocendi alijs, animum, atque ſtudium.

¶ Hugo de Sancto Victore,in ſerm. de feſto cuiuſlibet ſancti, hanc collationem iuſti, cum arbore,ita explanat. Aquæ (inquit) dona ſunt gratiæ, quibus Deus iuſtum irrigat, vt creſcat, & fructum faciat. Decurſus aquarum, vices ſunt diuinarum inſpirationũ,fluit enim nobis

nobis Spiritus Sanctus, & defluit, accedit & recedit; Accedit, vt creſcamus, recedit ne ſuperbiamus, vt creſcamus in virtute, ne ſuperbiamus de virtute, propter gratiam abundantē: Radix arboris huius, eſt fides, quæ eſt fundamētum aliarum virtutū, & radix operum. Per iſtam radicem, iuſtus in Deo plantatur, ſine qua nullū fructum bonum profert. Sicut Apoſtolus ait: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Stirps, deſignat ſpem ſupernorum bonorum, per quam erigimur, & roboramur, à tranſitorijs ad æterna conſcendentes; Rami, charitatem inſinuant, quæ ſurſum erigitur per dilectionem Dei, & in latum extēditur, per dilectionem proximi; Medulla, quæ intrinſecus latet, occultam ſignificat cordis cogitationem; Cortex, qui patet, manifeſtam bonæ conuerſationis ſuperficiem; Intentio cordis, ad ſolam ſpectat conſcientiam; Superficies vero conuerſationis, etiam ad famam, & exemplum: Folia, quibus veſtitur, ſignificant bonam actionem, per quam iuſtus circumdatur & ornatur; Viror foliorum, ſignificat eiuſdē actionis perſeuerantiam & perpetuitatem; Flores, propter redolentiam, exprimunt bonam famam, iſtos flores habuit arbor illa frondoſa, & fructifera, quæ in cœlos translata, dixit, Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. Habet quoq; fructum lignum iſtud; habet fructum, intra, fructum extra, fructū ſupra, Intra, in animo per bonā conſcientiā, extra, coram proximo per bonā doctrinam, ſupra, in Deo per gloriā, &c.] Huc vſq; Hugo. Et quidē elegantiſsimè, quibus conſonant, aliorum Patrum interpretationes. Sed expendamus ſingula textus verba.

Hebr. 11. 6.

ET *erit.*) ET, Emphaticam particulam ait eſſe Genebr. ſignificantem idem, quod, ſanè. Vt quanta ſit iuſti fœlicitas declaretur. Alijs, eſt cauſalis dictio, ratio-

rationem reddẽs eorum,quę hactenus dicta ſunt. (*Erit*) Poteſt verti, fuit, vel eſt. Nam,vt diximus, Hebraicum idioma præſenti tempore caret; illudque deſignat per participium,& ratione litteræ Vau, ſeruientis,vt plurimum, præteritum vertitur in futurum, vt hoc loco etiã quo oſtenditur,non ſatis eſſe viro iuſto, fuiſſe,aut eſſe ad præſens,peccati cuiuſcumque expertem,& diligentem, ac ſedulum diuinæ legis amatorem,& obſeruatorem, niſi hanc æternet fœlicitatem, in iuſtitia ſemper perſiſtens. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem,hic ſalvus erit. *Matt.* 10 22.

TAmquam lignum.) Lignum pro arbore cõmuniter vertit noſter Interpres. Hebraicè GHETS. Propriè apud Latinos,eſt id lignum,quod iam exciſum,aut avulſum eſt, ſiue ſit adhuc virens, ſiue aridum, in qua ſignificatione, intelligi poteſt,quod Chriſtus de ſe dixit. Luc.23. *Si in viridi ligno,hæc faciũt,in arido quid fiet?* *Luc.* 23. 31. Quaſi dicat:Si in me,qui ratione gratiæ,tamquam viride lignum ſum, ita exarſit diuinæ iuſtitiæ ignis, quid erit cum in peccatores, qui ſunt veluti lignum aridum gratiæ virore carentes,ſæuiet?] Ita Beda. Quandoque lignum apud auctores Latinos pro arbore ſumitur, vt apud Virgil. 2. Georgic.

Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſama?

QVOD plantatum eſt.) Hebr. SATHVL, Aquila, vt teſtantur Origen. & Ambroſ. vertit; *Tranſplantatum eſt*.Quo etiam modo Hieron. in Pſalt.ex Hebræo. Similem huic ſententiam, & metaphoram, legimus apud Ieremiam, cap. 17. vbi poſtquam hominem *Iere.* 17. 8. impium,& diuinæ legis violatorem comparauerat myricæ, virgulto viliſsimo & infrugifero, poſito in terra

deſerta

deſerta, & ſterili, omnique humore deſtituta, hæc ſubdit: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humores mittit radices ſuas, & non timebit, cum venerit æſtus, & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis, non erit ſolicitum, nec aliquo modo deſinet facere fructum.* Certè hic locus Ierem. velut paraphraſis eſſe videtur Dauidicæ ſimilitudinis, vtrobiq; eſt idem verbum, S A T H V L, quod ſatis aptè ad rei de qua agitur explicationem, poſitum eſt. Solét enim arbuſta omnia præſertim, quæ plantata ſunt in terra arida, & ſalſuginoſa, ſi transferantur in terram bonam, optimè cultam, & irriguam, reddi fructifera, florida, & expanſis ramis, ac folijs virentibus, pulcherrima. Eodem modo homines, qui ſunt natura filij iræ, ſteriles, aridi, peccatorũ ſpinis horridi, nullum veræ virtutis fructum emittentes, translati tamẽ per baptiſmum in regnum Eccleſiæ, irrigatique cœleſtibus fidei, & gratiæ fluentis, dici non poteſt, quãtum in omni virtutum genere, efflореſcant, atque fructificent. Origenes cenſet hanc tranſplantationem fieri cum vir iuſtus, ſeſe accommodat, & tranſfert ad proximorum vtilitatẽ: Qui in parte (inquit Origenes) radices egit, ob multorum beneficium, tranſplantatur, vt alij quoque participes fiant illius imaginis, quæ dum tranſplantatur, accipitur. Non quod non ſit in parte, adeſt enim perpetuo, ſed vt apud alios etiã ingeneretur.] Congruit, & plantatio, & tranſplãtatio viro iuſto; plantatio quidem cum in Dei gratia conſtituitur, cuius plantationis auctor, & agricola, Pater cœ-
Matt.15. leſtis eſt, vt Chriſtus ait, Matth.15. *Omnis plantatio, quã non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Quod de plantatione æternæ prædeſtinationis, potiſsimũ intelligi debet: tranſplantatio verò competit, cum Dei ſeruus, ad meliora

meliora vota tranſit, vt ad cælibatum, & religioſorum ordinem, &c. Qui ſunt veluti horti amænisſimi, & feracisſimi, cœleſtis doctrinæ, & bonorum ſpiritualium rivulis affluẽtes, vt in eos translatæ, rationales arbores, fructũ reddant, nõ ſolum trigeſimum, & ſexageſimum, ſed etiam centeſimũ, hoc eſt, perfectisſimũ. Euſeb. Cęſarien. asſerit tranſplantationem viri iuſti fierĩ, cum ex prętentis vitæ ſtatu, in æternæ vitæ regnũ transfertur, vbi perẽnes ſunt, & numquã defecturi, aquarum gloriæ tàm animæ, quàm corporis decurſus, & impetus fluminis, qui lætificat ciuitatem Dei. Qui beatus (ait Euſeb.) dicitur ex hac mortali vita tranſplantatus, pollicitationem habet, ſe fore in paradiſo Dei, vt lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.

¶ *SECVS decurſus aquarum.)*

HEbraicè, GHALPALGVE MAIM, *iuxta rivulos, ſeu diuiſiones aquarum.* Verbum, Palag, ſignificat, ſcindere, diuidere: conuenit flumini, cum abruptum rapidumq; in multos rivulos, ſeu alueos diuiditur, ac diſtrahitur. Vnde *Palgue*, fluenta, ſeu rivuli, ab originali fonte, vel flumine diuiſi, ac deriuati, quibus horti, & arbores irrigantur. Per hos aquarum decurſus, ſignificantur (vt omnes Patres exponunt) vel Sacræ Scripturæ, in quibus traduntur fidei, & doctrinę ſupernaturalis dogmata; vel dona Spiritus Sãcti; aquarum nomine pasſim in ſacris litteris nuncupata. Annotat Casſiodor. conuenienter dictum fuiſſe: Secus decurſus aquarum; Quia propinqua decurſio aquarũ, facit ne vel nimia inundatio lædat, vel irrigatio procul conſtituta non proſit: hæc enim duo nocere arboribus ſiue plantis ſolent, quod vel nimia irrigatione obruuntur;

Palgue: Vnde nomen Græcum, pelagus pro vi aquarũ maxima, fortè deductũ eſt.

tur, vel aquæ inopia exareſcunt. Quamobrem iuxta arboris radicem decurrentes rivuli perenniter, vires illi ſufficiunt ad germinandum, frondeſcendum, & flores ac fructus vberrimos producendum. Hugo Victorinus (vt ſuperius citauimus) aliter exponit hos decurſus aquarũ. Vt ibi videre eſt. Singularis eſt D. Ephræm Syri expoſitio, per decurſus aquarum intelligentis, lachrymarum copiam, ex intimo animi affectu manantium, quibus piȩ mentes irrigantur, & fœcundãtur. Sanè lachrymarum donum, eximium eſſe, vimq́ue habere maximam ad animam purgandam, illuminandam, impinguandam exploratum eſt. Vide D. Bernard. in lib. de benè viuẽdo ad ſororẽ. ſer. 10. qui eſt de cõpunctione.

¶ *QVOD fructum ſum dabit in tempore ſuo.)*

PER fructum, omnes Patres interpretantur, bona opera, & actiones meritorias, quæ in hac vita proferuntur, & matureſcunt tãquam fructus ſpecioſi: in æterna tamen vita colliguntur, atque inceſsabili cum dulcedine comeduntur. Iſai. 3. *Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum ad inuentionum ſuarũ comedet.* Pſal. 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit.* Quæ loca intelligi debent de æterna beatitudine, in qua iuſti ſuorum operũ fructus, perfruentur. Vnde beatitudo conſumata, quæ in cœleſti gloria obtinetur, fruitio appellatur. Fructus autem dicitur, à fruendo.

Iſaias. 3. 10.

Pſal. 127. 2.

¶ Animaduertit D. Bernard. non perperam dixiſſe Prophetã; *Fructuum ſuum*, ſunt enim qui proferant fructum, ſed non ſuum, vt hypocritæ, ſimiles Simoni Cyrenæo, qui crucem geſtauit, nõ ſuam: Pari modo hypocritæ, tãquam à mundo angariati, cuius recipiunt mercedem, omnia bona faciunt, vt videãtur ab hominibus.

Serm. de S. Benedicto.

Quam

Digitized by Google

Quamquã verò fructus arboris primo,& præcipuè proficiſcitur ab aquarum cõtinua irrigatione; nihilominus vero,arboris proprius dicitur,quia ab ipſo producitur: ita fructus bonorum operum,primo,& principaliter eſt â diuina gratia, ſed noſter dicitur, quia à nobis editur, diuinæ gratiæ cooperãtibus. Quare Chriſtus,Ioan.15. *Sed ego elegi vos,* (inquit) *& poſui vos vt eatis,& fructum afferatis,& fructus veſter maneat.* ¶ *Dabit.* Idẽ eſt,quod proferet, diciturq́; terra nõ impropriè dare fructum,vt Geneſ.4. & Pſal.84. Quare non videtur ad rem facere obſeruatio Origenis, quam etiã indicat Hilarius, quod ferre fructũ, propriè competit arboribus,dare hominibus. Chald. *Cuius fructus matureſcet in tempore ſuo.* *Ioan.* 15. 16. *Geneſ.* 4. 12. *Pſal.* 84. 13.

I*N tempore ſuo.*] Poteſt ad præſens ſæculum,& ad futurũ referri. Origen. & Euthym. de præſenti interpretantur; *In tempore ſuo*: Ideſt,tẽpore opportuno,quotieſcumq́; ad Dei gloriam, & aliorum vtilitatem oportebit. Eſt autẽ tempus iuſto,ad fructus ferendos bonorum operum totius vitæ ſpatium, ab eo momento, quo affulget illi rationis vſus,vſque ad extremum ſpiritum. 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies ſalutis , in omnibus exhibeamus nos metipſos , ſicut Dei miniſtros, in multa patientia,&c.* Galat.6. 10. *Ergo dum tempus habemus operemur bonum.* Chriſtus etiam, præſentis vitæ tempus, quod diei comparauit , dicit eſſe opportunum ad bene operandum : quo tranſacto, non eſt operandi facultas. Ioan. 9. 4. *Operamini* (inquit) *dum dies eſt , venit nox , quando nemo poteſt operari.* Quemadmodum ergo arbores videmus veris, & æſtatis tempore , flores , & fructus ſuos edere ; hyeme vero aduenienre , nullum germinandi tempus eſſe , ſed ſolum legendorum, ac recondendorum fructuum : ita dum viuimus, vernum nobis , æſtivumque tempus diuinarum miſera- *2. Corin.* 6. 2. *Galat.* 6. 10. *Ioan.* 9. 4.

miſerationum, atque irrigationum, & influxuum ſpiritualium ſuppetit, ad ſpirituales, & meritorios fructus producendos; cum vero ſæuæ mortis hyems aduenerit, nullus iam merendi locus relinquitur, neque bene operãdi. Ex dictis colligere licet, cur Chriſtus, Luc. 19. arefecerit ficum, in qua folia ſolummodo inuenerat abſque fructu, & ſi eius nõ eſſet ferendi tempus. Nempè, vt intelligeremus; nullum tempus in hac vita ſine fructu eſſe debere, quia omni tempore edi à nobis poteſt per Dei gratiam, quæ ſemen eſt. Quamuis ſint aliqui bonorum operum fructus tempeſtiui, qui pro certo tempore, alijſque circunſtantijs loci, perſonarum, &c. ſunt ferendi; provt Chriſtiana charitas, & prudentia dictauerit. Sed generaliter loquendo, nullum eſt tempus, tam diurnum, quam nocturnum, quod in ſanctis operibus inſumi non valeat.

Luc. 19.

Cur Chriſtus arefecerit ficũ.

¶ Plurimi ex Patribus, tam Græcis, quam Latinis, hoc tempus producendi fructum, aiunt eſſe in futuro ſæculo, quando merces iuſtis redditur; in præſenti vita fructuum ſpem quãdam, veluti folia ſolum, haberi. Audiamus inter reliquos Patres, Nicephorum Blemmidã: Qui bonus eſt (inquit) ille firmis radicibus ad diuinarũ doctrinarum fontes conſtitutus, tamquam folia quædam, ſemper florẽtes poſsidet virtutes, vel ſpem, foliorum nomine ſignificatam intelligimus. Illo autem tempore cum merces ipſa reddenda erit, ſe laborum ſuorũ fructus produxiſſe cognoſcet.] Superior expoſitio magis placet, cum Paulus fructus ſpirituales, & incremẽta frugum iuſtitiæ in hac vita eſſe fateatur.

Euſebius. Baſilius. Theodor.

¶ Patres plurimi docent Prophetã hac ſimilitudine, ſignificare voluiſſe, lignum vitæ in paradiſi medio collocatum, perpetuis, ac copioſis aquis irrigatum; nullo tẽpore infrugiferum, verũ per menſes ſingulos fructum

faciens,

Digitized by Google

faciens, cuius folia ad ſanitatem gentium, vtilia ſunt. Vt Apocal. 22. habetur. Fauet Chald. ſic transferens. *Et erit tamquam arbor vitæ, quæ plantata eſt, ſecus fonticulos aquarum.* In ſenſu tropologico, lignum vitæ, vir iuſtus eſt, in paradiſo Eccleſiæ plantatus; qui nullo tempore meritorium fructum edere deſinit: Vel per duodenarium fructum, intelligitur vniuerſitas meritorum; quibus ſeruorum Dei opera exornãtur: Eius folia, eloquia videlicet, & exhortationes, ad ſanitatem ſpiritualem aliorum, valdè conducunt. Irrigatur ſiquidem fluuio aquæ viuæ ſplendidiſsimo, procedẽte ex ſede Dei, & Agni, hoc eſt, fluentis diuinæ gratiæ, & doctrinæ; à Chriſto promanantibus: de cuius plenitudine nos omnes accepimus.

VERSVS QVARTVS.

¶ *ET folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.*

SINGVLARE poſitum pro plurali. Quaſi dicat; Nè vnum quidem ex eius folijs decidet. Vt Luc. 21. *Capillus de capite veſtro non peribit.* Alia translatio, teſte Euſebio, habet in plurali, vt etiã Ioan. Campenſ. (*Non defluent.*) Hebr. LOIBOL, propriè, non areſcet, non marceſcet, à verbo NABAL, quod ſignificat decidere, cadere, præ ſenio, aut imbecillitate. Et in coniugatione PIHEL; abiectum eſſe, ſtultum reddi. Vnde Nabal, ſtultus, ſeu abiectus. Senſus ergò eſt; Tantus erit talis arboris vigor, vt eius folia, nec ab imbecillitate decident, nec ab anoſitate, aut

Luc. 21. 18.

Digitized by Google

humoris defectu, areſcent: ſed vegeta, viuida, virentia, permanebunt. Hac deſcriptione patet non indicari, quamlibet arborem, ſed quæ, & fructus pulcherrimos proferat, & folia perpetuò retineat. Qualis eſt palma, & oliua, quibus potiſsimum in ſacris litteris, iuſti com-
Pſal. 91. 13. parantur. Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit*. Pſal. 51. *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei.* Arias Montanus
Pſal. 51. 10. in ſuo Poëmate ſuper Pſal. Oleam cenſet notari, dicens in hunc modum:

Ille eſt, quaſi oleæ genus
Vt ſtirps ad placidi conſita fluminis
Ripas, quam vitreus petit
Permixta & ſaturat temperie liquor.

¶ Eleganter ſatis, & meo iudicio valdè probabiliter. Olea enim arbor eſt humilior, & opacior, quam palma, cedrus, cypreſsus, & aliæ id genus: abundat baccis, etiam in inferioribus ramis, eſt & ſymbolum pacis, cõcordiæ, ſpei, manſuetudinis, miſericordiæ, de quibus Pieri. Valerian. lib. 53. de olea. Quamobrem, cum hoc Dauidis loco, agatur de viro iuſto, in præſenti ſæculo virtutum fructus faciente; probabile fit, eum cum olea comparatum fuiſſe. Palma autem procera eſt valdè, ita vt fructum habeat in vertice, & ad ipſum legendum magno, propter aſcenſum, labore, opus ſit, Hieroglyphicum eſt æternitatis, & victoriæ, vt idem inquit Pierius. lib. 50. Vnde potius exiſtimo, eius ſimilitudinem, ad ſtatum æternæ vitę ſpectare, tunc enim laborum fructus, æterna diuinæ viſionis fruitione comeduntur, & ſancti amicti ſtolis albis palmas in manibus geſtant, victoriæ ſuæ triumphum celebrantes, Huc referri videtur,

Digitized by Google

tur quod dixit Sponſa Canticor. 7. 8. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Quem locũ de aſcenſu Eccleſiæ, & cuiuſuis animæ fidelis, ad bravium gloriæ cœleſtis, interpretantur Theodoret, & Ambroſ. Canti. 7. 8.

¶ Iam, quid folia, ſemper virentia ſibi velint, variè loquuntur interpretes. Alij dicunt, folia denotare externa negotia, bona temporalia, & naturalia, & communes actiones indifferentes, quæ in hac vita à Dei famulis exercentur, citra diuinæ legis offenſam. Ita Origen. & Euſeb. Alijs vt Hieronymo, Auguſt. & Caſsiodoro, folia ſunt verba Dei, & exhortationes cœleſtis doctrinæ, quibus iuſti, in ſe ipſis, virorem quemdam habent ſanctitatis; & maximo ſunt aliorũ vſui, & oblectamento. Nonnulli per folia virẽtia, intelligunt, ſpem viuam æternæ beatitudinis. Viror, ſpei conuenit, quæ vt Paul. ait, *Non confundit.* Quidam humilitatẽ. Quia quemadmodum folia fructus protegunt, & conſeruant; ita humilitatis beneficio, virtutes cæteræ conſeruantur, & defenduntur. Alij denique ad bonam famam referunt, quæ efficit, vt fructus bonorum operum, ſani, & integri conſeruentur; & ne putreſiant. Omnia hæc cõueniunt iuſto; apud quem nihil eſt vacuum, nihil otioſum, nihil deforme, omnia vtilia, omnia pulcherrima, omnia Deo gratiſsima. Vt ſtatim videbimus. Legitur in Ezechiele: ſimilitudo eadem, præter eam, quam attulimus ſuperius, ex Ierem. loquẽs enim Spiritus Sanctus per Ezechiel. cap. 47. de homine iuſto, ſub eadem arboris parabola, ad ripas vberrimi fluvij plantatæ, ita ait: *Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per ſingulos menſes afferet primitiua, quia aquæ eius de ſanctuario egredietur, & erunt fructus eius in cibũ, & folia eius ad ſanitatẽ.* Quæ verba D. Hieron. explanans docet veram ſapientiam, lignum eſſe illud; quę cum in S. Scrip- Ezec. 47. 22.

tura nobis oſtendatur, folia habet ad ſanitatem,& fructus ad cibum. Folia pertinent ad litteram, fructus ad ſpiritum. Vt verba (inquit) ſimplicia intelligamus in folijs, in fructibus vero ſenſum latentem. Sicut enim ſcientia Scripturarum, ducit ad regna cœlorum,& prębet nobis panem, qui dicit: *Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi.* Sic folia eius moralem doctrinam continent, & tribuunt ſanitatem, vt peccatorum curent vulnera, &c.]

¶ Notandum, nullam his locis florum fieri mentionem, quia fructuum nomine comprehenduntur. Flores enim non propter ſe producuntur, ſed propter fructus; quibus editis, non manent; folia autem ſemper manēt, tamquam neceſſaria ad cuſtodiam frugum, ad ornamētum arboris, ad vmbrā quieſcentium ſub ea; & æſtuantium viatorum. Notandum item plurimas eſſe arbores etiam in Scriptura Sancta, celebres, habētesque perpetuo virentia folia, vt cedrus, platanus, cypreſſus, laurus, pinus, buxus, therebintus, &c. Sed cum fructum eſui hominum vtilem, & gratum non ferant, nulli earum ſimilitudo accommodari poteſt, ſed vel palmæ, vel oleæ, vt diximus.

¶ *ET omnia quæcumque faciet proſperabuntur.*

ALIQVI, vt Ianſen.& Geneb. exiſtimāt, hæc verba, iam nō ſpectare ad parabolā arboris, ſed eſſe verba in ſenſu proprio accipienda, de operibus viri iuſti. Ratio horum auctorum eſt; Quia arboribus non eſt propriū facere, ſed ferre, homines autē, & intellectuales creaturæ, verè & propriè dicūtur facere. Fauet Hebræi. lectio, quę habet: *Omne quod faciet, proſperari faciet.* TSALAHH, enim ſignificat, proſperare, vtile eſſe, proficere,

ficerẽ,& in cõiugatione HIPHIL, proſperari facere. Quod videtur non poſſe conuenire, niſi rebus intellectualibus. Accedit, quod teſte Ambroſ. Aquila vertit; *Dirigentur*. Et Hilar. legit; *Bene dirigentur*. Vnde Arethas colligit, non de ligno, ſed de viro ſancto locum hunc intelligi, iuxta illud Pſal. 36. *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, &c.* Sed placet magis communior opinio, eſſe verba ad metaphoram ſpectantia, ipſamque concludẽtia. Probatur primo, Quia omnia ferè exemplaria, tàm Hebraica, quàm Græca, & Latina, verba iſta cum præcedẽtibus coniungũt. Deinde, Quia Chald. ita vertit: *Et omne germen eius, quod germinat granefcit, & proficit.* Tertio, Quia ſimilitudo ſpecioſæ arboris, qualis hic deſcribitur, his verbis; Et multò pulchrior plenior, & perfectior fit, quam ſi ſolum de ea diceretur, quod irriguis aquis abundat, folijs vireſcit, fructibuſque decoratur: Concluditur enim comparatio; nihil denique eſſe in ea arbore, quod non ſit pulchrum, vtile, proficuum; Nec vlla eſt improprietas, quod facere de arbore dicatur: Bona enim arbor, bonos fructus facit, & omnis arbor facit fructum ſecundum genus ſuum. Nec inconuenit, verbum Hebræum IATSLIAHH, proſperari faciet, aut proficuum reddet. Quia ſignificatur virtus natiua arboris, ex radice procedẽs, ad germinandos ramos, ad proferenda folia, ad emittendos flores, ad maturandos fructus; & denique ad debitam partibus omnibus perfectionem tribuendam. Dicitur autem præſtantiſsimo modo, de viro iuſto; *Quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Roman. 8 Omnia (inquit) tam vota, cogitationes, affectus, deſideria, quam voces, ſuſpiria, verba, quã etiam actiones, & opera quæcumque, illi ſuccedunt proſperè, cum augmentum gratiæ, & virtutum merita acquirat

Pſal. 36. 23.

Matth. 7.

Geneſ. 1.

Rom. 8.

Digitized by Google

acquirat. Etiam peccata, vt D. Auguſt. ait, præſertim prædeſtinatis cooperantur in bonum, cum ex peccatis diuina ope ferventiores aſsurgunt, ad maiores in Dei obſequio progreſſus faciendos. Pſal. 36. *Apud Dominũ greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.*

Pſal. 36. 23.

Plenæ ſunt Sacræ Scripturæ, promiſsionũ, & exemplorum de huiuſmodi vera,& omnimoda iuſtorũ proſperitate,quæ longiſsimum eſſet recenſere. Sed quid ni omnia,quæ iuſtus faciet proſperāda erunt; & æternum gloriæ pondus,etiam pro minimo labore habitura? Cũ nullus eius capillus periturus ſit; ſed in maximo à Deo pretio habendus. Quin etiam poſt eius obitum, corporis oſſa, cineres, veſtitus, reliquiæ tanta vi polleant,vt maxima edant miracula in vtilitatem,& ędificationem. Arbores experimur eſſe in aliquibus regionibus, tam ſalutares, & hominum vſui conducibiles, vt etiam earū n cortices plurimum vtilitatis afferant. Excellētius multò viro iuſto nihil non eſt vtile,& proficuum,etiam eius cortices, ideſt, corpus, veſtis,& id genus alia, admirabiles operantur ſanitates, & innumerabilia conferunt beneficia. Id præter luculentiſsima exempla, quæ in ſacra Pagina continentur, videre eſt apud eos, qui ſanctorum vitas, ſeu hiſtorias conſcripſerunt, vt Lipomanum, Surium, Divum Antoninum, & alios.

ALLE-

Digitized by Google

ALLEGORIA DE CHRISTO.

QVÆ dicta hactenus ſunt de viro iuſto, allegoricè ab omnibus Patribus, Chriſto, totius iuſtitiæ, & ſanctitatis auctori, totiuſque Eccleſiæ capiti, adaptantur; ipſi enim præcipuè, & eminenter conveniunt. Vt docent fuſiſsime ſacri interpretes; Nos vero quamvis ſuperius, nonnulla diximus, nūc breuiter reliqua attingemus in hunc modum. Chriſtus, qui ratione humanæ naturæ in Sacra Scriptura, arbor, ſeu lignum vocatur, plantatus fuit à Patre æterno, totaque Trinitate, tamquam agricola, per vnionem hypoſtaticam cum Verbo divino, qui fluvius eſt perennis, & infinitæ bonitatis, æternaliter à Patre procedens; ex hac plantatione ſortita eſt ſacroſancta humanitas, ab inſtanti conceptionis, mirabiles, atq; perpetuos aquarum decurſus, beatitudinis, ſcilicet, eſſentialis, plenitudinis gratiæ, ſcientiæ, aliorumq; Spiritus Sancti donorum, & chariſmatum, quę animę eius, ineffabili ratione fuerunt collata. D. Auguſt. Decurſus aquarum in Chriſto, dicit fuiſſe tormenta, labores, & dolores, quos propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, perpeti voluit. Aquarum nomine in Sacra Scriptura, calamitates, & afflictiones ſignificari cōpertum eſt. Vel decurſus aquarum, vt placet D. Gregorio Magno, ſunt gentes multæ, quæ per Euangelij prædicationem, Chriſtū agnouerunt, iuxta illud Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi.* In his plantatus, & radicatus Chriſtus mirificè germinauit folia fidei, flores ſpei, & fructus charitatis producens. (*In tempore ſuo.*) ideſt,

Aquarū, varia ſignificatio.

Apoc. 17.

Roman. ſecundum Paulum, cum venit plenitudo temporis, ſcilicet, legis gratiæ, hoc enim tempus erat fructibus à
Ioan.10. Chriſto ferendis opportunum. *Ego veni* (inquit) *vt vi-*
10. *tam habeant, & abundantius habeant.* Fructus enim huius arboris ſunt gratia, vita, & bona ſpiritualia, quæ contulit nobis abundantiſsimè. Tempus veteris legis fuit tempus ſterilitatis, tempus frondium, tempus vmbræ ſolummodo, figurarum, & cæremonialium præceptorum, non fructuum gratiæ, & veritatis, vt Paul.
Hebr.10. ſcribit ad Hebr. 10. 1. *Vmbram habens lex futurorum*
1. *bonorum non ipſam imaginem rerum.* Fructus vero producendi tempus, fuit Chriſto adueniente, qui ab ipſomet inſtanti beatiſsimæ conceptionis ſuæ, cæpit flores, & fructus gratiæ, & bonitatis ſuæ mirabiles emittere. Vel in tempore ſuo, hoc eſt, in tempore crucis, & paſsionis (vt plurimi exponunt) quod tempus ſuum, ipſemet Chriſtus appellabat. Tunc enim pretioſiſsimos edidit fructus noſtræ redemptionis, & iuſtificationis: inſtituens ſeptem Sacramēta, quibus nobis paſſionis ſuæ virtus infinita communicatur. Folia huius diuini ligni, fuerunt doctrinæ, vel fidei dogmata, & circa cœleſtia, quæ hominibus patefecit. Hæc folia, neque à veritatis firmitudine decident, neque ſilentio marceſcent, ſed ſemper virebunt, per prædicationem Apoſtolorum, & ipſorum ſucceſsorum, vſque ad conſummationem ſeculi. Vel per folia intelligi poteſt, eius oratio, & deprecatio, quæ numquam inanis fuit, ſed
Ioan.11. ſemper efficax. Vt ipſe ait; *Pater, gratias ago tibi, quo-*
42. *niam audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Quidquod, quæcumque in eius nomine, à fidelibus depoſcuntur, ſemper à Patre concedi, nonne eſt eius promiſsionis ſummè vigens, atque indeficiens viror? Diuus Chryſoſtomus hac de re ita philoſophatur: Ramos (inquit

(inquit de Chriſto) habet Apoſtolos; fructus, eos, qui ſalui fiunt: foliorum comam, orationes: Radicem, baptiſmum: Agricolam, Patrem, qui ipſum ſupra, & infra, abſque interceſſore peperit. Vis etiam videre eius fructum, quem dedit in tempore ſuo? Vide eum crucifixum, & latus eius conpunctũ, à quo ſanguis, & aqua ſcaturijt. Sanguis quidem ad repræſentandum martyrium, aqua vero, in ſignum baptiſmi. Quoniam enim compunctum latus Adam ſupplãtauit, neceſſario punctum quoque latus, eum regenerauit.] Tandem proſperitatem operum Chriſti, quæ vox? quæ lingua? Quis intellectus, etiam Angelicus, poterit pro dignitate eloqui, explicare, aſſequi, ſiue eius miraculorum magnitudo ſpectetur, ſiue myſteriorum profunditas, ſiue Sacramentorum vis, & efficacitas, ſiue doctrinæ maieſtas, & veracitas, ſiue Eccleſiæ ſtabilitas, & pulchritudo, ſiue denique omnium ſuorum præceptorum, & conſiliorum ſapientiſsima diſpoſitio? Hanc proſperitatem prædixerat Pater æternus, Iſai. cap. 55. 10. dicens: *Et quomodo deſcendit imber de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumq; volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Hæc de Chriſto eſſe interpretanda, ſcribit Hierony. in hunc locum, & de eius ineffabili proſperitate, in Patris voluntate adimplenda, circa opus redemptionis humanæ, & fundationis Eccleſiæ; quam proſperitatem deſcribit ſtatim Iſai. ſub metaphoris, quæ ſequuntur, explicantibus indicibile gaudium, pacem, ſpiritualem fœcunditatem fidelium.

Iſai. 55. 10.

¶ VER-

VERSVS QVINTVS.

¶ *Non ſic impij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.*

HÆC pars ſecunda eſt Pſalmi, in qua Propheta deſcribit miſerandum,& infœlicem impiorum, & flagitioſorum hominum ſtatum, quorum diſsimilis eſt valdè viuendi ratio,& inſtitutum, cum nullum bonorum operum fructum, nullos virtutum flores nulla doctrinæ cœleſtis folia producãt, ſed inſtar glumæ, viliſsimique pulueris à vento agitati, in nihilum redigantur, *Non ſic impij non ſic*; Verba repetita *(Non, ſic)* & illa in fine verſus *(à facie terræ.)* Non ſunt in textu originali, ſunt tamen in exẽplaribus Græcis LXX. interpretum, tam iuſsu Sixti V. recognitis,& impreſsis, quam etiam in Biblijs Complutenſibus, & Regijs, & deniq; in noſtra Vulgata emendata. Quamobrem Lipomanus exiſtimat appoſita fuiſſe à LXX. interpretibus ad maiorem ſententiæ explicationem. Sed contra eum militat auctoritas Græci Scholiaſtis affirmantis non inueniri illam *Epizeuxim*, in Græcis exemplaribus L X X. apud Origenis Hexapla:immò D. Hierony. ſeu auctor Cõmentariorum in Pſal. D. Hieronymo adſcriptorum, in hunc locum ſcribit, dictam repetitionem nõ legi apud LXX. Quamquam Hexapla Origenis in Cæſarienſi Bibliotheca legens, ſemel ſcriptã, repererit. At verò, licet non conſtet apertè, quo pacto dicta verba in textum irrepſerint, ad eum proculdubio pertinent, & ſicut à Spiritu Sancto dictata, ſunt retinẽda, ac veneranda, nec ſuperuacanea eſſe cũ Eugubino

Digitized by Google

dici debent, deſeruiunt enim, vt Baſil. & Theodoret. docent ad maiorem exaggerationem, dum per geminationem eiuſdẽ negationis, quam magna ſit inter iuſtos,& impios differentia,oſtenditur D. Ambroſ. eamdem fere reddens rationem: Ideo (ait) repetiuit, vel, qui ſcripſit,vel,qui poſtea addidit,vt quidã putant,quo confirmatior fieret, repetita ſententia, dicens; *Non ſic impij, non ſic.* D. Tho. ita gloſſat: Non ſic impij in hac vita, non ſic in futura vita, Quia iuſti duplici fœlicitate fruuntur; In hac vita in ſpe, in futura in re; ſiue in hac vita per meritum, in futura per præmium. Hoc loco negatio duplex additur, vt duplex iſta fœlicitas impijs deeſſe appareat.

¶ *SED tamquam puluis.)*

HEbraicè, MOTS, ſignificat paleam leuiſsimam, quiſquilias, glumam, quæ à vento facile propellitur,& diſpergitur: Merito,inquit Ruffinus Aquileiẽſis, impius, & peccator pulveri confertur, quia peccãti à Deo dictum eſt; Pulvis es, & in pulverem reuerteris. Elegans profectò antitheſis in hac ſimilitudine elucet; nihil enim magis contrariatur arbori frondoſæ expanſæ, iuxta aquas conſitæ, in terra altis defixæ radicibus, vberrimos fructus emittenti, quam puluiſculus leuiſsimus, aridus, in terræ ſuperficie poſitus,nulli vſui vtilis, à vento quolibet agitatus. Arbor grauis eſt, & ſolida, puluis tenuis,& inanis;illa ſtabilis,terræque infixa,hic, mobilis,& diſſipabilis,arbor fertilis, puluis ſterilis;illa ſublimis,& cœlum verſus erecta; hic humi iacens, pedibus hominum, iumentorumque conculcatur; arbor frugifera eſt,& non ſolum fructuum pulchritudine,ſed etiam foliorum viriditate,intuentium oculos oblectat, puluis nullum affert commodum, aut fructum, ſed potius

tius à vento agitatus oculos obcæcare ſolet. Vnde facilè licèt colligere, quam ex diametro impij, viris iuſtis aduerſentur.

VENTVS.] Hebraicè, RVAHH, ſpiritus, aër, ventus. Secundum Euthymium, dæmonem ſignificat, qui malignis tentationum flatibus, improbos in omnia flagitia impellit, & permovet.] Et pro impio, hoc eſt, hæretico, & infideli proprius convenit, ſecundum Hiero. Nam quemadmodum pulvis huc illuc diſpergitur, numquam in vno loco eſt, quocumque eum ventus traxerit, illuc eius impetu dirigitur; ita impius, qui ſemel Deum negauerit, quocumq; illum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.] Similiter exponit Dydimus, ita ſcribens: Ventum, quo impij exturbantur, puniunturque Angelum eſſe: necnon doctrinæ occaſionem in errorem illos inducentē, vt qui ab omni doctrinæ vento circumferantur in nequitia hominum, & verſutia.] D. Auguſt. ventum dicit eſſe ſuperbiam, quæ inflat, & hominem impium tamquam leuem ſtipulam propulſat, à facie terræ, hoc eſt, à ſpe regni cælorum, in quod non niſi parvuli ingrediuntur; eſt enim terra viuētium, in qua ſe habere portionem aiebat Dauid, quia humilitatis habebat ſtabilitatem, & idcirco orabat; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, &c.* D. Gregor. lib. 11. moral. cap. 17. ſic interpretatur; Quantumlibet impius pro facienda ſui nominis gloria elaboret, memoriam ſuam quaſi puluerem ponit, quia hanc citius ventus mortalitatis rapit. Quod contra de iuſtis ſcriptum eſt: *In memoria æterna erit iuſtus.*] Hæc Gregor. Quibus innuit ventum à facie terræ impios propulſantem, Iob. 7. 7. eſſe mortis neceſsitatem, quam vento comparabat Iob dicens: *Quia ventus eſt vita mea.* Pulverem eſſe mundanam

danam gloriam, ad quam improbi anhelant, & ſtatim euaneſcit. Quemadmodum, quæ in puluere figurantur, ſeu ſcribuntur, protinus à vento diſijciuntur, & delentur; ita omnis malorum gloria, tamquam imago puluer i impreſſa, mortis vento deleta, in nihilum redigitur; quia præterit figura huius mundi, nihilque ea excogitari poteſt vanius, aut inſtabilius. D. Thom. eleganter explicans hanc antitheſim, dicit; Ventum eſſe tribulationẽ, quæ facillime malos proijcit à facie terræ, ideſt, bonis ſuperficialibus, quia tribulationis impetus, ita eos exagitat, & ad vitia præcipitat, vt nec aliquam virtutis ſpeciem, præ ſe ferre videantur. Peculiaris videtur D. Ambroſij expoſitio, per ventum intelligi Spiritum Sanctũ. Sunt (inquit) terreni, & ſicut pulvis proijcitur à facie venti; ita, & iſti proijcientur, & diſsipabuntur à Spiritu Sancto, qui terræ fertili, atque fœcũdæ animę ſalutaris, ſicut ventus auſter aſpirare conſueuit; ſed tunc iſte ventus aſpirat, ſi boreas, ille grauis ventus flare deſierit; ideo vel Eccleſia, vel anima pia dicit: Tu borea recede, & veni auſter, aſpira hortum meum, &c.] Ita ille animaduertens, quod ſicut dęmon in Sacra Scriptura comparatur boreæ, ſeu Aquiloni vento frigidiſsimo, & nocentiſsimo, ita Spiritus Sanctus aſsimilatur Zephyro, ſeu Auſtro, leni, placido, & valdè proficuo; cuius flatu, arbores vegetantur, & fœcundãtur. Ergo ſicut pulvis leuiſsimus, & tenuiſsimus, quouis vento quantumvis leni agitatur, & proijcitur; ita impij ſuamet operãte malitia, & proteruia, à Spiritu Sancto reiecti, tamquam eius donorum incapaces, in omnia ruunt ſcelera: *Spiritus enim Sanctus* (vt eſt in lib. Sapien. 1
Sapient. cap. 1.) *diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à* 5.
cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate, &c.

¶ Sunt

SVNT, qui hanc ſimilitudinem perfidis, & impijs Iudæis accomodant, vt Euthym. Heſich. Auguſt. Lyran. Quia Iudæi veluti pulvis, aut palea à facie terræ ſanctæ, quam poſsidebant, vento Romanæ potẽtiæ, vel Apoſtolorum relictionis, proiecti, ac diſsipati, per totum terrarum orbem degentes, abſque honore, aridi, ſteriles, infrugiferi, deſtituti Templo, Arca, Propitiatorio, Altari, Sacerdotio, Scripturarum intelligentia, Prophetis, omniq; ſpiritualium bonorum decore. Hæc tamen expoſitio ſtricta valdè, & longe petita videtur. Placet latior, quæ communior eſt.

¶ Rabbi Haben Eſra, teſte Eugubino, cenſet, hanc impiorum proiectionem à facie terræ, futurã in extremo iudicio, cum ſeparandi ſunt, à conſortio ſanctorũ, & æternis ſupplicijs addicendi. Modo enim omnes cõmiſti ſunt, boni cũ malis, ſicut palea & triticum. Tunc
Matth. 3 enim Dominus (vt Ioannes Baptiſta ait:) *Habens ven-*
12. *tilabrum in manu ſua, purgabit aream ſuam.* Feſtucas, ſeu paleas, ideſt, malos ventilando, & in ignem proijciendo: grana vero, ideſt, iuſtos, in cœli horrea congerendo. Fauet huic expoſitioni vox Hebraica MOTS, quæ propriè ſignificat, feſtucam illam, qua granum tritici tegitur. Competit verè improbis, qui in hoc mundo bonos iuvant, & veluti conſeruant, etiam eos perſequendo, & affligendo: Tum etiam verbum *proijciet*, in Hebr. eſt futuri tẽporis, THIDDEPHENNV ANADAPH, quod eſt propellere, proijcere. Sed diximus ſuperius futurũ, ſæpè poni pro præſenti. Quare hæc doctrina, quamquam ſit vera, non placet communiter Patribus, aſſerentibus, fieri huiuſmodi proiectionem, in hac vita: Et tametſi Hebræi ad ſignificandum terreum puluerem, alia dictione vti ſoleant, quæ eſt GHAPHAR, nihilominus tamẽ dictio MOTS,

hoc

Digitized by Google

hoc loco poſita, eamdem ſignificationem habere poteſt: & ita noſter interpres vertit (*puluis.*) *Quæ* vox communis eſt, & non palea, ſeu gluma, quæ peculiarem habet ſignificationem. Non incongruè dicemus huc ſpectare verba illa Ierem. cap. 22. 30. quibus Propheta inuehitur in omnes improbos homines pulueri comparatos, dicens: *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini, hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui diebus ſuis non proſperabitur.* Ter vocem, terra, geminauit, vt comprehenderet, tria malorum hominum genera, hoc loco à Dauide indicata. Quaſi dicat: Terra impiorum, terra peccatorum, terra irriſorum, & peſtiferorum, audi verbum Domini, quod tibi ob tuam malitiam, & ſterilitatem virtutis, æternam perditionem, & interitum cōminatur. De hac triplici iniquorum ſpecie, intelligi etiam poteſt, triplex terra infrugifera, quam aſsignat Chriſtus in parabola de ſeminante ſemen ſuum; Nam terra petroſa, denotat impios; terra peruia peccatores; terra ſpinoſa, irriſores, & peſtilentes. Nam impij ſuis peruerſis conſilijs, petra offenſionis ſunt alijs: Peccatores, flagitiorum frequentia, & multitudine, valdè attriti, & conculcati, omni carent humore virtutis: Irriſores, peſtifera doctrina, & exemplo, aliorum pungunt, cruentantque mentes: Quamquam in prædicto Ieremiæ loco, & Lucæ, pro terra, ponitur vox Hebræa, E R E T S, quæ ſignificat, non pulverem ſolum, ſed omnem terram, tàm habitabilem, quàm inhabitabilem.

Ierē. 22. 30.

Luca. 8.

¶ VERSVS

VERSVS SEXTVS.

¶ *Ideo non reſurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iuſtorum.)*

OSTENDIT Propheta veriſsima, & apertiſsima illatione, ex vtrorumque ſtatu, & viuendi ratione adeò diſsimili, quam etiam diuerſum habituri ſint in extremo iudicio exitum, & conditionem. Quia impij,& peccatores, leuiſsimo pulveri ſimiles,nullatenus ſtabunt firmi,& ſecuri, de obtinenda præmij æterni ſententia,quemadmodum iuſti: neque tametſi reſurgent omnes, tàm boni, quàm
Ioan. 5. 29. mali eadem erit omniũ ſors,vt Chriſtus prædixit; Quia boni reſurgent in reſurrectionẽ vitæ, mali verò & peccatores in reſurrectionem iudicij, hoc eſt, damnationis æternæ.

¶ *IDEO non reſurgent, &c.)*

HABENT hæc verba varias expoſitiones. Prima eſt, accipiendo impios in ſtricta, & propria ſignificatione, pro infidelibus,& hæreticis, qui dicuntur, non reſurrecturi in iudicio, non quod re vera non ſint reſumpturi corpora ſua,& ſiſtendi ante Chriſti tribunal(quod falsò aliqui exiſtimarũt, cum dicat Paulus
1. Corin. 15. 51. 1. Corin.15.51. *Omnes quidem reſurgemus.* Loquens de vniuerſis hominibus. *Et omnes nos oportet ſtare ante tri-*
2. Corin. 5. *bunal Chriſti.*) Sed quod illorum cauſa non erit diſcutienda, & diſceptanda nam certo iudicio, tam Dei, quam hominum ſunt iudicati, & æternis cruciatibus depu-

deputati: Aliorum vero fidelium cauſę, & opera examinabuntur, atq; per Iudicis ſententiam declarabuntur, an præmio æterno, vel ſupplicio digna ſint. Quāquā enim quilibet Chriſtianus, ſimul atque è vita exceſſerit, particulare Dei iudicium ſubit: ignoratur tamen ab hominibus quamnam ſortitus fuerit ſententiam; idcirco in vniuerſali iudicio (quod in omnium, tam hominū, quā Angelorum cōſpectu fiet) manifeſtari oportebit, quam malè, vel benè, quilibet ſe geſſerit, gloriam ſempiternā, vel pœnā reportaturus, quo pleniſsimè conſtabit, cunctis, diuinæ iuſtitiæ rectitudo. Infideles autem, tam diuino, quā humano iudicio cōdemnati exiſtunt, & ita in die nouiſsimo nō iudicabūtur iudicio diſcuſsionis, ſed condemnationis, cum in eos etiā pronuntiabitur acerrima illa ſentētia, *Ite maledicti, &c.* Hanc interpretationem ſequuntur D. Baſil. hoc loco dicens: Non reſurgent impij in iudicio, vt cōuincantur, ſed vt ferant dānationē. Ambroſ. ſer. 10. in Pſ. 118. verſ. 2. Greg. lib. 26. moral. cap. 10. Euſeb. Didym. Euthym. Aug. & alij multi. Et in hoc ſenſu aſſeruit Chriſtus, Ioā 3. *Qui autem non credit iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Theodorus Heracleotes, exemplum affert huiuſmodi: Vti enim ſicarios in homicidio comprehenſos, non vt de crimine quæſtionem habeant iudices, deferunt, ſed vt contra illos ſententiā, quam ſanxere leges, pronuntient; ſic qui impietatē exercuerunt, poſt reſurrectionem confeſtim iudicium expectant, nō in iudicium ducti, ſed ſupplicij ſententiā arripientes. *Matt. 25. 41.* *Ioan. 3. 18.*

¶ D. Gregor. loco citato, cui ſubſcribunt Gloſſa ordinaria D. Thom. Bruno, & alij, docet, quatuor fore reſurgentium genera. Quidam enim condemnabuntur, ſed non iudicabuntur, vt infideles: Quidam nec iudicabūtur nec condēnabuntur, vt Apoſtoli, & viri perfecti.

Quidam iudicabuntur, & condemnabuntur, vt mali Chriſtiani. Quidam iudicabuntur, & ſaluabuntur, vt fideles in gratia decedentes.

¶ Secunda expoſitio, intelligendo impios, & peccatores, lato modo pro omnibus iniquis, connectit hæc verba; (*In iudicio*) cum voce (*Iuſtorum.*) Vt ſit ſenſus; Quod impij non eamdem cum iuſtis ſortem habebunt in reſurrectione; quoniam iuſti omnes quodammodo futuri ſunt iudices improborũ. Iuxta illud Matthæi. 12. 42. *Regina Auſtri ſurget in iudicio, contra generationem hanc*, &c. *Viri Niniuitæ, ſurgent in iudicio, &c.* Duo quippe erunt iudicãdi modi, quod Sancti vna cum Chriſto Domino exercebunt; Alter eſt condemnationis, & promulgationis, competens Apoſtolis, & Appoſtolicis viris, Euangelicæ perfectionis ſectatoribus, qui Chriſto, veluti Coniudices aſsidebunt, vt habetur Matth. 19. 28. *In regeneratione cum ſederit filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Alter eſt approbationis, & comparationis, quem exequentur cæteri iuſti in impios, & peccatores, ſuorum operum exemplis, illos confundentes, & conuincentes, & diuinæ iuſtiæ ſanctitatem efferentes. Quare iudicium ſumitur actiuè. Quaſi dicat: Non reſurgent impij, vt iudicent cum iuſtis, ſed vt iudicentur cum dæmonibus.

Matt. 12 42.

Mat. 19. 28.

¶ Tertia expoſitio, quam innuit Angelicus Doctor D. Thom. Gloſſa, Carthuſian. cenſet, loqui hoc loco Prophetam, de reſurrectione à peccato per pœnitentiam, quæ ſine fide, cum ſit radix totius iuſtitiæ, eſſe nequit; *Quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Et hæc reſurrectio fit iudicio proprio; efficaciter operante primo, & præcipuè diuina gratia, crimina deflendo, integrè

Sumendo etiam impios ſtrictè.

grè confitendo, debitè ſatisfaciendo, corpus caſtigando, voluntatē divinæ legi ſubijciendo, &c. Quibus peccator ſui ipſius ſæue[illegible]us iudex efficitur, & in propria flagitia animaduertit, vt à Deo veniam impetrans, eius condemnationis iudicium euadat. Iuxta Apoſtoli doctrinam, 1. Corint. 11. 13. *Quod ſi nos metipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Hoc iudicium proprium tamquam neceſſarium ad ſalutem, ijs, qui in peccata prolapſi ſunt, exigit Deus paſsim in ſacris litteris. Vt Michæę cap. 6. 8. *Indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare coram Deo tuo.* Facere iudicium contra te: Diligere miſericordiam erga proximum: Solicitum ambulare propter Deum. Divus Auguſt. hunc locum enarrans ſerm. 136. de tempore, intelligit etiam de iudicio proprio; quo pœnitens contra ſemetipſum vtitur, vt diuinam miſericordiam adipiſcatur. *1. Corint. 11. 13. Michææ 6. 8.*

¶ Quarta expoſitio, quā ſequuntur recentiores ferè omnes interpretes, vt magis textui cohęrentē, eſt, quod impij in iudicio extremo, non poterunt ſe defendere, neque ſuam cauſam probare; ſed cauſa cadent, atque victi condemnabuntur. Propriè enim dicitur à Latinis, cauſa cadere, qui cauſam ſuā in iudicio, probare, & defendere nō valet. Atq; hic ſenſus probè quadrat cōparationi impiorū cū pulvere, qui ob ſuā leuitatē ſubſiſtere nequit. Hebraici etiā verbi facit proprietas pro hac expoſitione. Nam, KVM, ſignificat, ſurgere, ſtare, permanere, firmū eſſe, vt Pſal. 139. *Cadēt ſuper eos carbones, in ignē deÿcies eos, in miſerÿs non ſubſiſtent.* Vbi eſt idem verbum, KVM, vt hoc loco. Chald. transfert: *Propterea non conſiſtent impÿ in die iudicÿ magni.* Quare ſenſus erit. Non reſurgent impij in iudicio, vt firmi, ſtabiles, *Quid ſit cauſa caudere. Pſal. 139. 11.*

Sap. 5. 1. & ſecuri ſubſiſtant, vt iuſti, qui, *Stabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, &c.* Sed vt tamquam pulvis decidant, & in Orcum detrudantur. Quod ex ſingulorum verborum elucidatione, magis fiet manifeſtum.

IDEO.] Poteſt referri, & ad præcedentia verba, & ad ſequentia, hoc modo: Ideo non reſurgent impij, &c. quia erunt tamquam puluis, &c. Vel ſic: Ideo, non reſurgent impij in iudicio, &c. Quia nouit Dñs viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Vterq; ſenſus quadrat, ſed prior magis; Quia ſemper videtur Propheta rationem reddere dictorum.

NON *reſurgent.*] Quamuis in plurimis exemplaribus eſt præſentis temporis, *Non reſurgunt*, debet eſſe futuri tēporis, vt eſt in textu Hebręo, Græco LXX. & Paraphraſi Chald. & quod caput eſt in noſtra Vulgata Editione nouiſsime correcta, & emēdata. Cum ſit ſermo de vniuerſali reſurrectione, quæ erit in die nouiſsimo, & idcirco ad tempus præſens ſpectare non poteſt, quod hic dicitur. Malè, & impiè ex hoc loco colligunt nōnulli Rabbini, quibus fauere videtur Dauid Kimhi; ideo impios non reſurrecturos in iudicio, quia ipſorum animę, vna cum corporibus interibunt. Dogma falſiſsimum, & apertiſsimè repugnans Sacrarum Scripturarū
Eccle. 12 oraculis, præſertim Eccleſiaſ. cap. 12. dicenti; *Cuncta,*
14. *quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato, ſiue bonum ſit, ſiue malum.*

IN IVDICIO.] Aliqui exiſtimant huc pertinere modum, & formam puniēdi crimina capitalia, apud
Matth. 5 Hebræos vſitatam, & à Chriſto indicatam, Matth. 5.
22. *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio*, &c. Sed non placet Lorino ſuper hunc locum; cum iudiciū de-

beatur

beatur minoribus delictis, concilium grauioribus: impij planè alijs peccatoribus peiores ſunt. Quod ſi pro vno, & eodem peccatores, & impios ſumamus, ſenſus eſſet: Nihil peccatores, & iniquos cum iuſtis cõmune habituros, ita quod neque cum illis iudicabunt, neque illis aggregati conſidebunt. Nihilominus tamen, loquendo propriè, poſſumus dicere, impios nõ ſurrecturos in iudicio, quia eorum cauſæ, vt explicuimus, non diſcutiẽtur, cum iam præiudicatæ ſint. Iudicium enim, tribunal erat, in quo delicta examini ſubijciebantur. Peccatores etiam non reſurgent in concilio iuſtorum, quia quamuis iudicabuntur, & diſcutiẽtur eorũ opera, non tamen iuſtorum cœtui aggregati præmium conſequentur. Ad concilium namq; ſpectabat pœnæ pro delicto perpetrato declaratio, & ſententiæ promulgatio. *Iudicium quid.*

¶ *NEQVE peccatores.)*

PArticula, ***Neque***, non habetur in Hebræo, neque in Chaldęo, ſed poſita eſt expreſsè à LXX. tamquã neceſſario ſubintellecta. Quod fit in multis Sacrę Scripturæ locis. (*In concilio*) Per, c, non per, ſ, ſcribendum. Quia vox Hebr. BAGHADATH. Idem eſt, quod cœtus, congregatio, conſeſsus. Chald. *Neque peccatores in ſocietate iuſtorum.* Conſonant Symmachus, Aquila, Thedotion, vertentes; vel *Synagogam*, vel *collectionem*, vel *conuentum*, quæ idem ſignificant. Quamuis LXX. habent *conſilium*, per, ſ, vt verſu. 1. Nam eſt eadem dictio, BVLI. Per, ſ, legunt Caſsiod. Remig. & alij. Plurima etiam exemplaria Latinæ Editionis, ſed vox Gręca vtrumq; poteſt denotare, & ſæpè ſumitur pro conſiliarijs, & ſenatoribus ſimul congregatis; ac pro loco, in quem conueniunt. Hic tamen rectius per, c, quam per, ſ, poni debet, vt eſt in Editione noſtra emendatiore.

VERSVS SEPTIMVS.

¶ *Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.)*

CAVSAM reddit omnium, quæ de diſcrimine inter improbos, & iuſtos hactenus dixit. Inde enim proficiſcitur, vt iuſti perpetuò beati futuri ſint; impij vero perpetuo miſeri, & perpetuis cruciatibus mancipati. Quia Deus iuſtorum viuẽdi modum, & inſtitutum amat, approbat, fouet: At verò reproborum ſtudia abominabitur, perdet, & in infernum abiecta, æternæ obliuioni tradet.

¶ *NOVIT Dominus.)*

Notitia in Deo, duplex. DVplicem in Deo cõſideramus notitiam, ſeu cognitionem. Altera eſt vniuerſalis prouidẽtia, quæ ad omnia quæcumq; fiunt, aut fient, aut fieri poſſunt, tàm pertinẽtia ad naturales effectus, quam ad morales; tam ab hominibus iuſtis, quam ab improbis, ſe extendit. Secundum hanc notitiam dicitur Pſal. 138. 1. *Domine probaſti me, & cognouiſti me; tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam, &c.* Et Actorum. 1. *Tu Domine, qui noſti corda omnium, &c.* Et Pſal. 93. *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.* Ea ſanè eſt diuinæ ſcientiæ, atque prouidentiæ immenſitas, vt nihil eam ſubterfugere valeat. Altera eſt notitia approbationis, amoris, & beneuolẽtiæ; qua Deus vtitur erga pios, & iuſtos; eorum actiones, & opera bona, ſua gratia

Pſal. 138. 1.
Act. 1. 14
Pſal. 39. 11.

tia præueniendo, adiuvando, fauore proſequendo. De *Timot.* 2.
qua cognitione intelligitur illud Pauli 2. Timot. 2. *Cog-* 19.
nouit Dominus, qui ſunt eius. Et Geneſ. 22. *Nunc cognoui,* *Geneſ.* 22
quod timeas Dominum. Hoc eſt; opus tuæ fidei, & obe- 12.
dientiæ approbaui, amaui, laude dignũ iudicaui. Amos *Amoſ.* 3.
3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus ter-* 2.
ræ. Ideſt, vos amaui, elegi, cuſtodiui. Inde eſt, vt *quos* *Rom.* 11.
præſciuit, hos, & prædeſtinauit, &c. Et Pſal. 36. 18. *Nouit* *Pſal.* 36.
Dominus dies immaculatorum. Quemadmodum è con- 18.
uerſo dicitur Deus ignorare, vel neſcire improbos. Vt
Matth. 25. *Amen dico vobis neſcio vos,* Ideſt, veſtra ope- *Matt.* 25
ra non admitto, non iudico meo amore, vel præmio
digna. De hac etiam ignorantia intelligitur, quod de
Chriſto Paulus dicit: *Eum, qui peccatum nõ nouerat.* Hoc 2. *Corin.*
eſt, notitia amoris, & affectus. Poteſt inſuper, vt anno- 5. 21.
tauit Origenes, huc referri interrogatio Dei, quaſi ig-
norantiam oſtendentis. Geneſ. 3. *Adam vbi es?* Quaſi *Geneſ.* 3.
videretur Adamum iam propter commiſſum peccatum 9.
ignorare ignorantia de qua loquimur.

VIAM.) Hoc eſt, viuendi rationem, inſtitutum, ſtudium, vt diximus in 1. Verſu. Nonnulli diſcrimen conſtituunt inter viam in ſingulari, & vias in plurali. Quod *via*, eſt viuendi ratio, quamquis profitetur. *Viæ*, dicuntur actiones, & opera, quæ iuxta ſuum inſtitutum exequitur. Sed meo iudicio, hæc in ſacris litteris nullatenus differre videntur, vt plurimis exem-
plis patet, præſertim ex lib. Pſal. Vt Pſal. 5. 9. *Dirige* *Pſal.* 5. 9.
in conſpectu tuo viam meam. Ideſt; Fac, vt tibi opera mea
placeãt. Pſal. 35. 5. *Aſtitit omni viæ non bonæ.* Ideſt; quę *Pſal.* 35.
libet peccata amplexus eſt. Pſal. 50. 15. *Docebo iniquos* *Pſal.* 50.
vias tuas. Ideſt; legem tuam. Pſál. 118. *Cogitaui vias* *Pſal.* 118
meas. Ideſt, viuendi rationem. 59.

IVSTORVM.] Hebraicè, T S E D A K I M, quod in 1. verſu aſſeruit in ſingulari, hic ad pluralem numerum refert; quia alter numerus pro altero vſurpari ſolet; & ita cum dicit: *Beatus vir, qui non abijt, &c.* Pluraliter accipi debet. Quamvis vox Hebræa T S A D I K ſignificat, iuſtè iudicantem, veracem, virtutis ſequacẽ. Hoc loco generaliter ſignificat viros diuinæ legis obſeruatores exactiſsimos, & omnium virtutum ornamẽtis excultos. Iuſtitiaque accipitur non pro particulari virtute, ſed pro generali, quæ omnes complectitur. Ergo, cum dicitur Deus noſse viam iuſtorum, intelligimus, iuſtitiam, & ſanctitatem Deo adſcribendam, qui bonorum deſideria præmouet, ſtudia adiuvat, opera gratificat, tandemque remunerat.

¶ *E T iter impiorum peribit.)*

DIVVS Ambroſ. obſeruat, nõ abſque cauſa, Latinum interpretem diſcreuiſſe inter viam, & iter: quaſi via iuſtis conueniat, cum Chriſtus dicat: *Ego ſum via*: iter vero iniuſtis accommodandum ſit, tamquam in malam partem acceptum. Sed nõ video aliquod eſſe diſcrimen cum in Sacra Scriptura ſumantur, tam via, quam iter promiſcuè. Pſal. 49. 23. *Illic iter, quo oſtendã illi ſalutare Dei.* Et in 1. Verſ. huius Pſalm. 1. *Et in via peccatorum nõ ſtetit.* Plenæ ſunt Sacræ litteræ exemplis. Hebrai. vbique eadem eſt vox, D E R E C, viam, iter, ſignificans. Eſt igitur ſenſus; impiorum viuendi rationem, ſtudia, conatus, deſideria, opera omnia, in iudicio extremo nullius fore momenti, nec profutura, ſed vna cum ſuis auctoribus, æterno punienda ſupplicio. Ludolphus vult, verbum, *Nouit*, amplius ſignificare, quam approbauit, & non ſolum de præterito, & præſenti tempore accipiendum, ſed poſſe de futuro; ita vt deno-

Pſal. 49. 23. *Pſalm. 1.*

Digitized by Google

denotet, Deum in extremo iudicio effecturum, vt omnibus hominibus, & Angelis innoteſcant præſtantiſsima ſanctorum opera, iuxta illud dictum ad Abraham, Geneſ. 22: *Nunc cognoui, quod timeas Dominum.* Ideſt, vt exponunt plurimi: Nunc cognitum feci, aut cognoſcere feci. Satis videtur apta hæc expoſitio, ac textui conſentanea, nam vt verbum, *peribit*, ponitur in futuro, ita etiam, *Nouit*, ad tempus ſpectat futurum, quoniam in die iudicij, innoteſcet omnibus, quam accepta, & grata eſſent piorum opera, quæ impij irridebant, aſpernabantur, perſequebantur. *Gen. 22. 12.*

Idem primus Pſalm. Metrice: Carmine Aſclepiadeo.

SVMMIS diuitijs ille vir affluit,
Qui non conſilio obtemperat impio,
Nec fixus ſcelerum, permanet in via,
Neu doctor cathedra peſtifera inſidet.
Sed legem Domini percupidus ſacram,
Noctes, atque dies corde recogitat,
Et parens monitis ſedulus aureis,
Numquam iuſtitiæ tramite deuiat.

Ille

Ille (inſtar patulæ fluminis arboris,
Quæ iuxta eſt vitreos conſita rivulos,
Numquam deciduis & folijs viret,
Vt fructus ſolito tempore proferat.)
Conſtans aſsiduo flumine cœlicæ
Doctrinæ irriguus, ſpéque virentibus
Ornatur folijs; proſpera eruntq; ei
Quæcumque aut faciet forte, vel accident.
Non iſtis fruitur ſortibus impius,
Sed tamquam tenuis puluis ab aere,
Abſque vlla requie proijcitur leui,
Ne quidquam exequitur frugiferum miſer.
Idcirco veniet cum Deus vltima
Luce, ad iudicium non caput impius
Attollet, ſceleri nec qui operam dedit
Iuſtorum poterit concilio ingeri.
Nam noſcit Dominus, diligit, approbat
Sanctorum merita, & iuſtus honoribus
Clarabit ſuperis, cum ſimul improbos
Perdens, perpetuis ſupplicijs dabit.

PSALMVS

Digitized by Google

PSALMVS SECVNDVS.

1 QVARE fremuerunt gentes, & populi
meditati ſunt inania?
2 Aſtiterunt reges terræ, & principes cõ-
venerunt in vnum, aduerſus Dominum, & ad-
uerſus Chriſtum eius.
3 Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à no-
bis iugum ipſorum.
4 Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſub-
ſanabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo cõ-
turbabit eos.
6 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion
montem ſanctum eius, prædicans præceptũ eius.
7 Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie
genui te.
8 Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã,
& poſſeſſionem tuam terminos terræ.
9 Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli
confringes eos.
10 Et nunc reges intelligite: erudimini, qui iudicatis
terram.
11 Seruite Domino in timore: & exultate ei cum
tremore.

Appreben-

12 *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.*

13 *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.*

¶ ARGVMENTVM PSALMI.

PSALMVS hic, totus propheticus eſt de Christo; cuius regnum æternum, florentiſsimumque exprimitur: & ſimul agitur, de eius admirabili incarnatione, Euangelicæ legis promulgatione, Eccleſiæ fundatione, & dilatatione: & præſertim de perſecutionibus, quas paſsurus erat à Iudæis, & Gẽtilibus, in eum, eiuſque Eccleſiam conſpirãtibus. Sed tandem irritos, & inanes fore, omnium Chriſti inimicorum conatus, ipſumque victorem, & triumphatorem euaſurum. In fine Pſalmi ponitur apoſtrophe, & exhortatio, ad Reges, & principes, vt Chriſti legem perquirant, & amplectãtur: vt diuinam iram effugere, & æternam ſalutem conſequi mereantur.

DE TITVLO ET SENSV PSALMI.

IN huius Pſalmi proloquio, tria nobis dubia breuiter explicanda occurrunt. Primum; An hic Pſal. habeat inſcriptionẽ? Secundum, An in ordine, vel numero Pſalmorum ſit primus, vel ſecundus? Tertium, de quo in eo ad litterã loquatur Spiritus Sanctus? Quod attinet ad primum: Nonnulli ex antiquis Patribus, cẽſent fuiſſe hunc Pſal. Dauidis nomine prætitulatum. Ita Origen. Ruffin. Aquileien. Caſsiodor. Hugo Cardin. & alij; & ita in multis Codi-

Digitized by Google

Codicibus tàm Græcis, quàm Latinis Vulgatæ Editionis, hic præponitur titulus: *Pſalmus Dauid.* Vt etiam habetur in Græco Textu LXX. apud Biblia Regia, Cōplutenſia, Aldina, Heruagiana. Et Pſalterium Auguſtini Nebienſis, in hæc verba: *Pſalmus Dauid ſine inſcriptione apud Hebræos.* Quem titulum agnoſcit quoq; Gulielmus Sirletus Cardin. vir doctiſsimus, in ſuis annotationibus variar. lect. in Pſalm. At vero, nec in Editionibus Hebraicis, nec LXX. Græcis emendatioribus iuſſu Sixti V. in lucem emiſsis, neque in Vulgata Latina recognita, & impreſſa auctoritate Clementis VIII. vlla reperitur inſcriptio; Abſque ea etiam legunt communiter Patres Euſeb. Cæſar. Baſil. Theodore. Chryſoſt. Euthym. Hilar. Auguſt. & Græcus Scholiaſtes. Vnde Nicolaus de Lira, tam pro certo exiſtimat hunc Pſalmum eſſe Anepigraphum, vt addititiam ab aliquo interprete affirmet fuiſſe inſcriptionem, quam habent quædam exemplaria.

¶ Et ſanè cum ex teſtimonijs Sacræ Scripturæ præſertim Act. 4. & 13. conſtet hunc Pſal. eſſe Dauidis; ſine textus detrimento facile potuit in ipſum irrepere.

¶ *Quoad* 2. dubium, non parua eſt controuerſia apud interpretes; Nam antiquiores Hebræi hunc Pſal. præcedenti connectunt, vnumq́ue ex duobus conſtituunt, & ita neceſſario dici debet hic Pſal. iuxta hanc Hebræorum ſententiā, primus in ordine, cui ſubſcribūt Origen. Hilar. Hierony. Eugubin. & alij. Probantque Apoſtolica auctoritate. Nam Actor. 13. Pſalmus hic dicitur primus, vt habēt quam plurima exemplaria vetuſta, tam Græca, quam Latina. Quamquam Origenes in duo ſe exemplaria incidiſſe ſcribit; in quorum altero, ſecundi Pſalmi principiū, vt hic ſe habet, in altero; primo coniunctum inuenit. Quod in dicto loco Actuū

primus

primus nominatur, probant multa Biblia Græca antiqua,& aliqua Grȩca exẽplaria Noui Teſtamenti, diuerſis in locis impreſsa, quæ ſe vidiſſe teſtatur Lucas Brugen. D. quoque Iuſtin. martyr in Apolog. 2. pro Chriſtianis, hunc Pſal. citat ſub nomine primi, & Appollinar. docet, præcedentis partem eſſe.

¶ Verumtamẽ in eodem loco Actuũ, Pſalmũ ſecundum appellari, oſtendunt Græca Biblia, Complutenſia, Regia, Aldina,& multa alia, ſumma diligẽtia emendata. Tum etiam, ac præcipuè Vulgatæ Latinæ Editionis nouiſsime impreſſa. Quam lectionem ſequuti ſunt Euſeb. Chryſoſt. Baſil. Theodoret. Heſichius, Theophyl. Nicephorus Blẽmidas, Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. Arnob. Ruffin. & communiter omnes recentiores.

¶ Has duas varias lectiones conantur conciliare Caſsiod. & Ludolphus hoc pacto. Quod hic Pſalmus recte dici poteſt primus, & ſecundus; Primus quidem, ratione tituli; Secũdus vero, ratione ordinis,& numeri. Ita vt ſit ſenſus; quod eſt primus Pſalmor. qui prætitulantur,& ſecundus in ordine, priori ſuccedens. Sed hæc conciliatio, ſtatuit pro certo, hunc Pſalmum habere titulum, cuius contrarium certius eſſe, in priore dubio diximus; Præterquam quod Paulus Hebræus cum Hebræis agens, quis dubitat, quin more Hebræorũ ex hoc Pſal. auctoritatem citauerit? Hebræis autem (vt ſuperius diximus) hic Pſalmus nullam habuit inſcriptionem, propter quam primus à Paulo diceretur.

¶ D. Thom. dicit hunc Pſal. quamvis ſit re vera ſecundus in ordine, eſſe primum eorum, quos compoſuit Dauid; Nam præcedens, iuxta multorum opinionem, fuit conditus ab Eſdra, vel alio viro ſancto. Sed hanc opinionẽ de primo Pſalmo, quod fuerit ab Eſdra compoſitus

poſitus, ſuperius refutauimus in procemio. Eſt ergo pro certo tenendum, hunc Pſalm. & eſſe Dauidis, & eſſe ſecundum, vt habetur in Actibus Apoſt. iam citatis.

¶ Dicet aliquis: Si Hebræi hunc Pſal. cum priore cõiungunt, quo pacto numerabũtur centũ & quinquaginta Pſalmi, qui numerus eſt apud eos receptus? Reſpõdet Origen. ad hunc numerum explẽdum, addi ab Hebræis Pſalmum, cuius mẽtionem fecimus in Procemio, & incipit: Parvus eram inter fratres meos, &c. Qui etiã circumfertur in Biblijs Græcis LXX. Sed neq; hic Pſalmus agnoſcitur tamquam canonicus ab Eccleſia, neq; habetur in Hebræa Editione, vt ibi diximus.

¶. Circa 3. dubium, tres ſunt opiniones. Prima eſt Hebræorum aſſerentium, hunc Pſal. eſſe intelligendũ de Dauide in Regẽ aſſumpto, & vncto in Hebron, atq; acclamato ab vniuerſo Iſraël, quo tempore ſurrexerũt, & congregati ſunt, cõtra eum Philiſtæi, vt regnum eius impedirẽt, ac diſturbarent, & cõmiſſo prælio, percuſsit eos David in Bahal Pharaſim, & iterũ inter Gabbaa, & Gezer; Quibus reportatis victorijs, hunc Pſalm. compoſuit, & cecinit ad diuinam potentiam celebrandam. Vt legitur 1. Reg. cap. 5. Hæc ſententia, tamquã Chriſti hoſtium, non eſt recipienda, quatenus affirmat ſermonem fieri de ſolo Dauide, nam vt fatetur R. Selomoh, videntes Iudæi, ſe plurimum vrgeri hoc Pſalmo, prædictam expoſitionem excogitarunt. Altera opinio eſt Magiſtri, & Lirani, quos ſequitur Incognitus; de Chriſto tantummodo eſſe intelligendum, & nullatenus de Dauide. Ratio eſt; Quia de Chriſto interpretantur Apoſtolus Petrus, Act. 4. & Paul. Act. 13. & ad Hebr. cap. 1. Quibus in locis ex hoc Pſal. teſtimonia citãtur ad probandam Chriſti dignitatẽ, qua Angelis antecellit: Tum etiam, ad confirmanda alia Chriſti myſteria, quæ

Rab. Salomon.
R. Abrahã Aben Eſra.
R. Kimi.
2. Reg. 5.
Act. 4. 13
Hebr. 1.

quæ apertè in hoc Pſalm. prædicuntur. Non autem ab Apoſtolis eſſent citatá huiuſmodi teſtimonia ad fidei dogmata confirmanda, niſi deberent intelligi in ſenſu litterali.

¶ Secunda ratio: Quia ſunt quędam in Pſalmo, quę Dauidi non verè, & propriè competunt, vt Verſu. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, &c.* Neque enim Dauid omnes gentes ſubiugauit, nec vniuerſo orbi dominatus eſt, quod pertinebat ad Chriſti regnum florentiſsimum. Hanc rationem innuit Origenes, oſtendẽs hunc Pſalm. nullatenus Dauidi conuenire. Solus enim (inquit) Saluator noſter Ieſus Chriſtus, totum ſuo nomine mundum hominibuſque à ſe dictis Chriſtianis, impleuit, ac quæcumque dicta ſunt in ipſo ſolo finem acceperunt.] Tum etiam, quæ dicuntur in verſ. 7. nullo pacto Dauidi conueniunt, nam ſi teſte Paulo, Hebræorum. 1. 5. *Nulli*, Angelorum dictum fuit, *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Multo minus Dauidi dici poſſunt, qui Angelis inferior eſt.

Hebr. 1. 5.

¶ Tertia opinio eſt cõmunior, & probabilior, quæ duas præcedentes amplectitur: intelligẽdum Pſalmum de Chriſto, & Dauide; ſed primo & præcipue de Chriſto, ſecundario, & minus propriè de Dauide, tamquam eius typo. Poteſt ſiquidem vnus, & idem locus Sacræ Scripturæ plures admittere ſenſus litterales, vt Theologi omnes fatentur, & conſtat ex plurimis locis eiuſdem Sacræ Scripturæ, quos conſulto prætermittimus.

¶ Hebræi, teſte Galatino, Eugubino, Lirano, hunc Pſalmum fatentur Meſsię Regi ad litteram competere. Quod patet ex teſtimonio R. Salomonis, in principio gloſſæ ſuper hunc Pſal. ita ſcribentis: Magiſtri noſtri expoſuerunt hunc Pſalmum de Rege Meſsia, ſed ad intellectum Pſalmi planum (ideſt, litteralem) & propter reſpon-

Digitized by Google

reſponſionem ad hęreticos exponitur de Dauid.] Vocat hæreticos, Iudæos ad fidem converſos, qui ex hoc Pſalmo argumēta deſumebant ad Hebræos ipſos convincendos, & idcirco Hebræi, vt Chriſtianorum tela effugerent, in odium Chriſti intelligentiam Pſalmi in Dauidem detorſerunt. Nos ea prætermiſſa, & Sanctorum Apoſtolorum expoſitionē ſequuti, de Chriſto interpretabimur, vt omnes faciunt catholici Doctores.

VERSVS PRIMVS.

¶ *QVARE fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?*

PRÆVIDENS Regius Vates, diuino Spiritu afflatus, rabiem, & odium Iudæorum, atq; Gentilium, præſertim principum, ac potentatuum in Chriſtum Ieſum inſurgentium, ſæuientium, debacchãtium; gemebundus, & indignabundus, in admirationem prorumpit. Qua Pſalmum auſpicatur, dicens: *Quare fremuerunt Gētes, &c.* Maximam hunc Pſalmum, cum præcedenti habere connexionem, annotant Euſebius, & Theodor. Antiochen. Nam cum in præcedenti actum ſit de perfecta beatitudine, quam boni virtutum meritis aſſequuntur, & è conuerſo impij, & peccatores ob ſua peccata in æternæ dãnationis præcipitium ruũt: Beatitudo vero obtineri non poteſt, niſi per opera meritoria à diuina gratia promanantia, quæ iuſtis confertur virtute paſsionis Chriſti; cumq; nulla queat excogitari

gitari maior impietas, quam Chriſtum verum Deum, & hominem, auctorem vitæ, & humanæ ſalutis reparatorem occidere: Propheta eos prænoſsens, qui tantum facinus erant perpetraturi indignatione magna, & zelo Dei permotus in eos inuehitur hoc erothemate. Tum etiam, quemadmodum præcedens Pſalmus à beatitudine ſumpſit exordium, dicens: *Beatus vir, qui non abijt, &c.* Ita hic in beatitudinem deſinit, hoc modo concludens; *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Vnde coniecturam ſumpſerunt Hebræi, ad exiſtimãdum hunc Pſalmum eſſe partem ſuperioris, & ei annexum.

CVIVS duo priores verſus, Apoſtoli explanauerunt, Actuum 4. de inito contra Chriſtum conſilio, decretoque ſtabilito ad ipſum occidendum, nomenque eius funditus euertendum. Sunt autem Apoſtolorum verba hæc ad Deum. *Domine, tu es, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, qui Spiritu Sancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim vere in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & populis Iſrael.* Hæc illi. Ex qua interpretatione conſtat, per *Gentes*, intelligi Gentiles, idololatras, quibus traditus Chriſtus fuit, vt illuderetur, flagellaretur, conſpueretur, tandemque cruci affigeretur; quæ omnia milites Pontij Pilati, qui Gẽtiles erãt, exercuerunt. Per *populos*, ſignificari Iudæos, qui in necem Chriſti Domini conſpirarũt, & multis clamoribus eam expetiuerunt, dicentes: *Crucifigatur.* Per *Reges*, Herodem,

Act. 4.

dem, & Pontium Pilatum. Per *principes*, Caypham, Annam, cæteroſque ſummos Sacerdotes, atque Scribarum, & Phariſæorum cœtum, & optimates, qui Chriſtum ſummo odio perſequẽtes, occidendum totis viribus procurarunt; vt ex ſacris conſtat Euangelijs. Hæc omnia magis nobis patebunt; enucleatius enarrantibus, ſingula textus verba.

ANimaduertendum in primis Prophetam, quę multis poſt ſæculis futura erãt, prædicere, verbis pręteriti temporis: *Fremuerunt gentes, populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, &c.* Tum, quia id Prophetis familiare eſt, & præſertim Dauid, ad demoſtrandam vaticinij certitudinem. Tum, quia in Sacra Scriptura, ſolet præteritum pro futuro, & futurum pro præterito vſurpari; vt ſæpè diximus. Vt Pſalm. 65. 6. *In flumine pertranſibunt pede, ibi lætabitur in ipſo.* Sermo eſt de trãſitu filiorum Iſraël per mare Rubrum, poniturque futurum pro præterito. Hinc vt teſtatur Origenes, quæ hoc loco apud LXX. ponuntur in præterito, Theodotion transfert per futurum, & Symmachus per præſens tempus; quia hæc temporum inverſio, & permutatio, linguæ Hebrææ valdè congruit. In fonte Hebraico, quædam per præteritum ennuntiantur, alia per futurum, & alia per præſens, vt mox videbimus. Forſitan in hoc latet myſterium: admonemur Chriſtum Dominum, eiuſque membra, ſcilicet, fideles, non ſolum mortem, opprobria, tormenta, aliaſque perſequutiones hactenus ſuſtinuiſſe, ſed pati adhuc, paſſuroſque, vſque ad nouiſsima mundi tempora à Regibus, tyrannis, Gentilibus, Paganis, & cæteris Chriſtianæ religionis hoſtibus. Quãmobrẽ Chriſtus Apoc. 5. 12. appellatur, Agnus occiſus ab origine mundi, non modo quia in ſacri-

Pſal. 65. 6.

Apoca. 5. 12.

ficijs tàm legis naturæ, quàm ſcriptæ præfiguratus fuit, & propheticis annunciatus oraculis, ſed etiam, quia paſſus fuit in membris ſuis myſticis, ab ipſo Abele iuſto, hucvſque; & paſſurus eſt, vſque in mundi finem, à tyrannis, & hoſtibus Eccleſiæ ſanctæ.

¶ Deinde animaduertendum, vt optimè annotauit Hugo Cardin. à tribus hominum generibus tormenta, & paſsiones pertuliſſe Chriſtum: A minoribus, à maioribus, à mediocribus. Minores ſignificantur per Gentes, & populos: Maiores, per reges terræ: Mediocres, per principes. Triplex etiam perſequutionũ genus tollerauit, cordis, videlicet, oris, & operis. Quæ omnia Propheta Regius complectitur quam breuiſsimè, dum inquit: *Populi meditati ſunt inania.* Quod ſpectat ad ſæuiſsimum odium, quo in Chriſtum flagrabant Iudæi, ipſum e medio tollere vehementer cogitantes, atq; cupientes. Oris opprobria, & perſequutiones indicantur verbo, *Fremuerunt*, quod ſignificat belluinum vocis furorem, quo Chriſti mors, à turbis proclamabatur. Tandem operis tormenta, intelliguntur illis verbis: *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum.* Nam hæc coitio, & conſenſio, proculdubio referenda eſt, non ad conſeſsum, aut concilium, cum Herodes, & Pilatus, nullo tempore in locum aliquem congregati fuerint, neque vnà cum Caipha, & principibus Sacerdotum, & Phariſæis in concilium conuenerunt, ad agendum de Chriſto occidendo; ſed huiuſmodi conuentio, pertinet ad commune ſcelus, cui omnes prædicti, vnanimiter operam nauarunt, in Chriſtum ſæuiendo, ipſumque cruci affigendo.

QVARE.] Dupliciter exponi poteſt; Primo, vt ſit interrogatio de cauſa efficienti. Quo pacto S. Au-

S. Auguſt. intelligere videtur, dicens; Vt quid fremuerunt Gentes? Ideſt; *Quæ* ratio, quæ cauſa fuit, quæ occaſio, Gentilibus, & Iudæorum populis, ad fremendum contra Chriſtum, à quo nihil mali, ſeu incommodi acceperunt, immo potius innumeris fuerunt beneficijs affecti? Vt ipſemet Chriſtus, cũ eis expoſtulans, *Ioan. 10.* aſſeruit. Ioan. 10. 32. *Multa bona opera oſtendi vobis ex* *32.* *Patre meo, propter quod eorum me lapidatis?* Et cap. 15. *Si* *Ioan. 15.* *opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit peccatum non* *24.* *haberẽt; nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum, vt adimpleretur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt; Quia odio habuerunt me gratis.* Ideſt, nulla iniuria, nullo damno laceſsiti.

¶ Hanc expoſitionem ſequitur Theodoret. dicens: Merito (inquit) quæ tanta cauſa, vel quid ab eo factum eſt, vt populi contra ipſum commoti ſint, & manibus Gentium prodiderint.] Altero modo exponi poteſt eſſe quæſtionem de cauſa finali, vt exponit Diuus Cyprian. lib. 1. aduerſ. Iudæos. Ad quid? Quaſi dicat: Nullatenus voti compotes euaſerunt, nec finem optatum adepti ſunt, tantum enim abeſt, vt Chriſtum, eiuſque gloriam obſcurauerint, vt potius ſuis machinationibus perſpicuam magis, & illuſtrem reddiderint. Et hæc expoſitio videtur magis accedere ad proprietatem Hebraici aduerbij, LAMMAH; *Ad quid?* Cauſam finalem denotantis. Et ita vertit Symmachus. *Ad quid gentes turbant?* D. quoque Chryſoſ. eumdem ſenſum ſequitur, diſertè explicans, quam vana fuerint vniuerſa conſilia, & ſtudia Iudæorum, & Gentilium contra Chriſtum. Et tandem concludit dicens: *Quid ergo commodi acceperunt impij, qui erant homines, & cum Deo pugnabant?*

Digitized by Google

¶ *FREMVERVNT Gentes.)*

THeodotion, & Symmachus vertunt; *Ad quid turbant, ſiue turbas miſcent Gentes?* Aquila: *Vt quid tumultuata ſunt?* Scholion Græcum; *Ad quid ſuperbierunt?* Quomodo legũt etiam Theodoret. & Theodor. In fonte eſt, RAGVESV, à RAGAS, quod ſignificat, tumultuari, ſiue tumultũ excitare, fremere. Vnde LXX. verterunt: *Quare fremuerunt?* Significat etiam, RAGAS, congregari, coire. Quem ſenſum ſequitur D. Hieron. *Quare congregauerunt Gentes?* Chald. *Congregant.* Habent iſtæ omnes interpretationes eamdem ſignificationem. Nam eiuſmodi congregationes, fiunt à malis hominibus excitantibus turbas in populo, maximo cum tumultu, & ferocia, more ferarum inſurgentibus, & frementibus contra aliquem. Ab hoc verbo deriuatur nomen REGVES, ideſt, conuentus, congregatio, ſocietas, tàm in bonã, quàm in malã partem.

Pſal. 54. 15. Vt Pſ. 54. 15. *In domo Dei ambulauimus*; BERAGVES, ideſt, in ſocietate. Pſal. 65. *Abſcondes me.* MERAGVESATH, à conuentu, ſiue conſortio malignãtium. Quo loco LXX. vertunt; *A conuentu.* Hieron. *A tumultu.* R. Selemoh, *A congregatione:* Scilicet, conſpirãtium, cum furore, & tumultu ſeditioſo.

Pſal. 95.

¶ Tertullian. hoc loco innuit, Deum loqui contra Iudæos, ingratos, & perfidos; de ipſorum contra Chriſtum facinore conquerẽtem. Ludolphus arbitratur loqui Chriſtum. Plures attribuunt ſermonem, ipſi Prophetæ; vel ſecum agenti; vel cum Deo, vel cum Gentilibus, & Iudæis, vtrorumque iniquitatem vehementer admiranti, & arguenti. Quo pacto Horatius lib. Epodon. Od. 7. de bello ciuili Roman. contra Brut. & Caſs. concitato, expoſtulans, inquit:

Quo quo

Quo quo ſceleſti ruitis? Aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Furor ne cæcus? An rapit vis acrior?
An culpa? Reſponſum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Et mentes perculſæ ſtupent.

GENTES.] Hoc nomen vſurpari ſolet in ſacris litteris pro nationibus exteris, idolorum cultricibus, à veri Dei religione ſeiunctis; ſæpè tamen, tribuitur ipſis Iudæis, vt ſumitur etiã hoc loco à Cyrillo, & Euſebio. Oecumenius, Hieronymus, Athanaſius, & alij, pro eodem accipiunt Gentes, & populos. Verum multi expoſitores, nomẽ, *Gentes*, propriè, & ſtrictè tribuunt Gentilibus, Ethnicis, Paganis; Nam Philiſtæi, & alij idololatræ conſurrexerunt, atque pugnarunt cõtra Dauid, qui typus fuit Chriſti, contra quẽ Romani principes, ac milites tumultuati ſunt, eum tormentis diriſſimis, & morte crucis afficientes. Iuxta prædictionem eiuſdem Chriſti, non ſemel repetitam: *Tradetur Gentibus ad illudendum, &c.* A quibus nõ modo Chriſtus, ſed Apoſtoli, & diſcipuli perſequutiones acerbiſsimas, mortemq; pertulerunt; vt infinita illuſtrium martyrũ multitudo teſtatur, qui à tyrannis, & alijs fidei hoſtibus, immania tormenta, & neces ſæuiſsimas, paſsi ſunt; & quod caput eſt, Apoſtoli Actuum 4. ita hunc locum intellexerunt, ex ſententia Arnobij, Euſebij, Hieronymi, Theodoreti, & aliorum, nominantes diſtinctè Gentes, & populos Iſrael.] D. Athanaſ. ſeu quiſquis eius operis auctor eſt, in tractatu de dictis, & interpretationibus Parabolar. Sacr. Scripturæ quæſt. 73. explicans hęc verba Pſalmi, ſcribit: Gentes vocari Romanos, Francorum

Matt. 18.

Act. 4.

corũ videlicet genus, qui Chriſtũ crucifixerũt.] Quod Athanaſij dictum, magnam gignit dubitationem, cum Romani non à Francis, ſed à Troianis genus ducant. Poſſumus tamen reſpondere, Athanaſium, nomine Frãcorum intellexiſſe, Paganos, & Ethnicos generali nomine: niſi dicere voluerit, Pontiũ Pilatum pro Romano Imperatore Iudææ præſidẽ, cum eſſet genere Francus, ſeu Gallus, eiuſdẽ nationis prætoriã cohortẽ, & milites atq; lictores, vt cõmuniter fit, habere voluiſſe. Quãvis crediderim, præter Gallos, aliarum nationum militares viros etiam cum eo interfuiſſe, vt Romanos, Hiſpanos, & ſimiles. Fl. Luc. Dexter in ſua Omnimoda Hiſtoria antiquiſsima, & è tenebris nuper in lucẽ emiſſa, ſcribit: Centurionem illum, qui Chriſto cruci affixo aſtitit, & pietate, ac religione tactus, exclamans dixit:
Matt. 27 *Vere filius Dei erat iſte*, fuiſſe natione Hiſpanum, voca-
54. tumq; C. Oppium, poſtea à D. Barnaba baptizatum, &
Marc. 15 Epiſcopum Mediolanenſem factum.
39. ¶ Perpendit Theodoret. non immerito in Græco
Luc. 23. Textu, hoc loco poni *Gentes*, abſque articulo demon-
50. ſtrante: Vt omnes, inquit, comprehendi exiſtimes, non ſententiam ad ſingulare quid reducens, verũ dicit Gentes.] Egregia profecto animaduerſio, nam in Chriſti necem, vniuerſa hominum genera concurrerunt. Paſſus ſiquidem eſt à Gentilibus, à Iudæis, a Regibus, à principibus, à laicis, à Sacerdotibus, à Scribis, à Phariſæis, à magnis, à minimis, à viris, à fœminis, & denique, nullus fuit hominum ſtatus, neq; conditio, quæ in occidendo Chriſto non interceſserit.

Riber. in ET *Populi*.] Per populos Iudæos intelligi diximus ex
Micheã. Patribus. Annotant tamen aliqui recentiores in-
cap. 1. *n.* terpretes, populos, innumero multitudinis, quando
17. ſermo eſt de Iudæis, plerumque accipi in malam partẽ; nam

Digitized by Google

nam in bonā ſolet accipi, cum numero ſingulari denotantur. Vt Pſalm. 77. *Attendite popule meus legem meam.* Pſal.80.9. *Audi populus meus, & conteſtabor te, &c.* Luc. 2.32. *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Sed quia tam in Sacris, quā in prophanis libris (inquit Ribera) malè audit multitudo, & multi, vocantur ſtulti, & peccatores, & vulgus imperitum; Inde populi nonnumquam ſignificationē quandam mali habent, maximè cum ad filios Iſraël hoc nomen refertur, propterea quod, qui, populus, in ſingulari electus, & egregius, eſſe debebant, in viam multitudinis populorum abeant, & ita viuant, vt cæteri.] Et Pſal. 55. *In ira populos confringes.* Pſal. 32. 10. *Dominus diſſipat conſilia Gentium, reprobat autē cogitationes populorum.* Quod non de Gentilibus ſolum, ſed de Iudæis etiam itelligendum eſt. Vt Michææ. cap. 2. *Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius.* Loquitur præcipuè cum filijs Iſrael, quos populorum nomine comprehendit: Quod non more populi, à Deo electi, & dilecti viuerent, ſed more populorum, qui ambulant in vanitate ſenſus ſui. Ita hoc loco Pſalmi, populi, in plurali, pro Iudæis accipitur. Aquila vertit, *Phyla*, ideſt, *Tribus.* Quam etiam lectionem, ſequuntur Tertullianus lib. 4. cont. Marcion. cap. 42. & D. Hieron. hoc loco.

Pſal. 77. *Pſal. 80.* *Lucæ. 2. 32.* *Pſal. 52. 9.* *Pſal. 32. 10.* *Michææ. 2.*

M*EDITATI ſunt.*] Hebraicè eſt in futuro: IEHGV, *Meditabuntur.* Aquila vertit, *Loquentur.* Chald. *Meditantur.* Huc ſpectant, quæ ſuperius in primo Pſalmo, Verſu. 2. annotauimus, de germana huius verbi ſignificatione, quod etiam in malam partem denotat ardens ſtudium, & deſiderium, quo Iudæi de Chriſto Domino perdendo cogitabant, conſultabant, colloquebantur.

¶ *INA-*

I*NANIA.*] Hebraicè, R I K, in ſingulari ſubſtantiuo, *vanitatem.* Ita vertit Chald. Aquila, *Inaniter.* Significat propriè R I K, in abſtracto, id quod non eſt ſtabile, ſolidum, diuturnū, ſed inane, vacuum, fluxum, à R A I A K, quod eſt, euacuare, euaginare, effundere. Vnde REK, adiectiuè, inanis, vacuus: & ſuſtantiue, R I K, inanitas, vanitas, vacuitas: & aduerbialiter, vacuè, inaniter, fruſtra. Inde deductum videri poteſt, nomen Syrum R A K A, pro homine vacuo cerebri, otioſo. Ita cenſet Hierony. enarrans caput 5. Matth. ſuper illa verba: *Qui dixerit fratri ſuo Racha*; Ideſt, vacuum, inanem, ſtultum. Non inepta alluſio; vt diuitiæ, Hiſpanè, *Riquezas*, appellentur. Quaſi bona inania nullius momenti, & quæ appetitum explere nequeunt.

Matth. 5. 22.

QVAM fuerint vana, inania, & futilia, omnia Iudæorum, & Gentilium conſilia, ſtudia, cogitationes, machinationes, explicat elegantiſsimè, & fuſiſſime D. Chryſoſt. hoc loco. Quamuis enim (inquit) pati ſuſtinuerit, diuinam tamen poteſtatem non amiſit: quamuis in ligno penderet, Angeli eum admirabantur: quamuis eum Iudæi maledictis inſectarentur, Patri tamen ſpiritum commēdabat: quamuis eſſet in monumento ſepultus, inferorum tamen, pænaria exinaniuit: quamvis eſſet mortuorum vinculis illigatus, mortis tamen vincula confregit: quamuis ab infidelibus fuerit condemnatus, venit tamen Iudex viuorum, & mortuorum.] Hæc Chryſoſt.

¶ VERSVS

VERSVS SECVNDVS.

¶ *ASTITERVNT Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.)*

REGES terræ, ex ſententia Ludolphi, & Lirani, fuerunt Herodes, & Pilatus; Nam licèt hic, non eſſet rex inauguratus, gerebat tamen perſonam Cęſaris Romani Imperatoris, eiuſq; nomine in Iudæa, regiam exercebat iuriſdictionem. Theodoret. exiſtimat, per reges ſolum intelligi, Herodem, & per principes, Pilatum; qui erat vir primarius, & Iudæę, pro Cæſare principabatur; Hancque expoſitionem aſſerit Theodoret. Colligi apertè, ex verbis D. Petri Actuum 4. ſic aientis: *Conuenerunt enim, vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quē vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſrael.* Quod autem Propheta reges, & principes poſuerit in numero plurali, cauſam eſſe, quia Sacra Scriptura, plurali numero ſæpè vtitur pro ſingulari, & è conuerſo. Caſsiodor. & alij cenſent, per reges, & principes in plurali, ſignificare voluiſſe Dauidem, duos reges eiuſdem nominis, qui Chriſti mortem machinati ſunt, Herodem ſcilicet, Aſcalonitam, qui regnabat in tota Iudæa, quo tempore natus eſt Chriſtus, cuius occidendi cauſa, innúmeros trucidauit infantes; & Herodem Galilæę Tetrarcham, qui Ioannem Baptiſtam capite truncari iuſsit; Chriſtique paſsioni, etiam dedit operam; illudēs ipſum, & veſte alba indutuum ad Pilatum

Actuū. 4. 27.

Herodes Aſcalonita.

tum remittens. Per principes vero Pontium Pilatum,
qui in Iudæa principatum obtinebat, & ſummos Sa-
cerdotes, ſeu principes Sacerdotũ,ac Scribas,qui pro-
ceres erant Iudæorum. D. Chryſoſtomo videtur, per
reges, non modo ſignificari vtrumque Herodem, ſed
etiam diabolum,mortem,& peccatum. Hi enim omnes
quinque reges,in Chriſtum,ſuo quiſque modo conſpi-
rarunt, nec tamen illi nocere valuerunt. De Sathana,
Luc. 11. quod rex ſit malorum, teſtatur Chriſtus, Luc. 11. *Si er-*
18. *go Sathanas inſeipſum diuiſus eſt; quomodo ſtabit regnum*
Romã. 5. *eius?* De regno mortis inquit Paul. *Sed regnabit mors,*
14. *ab Adam, vſque ad Moſem.* Quod dæmon peccatum, rex
ſit, idem aſſerit Apoſt. eodem loco: *Ne regnet ergo pec-*
catum in mortali veſtro corpore. De his omnibus regibus
Chriſtus Dominus glorioſiſsimum triumphum reporta-
Ioan. 14. uit; Nam de diabolo, dixit Ioan. 14. *Venit princeps mũ-*
30. *di huius, & in me non habet quidquam.* De morte aſſerit
Oſeæ. 13. per Prophetam Oſæam, cap. 13. 14. *O mors, ero mors*
14. *tua, morſus tuus ero inferne.* De peccato, Ioan. 8. *Quis*
Ioan. 8. *ex vobis arguet me de peccato?* Aliqui cenſent, reges, &
4. principes, voces eſſe ſynonimas, tam de Herode, quam
de Pilato ennuntiatas; Nam reges, in ſacris litteris, etiã
Pſal. 104 principes vocantur. Vt Pſal. 104. Pharao, Ioſephi li-
20. berator, *Rex* dicitur; *& princeps populorum.* Apoc. 1. 5.
Apoca. 1. dicitur Chriſtus; *Primogenitus mortuorum, & princeps re-*
5. *gum terræ.* Qui teſtimonio eiuſdem Ioannis, Apoc. 19.
Apoc. 19. *Habebat ſcriptum in veſtimento ſuo; Rex regum, & Domi-*
16. *nus dominantium.*

A*STITERVNT.*] Hebraicè, futuri temporis, ITHIATSEBV, ſtatuent, aut ſiſtent ſeipſos, componentſe, neruos omnes intendent, vt reſiſtant: ſtabunt tamquam in acie armati, ad repugnãdum. Hierony.

rony. vertit, *Conſurgent*. Symmach. & Chald. *Conſurgunt, ſimul ſtant*. Eumdē habent ſenſum, omnes hæ tranſlationes, cæcum furorem, & inſanos conatus ſignificantes regum huius ſæculi, contra Chriſtum, eiuſque diuinam legem.

¶ In dictione, *Terra*, antitheſis ineſt, denotans quāta ſit ſtultitia; reges terrigenas, mortales, & caducos, contra Regem cœleſtem, æternum, immortalem conſurgere. Eugub. terram, dicit per anthonomaſiam ſignificare, Iudæam, in qua Chriſtus occiſus, eiuſque diſcipuli paſsi ſunt varias perſecutiones. Sed vniuerſaliorem exiſtimo eſſe prædictionē de omnibus, tàm Chriſti quàm eius Euangelij perſecutoribus; vbicumque Gentium conſtitutis, atque regnantibus.

ET *principes*.] Hebraicè, ROZANIM, ideſt, reges, ac principes, qui alijs dominantur, & ius dicunt. LXX. *Archontes*, hoc eſt, Primarij. Chald. *Potentes*. Tertullian. *Magiſtratus* legit, lib. 1. cont. Marc. cap. 21. Hoc loco ſatis conſtat, diverſam habere ſignificationem, & nomine regum intelligi vtrumque Herodem, verè ac propriè regia dignitate præfulgentes. Principum vero appellatione, ſignificari Pilatum, Annam, Caipham, & alios Principes Sacerdotum, & Phariſæorum. In Hebræa namque Repub. præter eos, qui Pontificatum geſſerant, appellabantur principes, omnes illi, qui erant tribuum, vel familiarum, præſertim leuiticarū, capita; de quibus inter alios tractat fusè Carolus Sigon. lib. 7. de Repub. Hebræor. cap. 5. 6. & 7. Quamuis autem in Actib. Apoſtolicis, ſolum fiat mentio Herodis, & Pilati, qui ad reges, & principes referūtur, non dubiū eſt, quin reliqui principes Iudaicæ Reipub. & præcipuè principes Sacerdotum, & Phariſæorum,

rum, in mortem Chriſti conſenſerint, conſpirauerintq; que: vt ex textu Euangelico patet manifeſtè. Ita ſentiunt Caſsiod. Liran. D. tamen Ambro. cap. 23. in Luc. docet, hoc loco, figuram eſſe ſyllepſim, poſitumq; numerum pluralem pro ſingulari, in cuius rei probationem, duo affert teſtimonia ex Sacra Scriptura: Alterũ
Matt. 27 44. ex Matth. 27. 44. & Marc. 15. in quibus legitur, duos latrones, vna cum Chriſto crucifixos, ei pendenti im-
Luca. 23 39. properaſſe; cum Lucas 23. 39. ſcribat vnicum fuiſſe latronem Chriſto conuitiantem: Alterum teſtimonium
Hebr. 11 ex Paulo ad Hebr. 11. vbi loquens de ſanctis Patribus, & Prophetis Veteris Teſtamẽti, qui propter fidei, & legis diuinæ obſeruantiam, multis afflictionibus, & cruciatibus fuerunt affecti, dicit eos circuiſſe in melotis, & in pellibus caprinis, quod vni conuenit Eliæ, alios ſectos fuiſſe, quod ſolus pertulit Iſaias quoſdam obturaſſe ora leonum, quod de Daniele ſolũmodo legitur. Ita hoc loco Pſalmi, dictum eſt, reges, & principes numero multitudinis, pro Herode, & Pilato, qui perſonæ fuerunt ſingulares. Divus Auguſtinus adſtipulatur Ambroſio.

QVamquam poſſumus dicere, abſq; figura ſyllepſi, fuiſſe in locis adductis ſeruatam, numerorum veritatem, & proprietatem: Nam ad priorem de latronibus Chriſto convitiantibus, aliqui dicunt ſatis probabiliter; initio ambos latrones Chriſto improperaſſe, Deinde vero ſingulari Chriſti beneficio, alterum fuiſſe conuerſum, alterum in ſuo nefario ſcelere perſtitiſſe. Ad auctoritatem Pauli de Prophetis Veteris Teſtamẽti, reſponderi poteſt, præter Eliam, Iſaiam, Danielem, & tres pueros Babylonicæ fornacis, multos alios id genus afflictiones, & perſecutiones pertuliſſe; mirabiliquè

què modo à Deo fuiſſe liberatos. Neque enim omnia, quæ erga ſuos ſeruos, tàm in Veteri, quàm in Nouo Teſtamento, miraculoſè Deus operatus eſt, fuerunt ſacrarum litterarum monumentis, conſignata.

¶ *CONVENERVNT in vnum.*)

HIERONYMVS, *Tractabunt pariter.* Symmachus; *Conſultant, aut conſiliantur vnanimiter.* Chaldai. *Conueniunt in vnum.* Hebraicè; NOSEDVIAHHAD, *Conſiliantur, vel fundantur ſimul.* IASAD, verbum ſignificat fundare, & in NIPHAL, firmari, ſtabile cõſilium decernere. Quoniam, vt ait R. Dauid Kimhi, ita ſe habet cõſilium ad opus, vt fundmẽtum ad ædificium. Senſus eſt igitur; omnes iſtos Chriſti inimicos, ita ſe adunaſſe, & in idem conſilium, vel decretum cohæſiſſe, vt inſtar fundamenti, aut ædificij firmiſsimi, ex vnitis, & ordine compoſitis, lapidibus conſtructi, in eadem ſententia fixi, perſtiterint. Conuenit veriſsimè, & propriſsimè principibus Sacerdotum, cæteriſque Magiſtratibus Iudæorum, qui tam firmum de Chriſto perdendo conſilium arripuerunt, vt nulla ratione Pilato etiam multis modis annitente, manſueſcere, nec de propoſito dimoueri potuerunt.

¶ *IN vnum.*)

NON refertur ad locum aliquem, in quo ſupradicti omnes conuenerint: ſed ad idem odium, deſiderium, ſtudium, quo vnanimiter omnes contra Chriſtum Dominum exarſerunt: Id deſignat Hebræa vox, IAHHAD; Id eſt, vna, pariter, ſimul. Certum autem eſt, Pontium Pilatum, & Herodem, cæteroſquè princi-

principes Sacerdotum, non in vnum cōgregatos fuiſſe locum. Vnde Caſsiodor. Aſtiterunt, inquit, non præſentiam ſignificat, ſed voluntatem. Quamuis, ſi ſolum referatur ad principes Iudæorum, poteſt etiam, locum denotare; nam conſtat ex Euangelica Hiſtoria, ipſos ſæpè coiuiſſe in locum vnum, quo conſueuerunt concilia celebrari, ad tractandum de Chriſti morte. Nec difficilis fuit generalis hæc vnio, & conſpiratio improborum, ac ſuperborum hominum (inter quos alioqui ſemper ſunt diſsidia) contra Dominum. Teſtis eſt red-
Luc. 23. integratio amicitiæ inter Pilatum, & Herodē, Luc. 23. Qui in paſsione Domini facti ſunt amici, cum antea inter ſe maximopere diſsiderent.

¶ Hoc nefandiſsimum fœdus, quod in Chriſto interimēdo pepigerunt hactenus, vt animaduertit Beda, eorum veluti hæreditario iure, cuſtodiunt ſucceſſores; quandoquidem Gentiles, & Iudæi ſicut genere, & religione; ita etiam mentibus diſcrepantes; in Chriſtianis tamen perſequendis, Chriſtique Eccleſia euertenda,
Iud. conſentiunt maximè. Vulpecularum Samſonis inſtar, quæ quamuis capitibus disiunctæ, caudis ad nocendū
Iſai. 7. 4. cohærebant. Iſai. cap. 7. Præcipitur Achaz regi Iuda. *Ne formides à duabus caudis titionum fumigantium iſtorū.* Regis, ſcilicet, Syriæ, & regis Iſraël, qui tametſi in Dei cultu diſsidebant, in vnum tamen convenerunt ad expugnandam ciuitatem Ieruſalem; regemque eius, regno expoliandum. Veluti etiam ſcuta fuſilia, ex quibus
Iob. 41. ait Iob. 41. conſtare Leviathan, ideſt, diaboli corpus myſticum, compactum ſquammis, ſe premētibus, & ita cohærentibus, vt ne ſpiraculum quidē incedat per eas; quia impij, & nefarij, tamquam dæmonis membra, ita contra Deum vniuntur, & coniunguntur, vt neque ipſius inſpirationibus, locum vllum relinquere videātur.

¶ AD-

Digitized by Google

¶ *Aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.)*

CHaldaicè; *Vt rebellent à Dño, & certent cum Meſsia eius.* Primo loco ponitur in Hebræo, nomen Dei ineffabile I E H O V A H, vt de Deo vero loqui intelligamus. Quod attinet ad nomen Meſsiæ, ſeu Chriſti, quod Græcè idem eſt, Latine, vncti, duplicem adhibet interpretationem D. Thom. Prior eſt, vt intelligatur de Dauide, qui erat Rex vnctus, ſolebãt enim apud Hebræos, ſacro oleo invngi, non ſolum Pontifices, ſed etiam Reges. Vt conſtat manifeſtè ex Sacra Scriptura. Quamobrem Philiſtęi contra Dauidem rebellantes, cõtra Deum ipſum vere inſurgere dicebãtur. *Nam qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Roman. 13. & 1. Rom. 13. 2.
Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me.* Quare iniuria Regi facta, redundat in Deum, qui ipſum inſtituit, & poteſta- 1. *Reg.* 8.
tem contulit. Altera expoſitio potior, profundior, & 7.
germanior, quam ſequuti ſunt Apoſtoli loco Actuum citato, eſt; Per Chriſtum ſignificari, verum, & naturalem Dei Filium, hominem factum. Et hanc interpretationem, non ſolum catholici Doctores amplexati ſunt, ſed etiam veteres Rabbini, vt ſcribit Salomõ Iarchius.

¶ Nicolaus Liranus, & ante eum Tertullianus cõtra Praxeam, cap. 24. & 28. ait, in Sacris Scripturis, per Chriſtum Dñi, ſemper intelligendum eſſe Meſsiam in lege promiſſum, niſi aliud innuant, verba antecedentia, vel ſubſequentia. Celebris eſt, pro hac doctrina locus Threnor. 4. 20. vbi iuxta noſtram Vulgatam, ſic *Thren.* 4.
habetur: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in* 20.
peccatis noſtris; cui diximus, in vmbra tua viuemus in Gentibus. Ibi eſt, nomen ineffabile, Chriſto communicatum, tamquam Deo vero. Quamuis autem legi poſſet, Chriſtus Domini, & de Ioſia exponi cum Hieronymo,

 Thoma

Digitized by Google

Thoma, & alijs; verior tamen,& communior interpre-
tatio eſt,ſequendo dictam noſtrę Editionis lectionem,
de Ieſu Chriſto,filio Dei naturali,quem Angeli Euan-
gelizantes,Chriſtum Dominũ appellarunt. Et Simeon
Luca. 2. 26. iuſtus, *Reſponſum accepit à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortẽ, niſi videret Chriſtum Domini.* De quo etiam Anna, Samuelis mater, vaticinata eſt, dicens : *Et ſublimabit cornu Chriſti ſui.* (*1.Reg.* 2. 10.) Conferens, ſcilicet, ei, ſupremam in cælo,& in terra poteſtatem. Is enim, ratione humanæ naturæ,Verbo diuino perſonaliter vnitæ,*vnctus eſt*, (*Pſal.* 40.) vt Dauid loquitur,*oleo lætitiæ*, ideſt, plenitudine gratię, *præparticipibus ſuis* : Ideſt, membris Eccleſiæ, qui de eius omnes plenitudine, acceperunt. Euthym. annotat, in aliquibus exemplaribus, legi, *Chriſtum eorum.* Iuxta quam lectionem, ait : Relatio illa, extendenda erit, tàm ad Iudæos omnes, quam ad Gẽtes,& ad ipſos etiam Dæmones ; cum Chriſto, omne genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

¶ Præterea in fine huius ſecundi verſus, obſeruant Euſeb.Cæſariẽ. & Euthym.apud LXX. poſitum fuiſſe, diapſalma, vt videre eſt in Editione Græca, & Latina LXX. iuſſu Sixti Pontif. Max. impreſſa. Attamen nec in Hebraica, nec in Editione Theodotionis, hoc loco, diapſalma, reperitur : immo neque in noſtra Vulgata emendata. Quamobrẽ, aliqua ſuſpicio eſt, vel à LXX. vel ab aliquo alio interprete,additum, ad indicandum, grauiſsimam, hanc eſſe prophetiam,& notatu digniſsimam.Quid autem ſit diapſalma,apud Græcos, quod dicitur ab Hebræis CELLAH, in ſeq. Pſal. explicabimus.

¶ VERSVS

VERSVS TERTIVS.

¶ *Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.*

DIVVS Iuſtinus Martyr, Nicephor. & D. Auguſt. cenſent, verba hæc, eſſe Regum, & principum, cæterorumque Chriſti inimicorum, ſe mutuò adhortantium, ad reſiſtendum prædicationi legis Euangelicæ. Quaſi dicant: Demus operam, vt nos non alliget, neque nobis imponatur Chriſtiana religio. *Vincula*, vocant leges, quibus quaſi vinciri ſolent ſubditi, & contineri in officio; *iugum* vero imperium. Metaphora ſumpta à ſeruis, qui vincti, coguntur facere opus. Origenes, cui adhæret Euſeb. ait; Chriſtũ hîc loqui ad alias diuinas perſonas, vel Angelos miniſtros, vel Apoſtolos, & prædicatores Euãgelij, quos exhortatur, tum ad diſrumpenda vincula Idololatriæ, & aliorum peccatorum, quibus Gentiles à Diabolo conſtricti, & captiui tenẽtur; tum ad excutiendum, à Chriſtianorum ceruicibus iugum veteris legis duriſsimum, & amplectendum iugum Chriſti ſuauiſsimum, in lege gratię omnibus imponendum. Illud vero, *à nobis*. Iuxta hanc ſententiam dicit Origenes, dupliciter poſſe exponi; Primo, *à nobis*, ideſt, à nobis metipſis, id faciamus non expectantes, vt qui oppreſsi ſunt implorẽt auxilium.] Secundo, poteſt exponi, *à nobis*, hoc ſenſu. Quamquam ego ex Hebræo populo natus ſim, & eorũ legi ſubiectus, circumcidi, omniaq; alia pręcepta, & cęremonias obſeruare voluerim. Age igitur, *proijciamus à nobis iugum ipſorum*, hoc eſt, vel à me ipſo, vel ab ijs, qui mihi adiuncti ſunt; vel iugũ ipſorum, onus nobis impoſitum exiſtimantes, proijciamus.] Euthym. ſequitur vtramq; ſententiã ſcribẽs, verba hęc dicta eſſe, veluti ex

perſona Spiritus Sancti iubentis, poſteris fidelibus, vt ab idololatris Romanis, atque ab imprudētibus Iudæis diſcedāt, & illorum quidem ſeruitutis vincula, diſrumpant, quibus detinebantur: Horum vero iugum, quo propter legem gravantur, excutiant, veluti oneroſum, mortiferumque: & vice illius, leue, ac vivificum Chriſti iugum ſumant. Quamquam, & alio modo intelligi poſsit, vt dicta videantur ex eorum perſona, qui Chriſtum occiderunt, qui & re ipſa, & verbis ſeruitutis vincula, & ſubiectionis iugum, recuſarunt. Quibus, ipſo etiam iure naturæ, tàm Filio, quàm Patri devincti erant. ¶ Huc vſque Euthym. Cui aſſentiunt Baſil. & Theodoret. quoad priorem partem. Mihi vero videtur (inquit Baſilius) Spiritum Sanctum præcipere fidelibus, vt hæc verba dicant; dirumpamus vincula eorum, impiarum, videlicet Gentium, & proijciamus à nobis iugum ipſorum, iniquorum, ſcilicet, Iudæorum; & ſubijciamus nos iugo Chriſti.

¶ Liranus exiſtimat, verba eſſe Prophetæ, in Spiritu præuidentis, & prænuntiantis, omnium Chriſti perſecutorem infœlicem exitum; cum eorum colligationes, & vnitiones contra Chriſtum, eſſent diſsolvendæ, & deſtruendæ: quandoquidem, & Pontius Pilatus in vindictam mortis Chriſti, fuit ab Imperatore Romano in exiliū miſſus: & ſimiliter Herodes de regno deiectus, & in exilium relegatus: & principes Iudæorum, ac totus populus, per Titum, & Veſpaſianū occiſus, & prorſus euerſus. Sed prima omnium eſt, magis communis ſententia, & Textui conſentanea. Nam is fuit ſemper tam Gentilium, quam Iudæorum animus cōtra Deum, eiuſque ſanctum Meſsiam, ac legem Euangelicam, vt totis viribus, ipſis repugnare conati ſint. Quod patet de Philiſtæis, ſeipſos contra Dei populum compellantibus,

Digitized by Google

tibus, & exhortantibus, in hunc modum, 1. Regum. 4. *Confortamini, & eſtote viri Philiſtijm, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut ipſi ſeruierunt nobis. Confortamini, & bellate.* Quare cum hic Pſalmus, vt diximus, poſsit exponi de Dauide Rege, contra quem, Philiſtæi conſurrexerunt, & debellarunt, vt eum de regno deijcerent; maximè ſit veriſimile ad ipſos verſiculi huius verba pertinere. Iudæi etiam Chriſtum Dominum repudiantes: *Nolumus* (dixerunt) *hunc regnare ſuper nos.* Et; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Vnde eius ſacroſancto nomini, atq; Euangelio, bellum indixerunt, prorſuſque repugnarunt. Vt conſtat cap. 5. Act. vbi, coniectis Petro, & alijs Apoſtolis in carcerem, indeque mirabiliter eductis ab Angelo, Principes Sacerdotum, & Magiſtratus Iudęorum, ita dixerunt: *Præcipiendo, præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Ieruſalē doctrina veſtra, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.* Et poſt hæc eodem inflammati odio, Apoſtolos flagellarunt, Stephanum lapidarunt, Eccleſiam diſpulerunt, Iacobū occiderunt, Petrum carcere incluſerunt, & tandem in eadem perfidia perſiſtunt hactenus, perſiſtentque vſque ad conſummationem ſæculi. Chaldæus fauet huic ſententiæ, ita vertens: *Dicunt, diſſoluamus vincula eorum, & proijciamus à nobis, funes ipſorum.*

1. Reg. 4. 9.

Luc. 19. 4.

Ioan. 19. 15.

Actuū. 5. 28.

D*irumpamus.*] Hebrai. N E N A T H É K A H; Id eſt, eradicemus, ſtirpemus, euellamus, diſſoluamus. Omnia hæc ſignificat verbum, N A T H A K. Innuitur ſathanicum odium, quo in Chriſtum, & eius Eccleſiam infideles, debacchantur, furunt, vt funditus deleant, euellant eradicent, dicentes cum efferatis Babylonijs; *Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.*

Pſal. 136. 7.

VIncula eorum.] Hebr. MOSAROTHEMO; Vincula, ligamina, correctiones, caſtigationes, à verbo IASAR, quod eſt caſtigare, corripere, erudire. Inde MOSAR, correctio, caſtigatio, vinculum, ligamen. Quare quemadmodũ animalia, vinculis coërcentur, & coguntur hominis parere imperio; ita homines, legibus vinciuntur, & compelluntur; vt nô quod cœca, & effrenata cupiditas exigit; ſed quod Deus præcipit exequantur. Quapropter Euãgelicæ legis vincula, & funes, hoc eſt, præcepta, & conſilia, cum nihil aliud ſint, quam caſtigationes, & correctiones carnis, & concupiſcentiæ prauæ, quibus conſtringitur arctè, atq; ad parendum diuinæ voluntati compellitur; nihil mirũ, quod à carnalibus hominibus mundi oblectamenta conſectantibus, odio habeantur, & impugnentur.

PRoÿciamus à nobis.] Denotatur excuſsio cum impetu, indignatione, execratione, tamquã rei grauiſsimæ, & moleſtiſsimæ, cum re vera iugum Chriſti, ſuauiſsimum ſit, & onus leuiſsimum, requiem conferens ſpiritualem.

IVGVM ipſorum.] Hebr. GHABOTHEMO, propriè funes, implicationes, Hiſpanicè, *Enrredos*, ita viſa ſunt infidelibus, & idololatris Chriſtianæ fidei myſteria, non ſolum grauia, & moleſtia, ſed etiã ſtulta, intricata, incredibilia, cum Deum prædicent crucifixum, mortuum, ſepultum: *Prædicamus* (ait Paul. 1. Corint. 1.) *Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Per funes, Hebræi interpretantur, conſilium, conſenſum, vnionem, qua impij inter ſe connectuntur, & complicantur. Melius tamen Græcus transtulit, *Iugum*, funibus enim, qui Hiſpanicè dicuntur

1. Cor. 1.

Iugum in ſacris litteris quid

dicuntur, *coyundas*, animalia conſtringuntur; vt impoſitum iugum excutere, aut proijcere nequeant. Iugum, eſſe legis ſeruandæ ſymbolum, conſtat ex Sacris litteris. Ita D. Petrus appellauit legem Veterẽ, & Chriſtus, Nouam, Matth. 11. Ierem. 2. 2. *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam.* Threnor. 3. 27. *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcẽtia ſua.* Paſsim ſunt exempla in ſacris litteris. Porrò homines nefarios, effrænatos; exleges, vocat Sacra Scriptura, filios Belial, ideſt, ſine iugo. Iudic. 19. 22. Eratque Pythagoricum proverbium: Iugum ne tranſgrediaris. Ideſt, legem ne violes. *Nulla quidem conuentio Chriſti ad Belial.* 2. Cor. 6. *Quia* Chriſtus, factus ſub lege, maximè obediens Patri. Belial, eſt præuaricator, apoſtata, exlex, Diabolus. Iugum, denotat etiam ſeruitutem, quam ſeruiunt ſubditi. Geneſ. 27. 40. *Tempus veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.* 1. Machabæorum 8. 18. *Et vt auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt, quod in ſeruitutem premerent regnum Iſrael.* Vnde ſubiugare, eſt alios in ſeruitutem redigere, & ſuæ poteſtati ſubdere. Vide Pier. Valerian. lib. 48. de iugo.

Matt. 11. *Ierẽ. 2. 2.* *Thren. 3. 27.* *Iudic. 19.* *2. Corin. 6.* *Geneſ. 27. 40.* *1. Mach. 8.*

VERSVS QVARTVS.

¶ *QVI habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſanabit eos.*

VERBA ſunt Prophetæ, iſtorum omniũ theomachorum, pœnam, & ſupplicium prædicentis, eſtque elegans anthitheſis, qua exprimitur,

ſumma ipſorũ ſtultitia, & inſania, dum conſilia ineunt, & moliuntur in terra contra Deum, qui in cœli faſtigio poſitus, omnia intuetur, & lædi à nemine poteſt: immo poteſt facillimo negotio, hoſtes ſuos devincere, ac perdere; quorum omnes conatus, & ſtudia cum ſuo tempore inania reddiderit, eos ridendos, atque ſubſannandos omnibus exponet. Quare, cum ipſi in terra aſtant irrequieti, Deus in cœlo ſedet, pacificè, & abſque metu. Ipſi conueniunt, aduerſus Dominum, & Chriſtum eius. Deus ipſos irridet, & ſubſannat; ipſi ſtudent maximopere. diuinæ legis iugum excutere, & diſsoluere, Deus ipſorum cõſilia diſsipans, furore ſuo cunctos opprimit, & conturbat. D. Athanaſius ſerm. de Paſsione, & cruce Domini, hoc refert ad dæmones, irriſos, & ſuperatos à Chriſto, cum primum ad inferos deſcendit, ipſiſque prædam eripuit. Intelligi tamen de omnibus Chriſti hoſtibus, communis eſt Patrum opinio. Nam, quo magis Chriſto, & eius Euangelio repugnarunt, eo magis dilatata eſt Eccleſia, floruitque Chriſtiana religio. Hanc temeritatem, & inſaniam, hominum impiorum cõtra Deum bella mouentiũ, ipſique pœnas luentium, egregiè deſcripſerunt Poëtæ, vt Ouid. lib. 1. Metamor. & Claudian. in Gigantomachia, vbi fabulantur, ex terra homines proceræ ſtaturæ progenitos, eo impietatis deueniſſe, vt Ioui bellum inferre tentauerint, vt eum de cœleſti regno deturbarent; quod ſe cõſequi poſſe exiſtimarunt mõtes montibus ſuper imponentes, ſcalamque hoc pacto in cœlum præſtituentes; ſed Iupiter ipſorum audaciam confregit, conatuſque irritos fecit, fulmina de cœlo proijciens, quibus tacti Gigantes, in nihilum redacti ſunt, & montes diſiecti. Sub qua fabula, myſtica latet ſignificatio impietatis, qua Reges terræ, & Principes, ob id Gigantes appellati, quod

Digitized by Google

quod cæteris poteſtate excellant, cœco furore incitati, aggreſsi ſunt bellum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius; montes montibus imponēdo, ideſt, varijs, atque immanibus tormētis, & cruciatibus, Chriſticolas, qui Dei ſunt domicilia affligendo; ſed tamen Deus fulmine ſuæ potentiæ diſsipauit peruerſa malorū deſideria, & machinamenta, ac de omnibus ipſis glorioſiſsimam victoriam reportauit; cum infirma, & ignobilia mundi elegerit, vt fortia confunderet. Sed quid opus eſt, Poëtarum figmentis? Habemus ſiquidem hac de re veram hiſtoriam, Geneſ. 11. in poſteris Noe, qui vt Dei potentiæ reſiſterent, nomenque ſuum celebre redderēt, turrim conſtruere cogitarunt, ad cœlum vſq; pertingētem, quos Deus, opus iam aggreſſos, & obſtinato animo molientes, facilè ſuperauit, ac diſpulit, linguarum cōfuſione, & multiplicitate, eis immiſſa. Symbolum id extitit triumphi, quem Chriſtus obtinuit cōtra Reges, & Principes huius ſæculi; turrim idololatriæ ædificare conātes, qua Deo, eiuſque cultui bellum inferrent: illos enim potentiſsimo Spiritus Sancti fulmine, per linguarum donum Apoſtolis tributum, confudit, prorſuſque deuicit. *Gen. 11.*

¶ *QVI habitat in cælis.)*

HEbraic. IOSEBBASAMAIM, hoc eſt, ſedens in cælis. Quamuis Deus Opt. Max. vbique eſt, & in omnibus rebus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam (vt docent Theologi) ſpeciali quodā modo dicitur eſſe in iuſtis per gratiæ donum, & in cœlo, per gloriæ cōmunicationem; hoc proprium, & celeberrimum eſt, Diuinæ Maieſtatis ſtemma, quod in cœlo habitat, & præſidet, tamquam in ſua curia, & palatio, vbi faciem ſuam, beatis, clarè videndam exhibet; & inde

veluti

Digitized by Google

veluti ex altiſsima ſpecula terrena omnia intuetur, &
Pſal.112 proſpicit, Pſal. 112. *Quis ſicut Dñs Deus noſter, qui in*
5. *altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra?* 2. Pa-
2. Paral. ralip. 20. 6. *Domine Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in*
20. *cælo, tu dominaris cunctis regnis Gentium.* Pſal. 13. 2. *Do-*
Pſal. 13. *minus de cælo proſpexit, ſuper filios hominũ.* Pſal. 102. 19.
Pſal. 102 *Dominus in cælo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius om-*
19. *nibus dominabitur.* Et in oratione Dominica: *Pater no-ſter qui es in cælis.* Paſsim occurrunt teſtimonia in Sacra Scriptura. D. Auguſt. hic per cœlos, intelligit iuſtos, in quibus per gratiam inhabitat, & ipſis tanquam inſtrumentis vtitur, ad malorum conatus ſuperandos. Hanc expoſitionem ſequitur Hugo Cardin. quia Deus (vt aiunt) nõ dicitur propriè habitare, niſi in iuſtis hominibus, & Angelis. Hæc tamen expoſitio myſtica eſt, & idcirco placet magis, per cœlos intelligi, ſupremum mundi domicilium, locumque corporeum, vt ſtatim dicemus. Quod magis congruit antitheſi, qua vtitur Propheta.

IN *Cælis.*] Hoc eſt, in cœlo Empyreo omnium cœlorum ſupremo, & prçſtantiſsimo, immobili, immutabili, æterno, inquo Deus habitat cum cœlitibus omnibus, ipſi aſsiſtentibus, & miniſtrantibus. Dictum autem eſt numero plurali in cœlis, quia vox Hebræa SAMAIM, eſt numeri multitudinis, carẽs ſingulari. Quare noſter interpres, tametſi ſermo ſit de vnico cœlo, aliquando vertit per numerum pluralem, vt hoc loco, &
Pſal.113 multis alijs; aliquando per ſingularem, vt Pſal. 113. 16.
16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Et
Pſal.113 Pſal. 113. 11. *Deus autem noſter in cælo; omnia quacum-*
11. *que voluit fecit.* Pſalm. 67. 34. *Qui aſcendit ſuper cælum*
Pſal. 67. *cæli ad Orientem.*
34.

¶ IRRI-

¶ *IRRIDEBIT eos, & Dominus ſubſannabit eos.)*

HÆC figurate, per antropopathiam, intelligi debent: Deus enim propriè, neque ridet, neq; irridet, vel ſubſannat; cum horum careat affectuum: ſed dicitur irridere, & ſubſannare; eo quod faciat, vt impiorum ſtudia, & molimina contra ipſum, inania reddantur, & irriſione, ac ſubſannatione, digna appareant. Similia verba ſunt in Proverbijs cap. 1. *Ego quoq; in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cum vobis id, quod timebatis aduenerit.* Prou. 1. 16.

¶ D. Auguſtinus cenſet hæc omnia ſynonima eſſe, & eumdem ſenſum efficere pro more Sacræ Scripturæ, quæ ad maiorem exaggerationẽ, ſolet plurimis verbis vti, ad idem ſignificandum; Et ita idem eſt; habitans in cælis, quod Dominus. Et pari modo, irridebit, ſignificat idem, quod ſubſannabit. Quamquam alij putant, nõ nihil eſſe diſcriminis, ita vt; *Qui habitat in cœlis,* referatur ad Deum Patrem. Et *Dñs ſubſannabit eos,* ad Deum Filium, ac Regem Meſsiam. Ita exponit Euthym. & nõ incongrue, Deus Pater, dicitur in cœlis reſidere, quamquam enim, id cõmune ſit toti Trinitati, Patri tamẽ appropriatur, quia cum ſit perſona à nulla alia procedens, & idcirco ei mitti non cõpetat, vt Filio, & Spiritui ſancto, iure optimo dicitur in cœlis habitare. Thodoret. Quamvis hæc verba, ad Patrem, & Filium, dicat eſſe referenda, ſed priora; *Qui habitat in cœlis irridebit eos,* dicit intelligi de Filio, reliqua de Patre. *Qui enim* (inquit) ab ipſis captus, mortique traditus eſt, in cœlis habitat, omniaq; continet, & vanas, atq; ſtultas eorũ cogitationes oſtendit. Huius vero Pater omniumq; Dñs, Vide. D. Thom. 1. p. q. 43. art. 4.

pœnam ab eis condignam exigit.] Eadem ferè ſcribit Baſil. Sed placet magis Euthymij ſententia, quia in his Prophetę verbis contrapoſitionis ordo ſeruari videtur. Quare cum dixerit, Gentes,& populos,Reges, & Principes terræ, conueniſſe aduerſus Dominũ I E H O V A, & aduerſus Meſsiam eius; æquum erat, vt in antitheſi, eamdem ſeruaret ſeriem, & ita per ſedentem in cœlis, intelligere debemus Deum Patrem, & per Dominum, eius Filium, qui hæres eſt, & Dominus vniuerſorum, non modo ratione diuinitatis, ſed etiam humanitatis, diuinitati copulatæ. Si quidem Dominus eſt cœli, & terræ, ac præſertim hominum, quos redemit pretioſo ſanguine ſuo. Quare pro *Dominus*, non eſt nomen ineffabile, ſed Adonai; quod non ſolum Deo tribuitur, ſed alijs etiam perſonis, dignitate præditis, quo innuitur, Chriſtum, nõ ſolum Dominum eſſe omnium, in quantum Deum; ſed etiam in quantum hominem. Quod in extremo iudicio iniqui omnes ſint palam, ac publicè irridẽdi, ac pudefaciẽdi, apertiſsime conſtat; tunc enim non ſolum, à conſortio bonorum ſeparabuntur, quod vt D. Thom. ait pertinet ad irriſionem, ſed etiam illis exprobrabitur, quod non exercuerunt opera miſericordiæ, quod, genus eſt ſubſannationis, ad eos confundendos.

Prou. 1. 26.

¶ Aliqui, ad tempus vitæ præſentis referunt huiuſmodi irriſionem,& ſubſannationem, vt Chryſoſt. Hugo Cardin. Auctor Incognitus, & alij, quia, cum Dei hoſtes, eius fidem,& gloriam funditus delere,& extinguere conarentur, nullo modo voti compotes euaſerũt: immo potius ſuis machinationibus fruſtrati, Chriſti nomen magnificentius, & glorioſius reddiderunt: eiuſque Eccleſia magis creuit. Exiſtimarunt enim Iudæi, per ignominioſam crucis mortem, æternam infa-

Vide. D. Thom. 1. 3. q. 4. 3 ...

mię

miæ notam, Chriſto ſe inferre; & inanis prorſus fuit, ipſorum cogitatio; cum per crucem, illuſtriſsimũ Chriſtus, de omnibus, tam viſibilibus, quam inuiſibilibus inimicis triumphum retulerit. Putarunt, poſitis ad ſepulchrum cuſtodibus, ipſoque obſignato, ſacroſanctam reſurrectionẽ ſe poſſe impedire; & eo manifeſtior, honorificentiorque apparuit Chriſti à mortuis ſuſcitatio. Tandem varijs perſequutionibus, in Chriſti diſcipulos, & eorum ſectatores illatis, Eccleſiam ſe poſſe euertere, & extirpare, opinabantur: cõtra euenit, nam eo modo, magis aucta eſt, & per totum terrarum orbem, dilatata Chriſtiana religio.

VERSVS QVINTVS.

¶ *TVNC loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.)*

VATICINATVR hic Verſus, non ſola irriſione, & ſubſannatione, animadverſurum Deum in ſuos hoſtes, ſed ira etiam inflammatum, & furore percitum, in ipſos verba accerrima prolaturum; ac tandem verbera ſuppliciaque grauiſsima illaturum. Notandum eſt, in Deum cadere nõ poſſe propriè iram, aut furorem, hæc enim dicunt mutationem, Deus autem nullatenus eſt transmutationi, aut inſtabilitati ſubiectus, ſed ſemper cum tranquillitate iudicat: dicitur vero iraſci, & furorem concipere, per metaphoram, ratione effectuum, quod peccatores puniat, pœnis, & ſupplicijs afficiat. Iram autem, & furorem

rorem Domini (inquit Auguſt.) non perturbationem mentis oportet intelligi, ſed vim, qua iuſtiſsimè vindicat ſubiectam ſibi ad miniſteriũ, vniuerſam creaturã.

¶ Secundo notandum quod inter iram, & furorẽ in Deo, aliqui hoc diſcrimẽ conſtituunt; Quod tunc iraſci dicitur, quando punit peccatores, vt cõuertantur. Iuxta

Habac. 3 2. illud Habacuc 3. 2. *Cum iratus fueris, miſericordia recordaberis.* Furit, quando punit, vt condemnet. Et ita ira Dei ad præſentẽ vitam pertinet, furor ad futuram. Vn-

Iob. 35. 15. de Iob cap. 35. 15. dicitur: *Nunc enim non infert furorẽ ſuum, neq; vlciſcitur ſcelus valde.* Quare iuxta hanc differentiam, ſenſus huius verſiculi erit; *Tunc*, ideſt, tempore legis Euangelicę, loquetur Chriſtus per ſemetipſum, & per Apoſtolos, atque eorum ſucceſſores; *ad eos*, ſcilicet, Iudæos, & alios ſupradictos Dei, & Chriſti eius inimicos; *in ira ſua*, videlicet, comminando pœnam æternam, niſi conuertantur. At in futuro ſæculo, eos *in furore ſuo* æternæ damnationi addicendo, ſi in ſua perfidia permanſerint. Hanc expoſitionem innuit Gloſſa Interlinealis, & ſequitur auctor Incognitus. Eiuſque veritas liquet, ex eo, quod ad iram ſpectat loquutio, videlicet, comminationis: Ad furorem vero conturbatio, quæ proficiſcitur ex ſupplicij, ſeu pœnæ afflictione.

¶ D. Baſil. & Euthym. vtrumque in præſenti vita impleri docent. Nam quod attinet ad Iudæos, ſæpè eos Chriſtus, indignatione cõmotus corripuit; eiſque ſua omnia fœdiſsima crimina exprobrãs, comminatus eſt, non ſolum temporale ſupplicium, ſed etiam æternum. Vt videre eſt in Euangelica Hiſtoria, præſertim Matth.

Matt. 23 13. cap. 23. vbi repetitis ſæpè ijſdem verbis, Scribarum, & Phariſæorum vitia, atque flagitia redarguit, dicens: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, neque intro-*

euntes

euntes ſinitis intrare, &c. Et poſt multa ſubdit: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Et paucis interpoſitis: *Amen dico vobis, venient hæc omnia, ſuper generationem iſtam, Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti; ecce, relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Hæc omnia Chriſtus, cum Scribis, & Phariſæis expoſtulans; & prædicens eis, non ſolum æternum interitum in futuro ſæculo; ſed etiam immane excidium, quod paſſuri erant à Romano exercitu. Quod vero ſpectat, ad principes alios, Pilatum, videlicet, & Herodem, Annam, & Caypham, cæteroſque tyrannos, Chriſti, & Eccleſiæ perſequutores, conſtat ex hiſtorijs, eos miſerè perijſse, atque diuinam vltionem adhuc in hac vita, expertos fuiſſe.

¶ D. Tho. cenſet, quæ dicũtur in hoc verſu, & præcedenti, implenda eſſe in die iudicij; quia tunc ad impios, & peccatores Chriſtus loquetur in ira ſua, cũ terribilem illam ſententiam proferet; *Ite maledicti in ignẽ æternum, &c.* Et in furore ſuo conturbabit eos, quando promulgata ſententia in æternos cruciatus, deferentur à dæmonibus. Quatuor namq; in iudicio illo patientur impij, & improbi; nempè, diuinam irriſionem, cum ſeparabuntur à conſortio Sanctorum, & ad ſiniſtrã Chriſti, ſtatuentur. Subſannationem, ſiue improperium, cum manifeſta fiẽt ipſorum ſcelera; & ſupremus iudex, ea exprobrabit, dicens: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Iram, Quando, vt diximus, in ipſos promulgabitur ſententia. Et tandem furorem, cum in infernũ, præcipites agentur. Hanc expoſitionem amplectitur Iacobus de Valentia; & præterea, ſcribit Euthymius, hunc verſum ad futurum ſæculum etiã referri poſſe. Et ita

ita iuxta hanc expoſitionem aduerbium, *Tunc*, ad diem iudicij ſpectabit, in quo terribilem iram ſuam, & furorem, in impios Deus oſtentabit, atque exeret. Vatabl. Genebrard. & alij recentiores dicunt, *Tunc*, indicare, temporis opportunitatem, tempus à Deo præſtitutum, cum malorum impietas, eo progredietur, vt neceſſum ſit impſos punire, & in nihilum redigere.

LOquetur ad eos.] Seruatur ſemper anthiteſis proprietas, nam fremitui, & loquutioni, ſeu meditationi Gentium, & populorum contra Deum, opponitur ipſius Dei loquutio cōtra eos, indignationis, & iracundiæ plena; tum etiam contra vnanimem conſpirationem Regum, & Principum militat tremendus Dei furor, quo eos omnes conturbabit; diſperdet ſuaque ſpe fruſtrabit. *In ira ſua, & in furore ſuo.* Hoc eſt, iracundè, & furioſè, ſæpè enim Hebræi vtuntur præpoſitione pro aduerbio. Valdè laborāt interpretes in aſsignando diſcrimine inter iram, & furorem. Quia in textu Græco, pro ira, eſt vox, *orgis*, & pro furore, *thymos*. Origen. minorem vim ineſſe putat in voce *thymos*, quā in *orgis*, illam enim ſignificare, ait, imperfectiorē affectum, & veluti huius inchoationem. Vt patet, ex alijs

Pſal. 6. 2 Pſalmis. Vt Pſal. 6. 2. in quo Dauid ita precatur: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Vbi priore loco eſt vox *thymo*, poſteriore *orgi*. Certum autem eſt gradationem ſeruari, priuſq; poni, quod minus malum eſt, ſcilicet, redargutionē; deinde quod maius eſt, videlicet, caſtigationem, ſeu punitionem. In præſenti vero verſu, è conuerſo, prius ponitur *orgis*, deinde *thymos*, cum eadem gradatione; quia in ira loqui minus eſt, quam in furore conturbare. Sed (vt inquit Euthym.) non valdè laborandum eſt, de harum

di ctio-

Digitized by Google

dictionum differentia, cum ſæpè pro eodem accipiantur, & ſæpè diuerſa ſint. In Deo certũ eſt non differre, apud quem omnia attributa idem ſunt re ipſa, differunt tamen noſtro modo intelligendi, & ratione effectuum ſuæ iuſtitiæ, qua homines, vel acrius, vel indulgentius caſtigat, & punit. In Hebræo pro *ira*, eſt, A P H, ſignificans naſum, vel faciem, in qua eminet naſus, vnde translata vox eſt, ad iram denotandam, quod in naſo potiſsimum conſpiciatur. Vnde Hebræi longanimem, & patientem, naſo longo eſſe deſcribunt; vocantque E R E C A P A I M, longum iris, ideſt, tardum ad iraſcendum. Quod epitheton ſæpe in Sacra Scriptura Deo tribuitur, vt ſuper Ionam annotauimus. Et è conuerſo iracundum, & promptum ad iram, vocitare ſolent, K O T S A R A P A I M, breuem irarum, hoc eſt, pronum ad iraſcendum. Pro *furore*, hîc eſt vox H H A R O N, quod ſignificat excandeſcẽtiam, inflammationem, furorẽ. Sunt præterea alia nomina in lingua ſancta, iram, & indignationem exprimentia. Sed omnia cũ præſentibus ſynonyma ſunt, & promiſcué in ſacris litteris pro eodem vſurpari ſolent.

VERSVS SEXTVS.

¶ *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptũ eius.)*

IN Textu Hebraico diuerſa eſt lectio prioris partis huius verſus, eadem tamen ſententia. VAANI NASACTHI MALCHI GHAL TSIION KODSI. *Ego autem conſti-*

conſtitui eum Regem meum ſuper Sion monte ſanctum meũ. Ita vt ſint Dei Patris verba, quibus Chriſti hoſtes indignabundus affatur, & deterret. Quaſi dicat: Siccine miſeri audetis in meum Filium inſurgere, eiuſque dominatui aduerſari; cum ego eum vnxerim, conſtituerimq; Regem meũ, ſuper Sion montem ſanctum meum? Hanc lectionem, vt inferius dicemus, ſequuti ſunt omnes veteres interpretes, qui ex Hebræo transtulerunt. Sed vt ait Genebrar. optimè noſtra Vulgata habet: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*, in voce paſsiua: Ita vt Chriſtus loqui intelligatur. Nam tametſi ſit NASACH in coniugatione KAL, quæ ſæpè, & propriè conuenit verbis neutris, & abſolutis, potuit germanè verti à noſtro interprete: *Ego autem conſtitutus ſum Rex.* Nec mouere debet IOD, in Malchi, quaſi ſit affixum, denotãs primam perſonam; paſsim enim, præſertim in Pſalmis eſt paragogicum. Et profectò, vaticinij contexturæ, congruit magis hæc lectio. Nam cum agat de Chriſto, tàm verbis, quã verberibus, & ſupplicijs inimicos ſuos vlciſcente, convenientius eſt, vt hoc verſu, qui ſtatim ſequitur, idem Chriſtus loquens inducatur, nè tam ſubita perſonæ mutatio fieri videatur.

¶ Prophetiam, verſus hic illuſtriſsimam, & apertiſſimam continet de æterno Chriſti regno, ei tamquam homini à Patre collato, & ſtabilito. Quod conſiſtit in ſuprema, & abſoluta poteſtate, quam Chriſtus obtinuit ſuper omnem creaturam, vt ipſe affirmat, Matth. vlt. 18.
Mat. vlt. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Quæ à Theologis vocatur poteſtas excellentiæ; eamq; habuit, præcipuè in ordine ad ſupernaturalem finem, & æternam beatitudinem. Quare non eſt regnum hoc tempo-
Ioan. 18. rale, ſed ſpirituale; vt ipſemet Chriſtus reſpondens Pilato aſſeruit. Ioan. 18. *Regnum meũ non eſt de hoc mundo.*

Quam-

Digitized by Google

Quamquam enim ſi voluiſſet, potuiſſet tēporaliter regnare, cū omnia eſſent ſubiecta pedibus eius: noluit tamen vti temporali regno, quod mutabile eſt, caducum, fluxum, & limitatum, & ita concedit illud per homines puros adminiſtrari; ſed ſublimius regnum honorificentius, & magnificentius ſpirituale ſcilicet, & æternum capeſsere voluit; quod nulli alij competens erat: Nam ad illud ſpectabat perfecta, & copioſa humani generis redemptio, Eccleſiæ catholicæ fundatio, Sacramētorū inſtitutio, Euangelicæ legis latio, & promulgatio, tamquam efficaciſsima remedia ad finem ſupernaturalē cōſequendū. Quæ Chriſtus, cumulatiſsimè præſtitit. Quāobrem vocatur in Apocal. *Rex Regum, & Dñs dominantium, &c.* Hoc excellentiſsimum regnum, non modo à Dauide hoc loco, & alijs plurimis, ſed etiā ab alijs Vatibus, apertiſsimè fuit prædictum, & celebratum. Iſai. 2. 3. *Venite aſcendamus ad montem Dñi, & ad domum Dei Iacob, &c.* Apud Danielem expreſsè præfiguratum fuit in ſtatua illa, quam vidit Nabuchodonoſor, & paruo lapide abſciſso de monte ſine manibus, qui ſtatuam contriuit; & factus eſt mōs magnus, & impleuit totam terram: per quem montem, intelligunt cōmuniter Patres, regnum Chriſti, altiſsimū, firmiſsimum, latiſsimum, & ſempiternū: De quo paulò poſt ſubdit Daniel, viſionē exponens: *In diebus autem regnorū illorum, ſuſcitabit Deus cæli, regnum, quod in æternum non diſsipabitur; & regnum eius alteri populo non tradetur.* Iſai. cap. 9. luculēter vaticinans, de Meſsiæ aduentu, ſubdit: *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis; ſuper ſoliū Dauid, & ſuper regnum eius ſedit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, à modo, & vſq. in ſempiternum.* Obſeruādum eſt, dici hoc loco Iſaiæ, & alijs multis Prophetarum, Chriſtū in ſolio Dauid ſeſsurum, nō quod quemadmodum

Apoc. 19. 56. & 1. 5.

Iſai. 2. 3.

Danie. 2. 34.

Iſai. 9. 7.

Digitized by Google

admodū Dauid temporale, & mundanū regnum obtinuit, ita Chriſtus eſſet tēporaliter regnaturus; ſed quia Dauidis regnum, typus fuit regni Chriſti, vt in multis alijs myſterijs Dauid Chriſti imaginem geſsit. Tum etiam, quia Chriſtus ſecundum carnem, futurus erat ex ſemine, & ſtirpe Dauid. Quamobrem Angelus Gabriel, Beatæ Virgini Mariæ annuntians Filij Dei incarnationem, in eius vtero efficiendam, dixit: *Dabit ei Dominus Deus, ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Ierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Ezechiel. 37. agens de fœliciſsimo ſtatu Eccleſiæ, & donis ampliſsimis, ipſi à Deo conferēdis, ſcribit, hæc Dei Patris verba: *Et ſeruus meus Dauid, Rex, ſuper eos, & paſtor vnus erit omnibus eorum, in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, &c.*

Luca. 1. 32. *Ierē. 23. 5.* *Ezec. 37 24.*

¶ Summa excellentia regni huius, ſuper omnia cætera, multis ex cauſis oſtendi poteſt. Primo, ex amplitudine; cætera enim regna exiguis terrarum limitibus comprehenduntur; Chriſti vero regnum, nec terrarū, nec cœlorum finibus continetur. Vt conſtat ex auctoritate citata Matth. vltimo. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ad Coloſ. cap. 1. aſſeritur Chriſtum, non hominum modo, ſed etiam Angelorum, & cœleſtium ſpirituum eſſe caput, & principem; à quo, & per quem in vnam ſupernam Rempub. coadunati, gubernantur, atque omnium bonorum ſupernaturalium influxum accipiunt: *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens; quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum recōciliare omnia in ipſum, ſiue, quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.*

Mat. vlt. *Coloſ. 1. 18.*

¶ Secun-

¶ Secundo, ex duratione; Nullum namque terrenū imperium perpetuum, & inamiſsibile eſt. Omnes Reges in morte deſinunt regnare; & ſæpè regna ſua amittunt, ab alijs potentioribus expugnati; & ipſa regna omnia, temporis diuturnitate perierunt: At vero Chriſti regnum, vt ex teſtimonijs citatis patet, eſt æternum, firmiſsimum, numquam interiturum, nulla vi creata diſsipabile. Quod multis in locis Regius Propheta aſſerit. *Pſal. 44.*
Vt Pſalm. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Pſal. 88. *7.*
Thronus eius, ſicut ſol in conſpectu meo; & ſicut luna perfe- *Pſal. 88.*
cta in æternū. Obſeruari ſolet ab interpretibus Hebrai- *38.*
cæ linguæ peritis, in eo loco iam adducto ex Iſai. cap. *Iſai. 9.*
9. arcana quadam ratione, indicari, hanc regni Chriſti æternitatē, in vnica littera, *Mem*, clauſa, quæ poſita fuit in medio verbi, *multiplicabitur*, Hebraicè LEMARBEH HAMISRAH. *Ad multiplicandum principatum.* Nam duplex apud Hebræos eſt littera *Mem*; Altera aperta, quæ ponitur in principio, ſeu medio dictionis, rotundam ferè habens figuram: Altera, quæ non collocatur, niſi in fine dictionis, inſtar figuræ quadratæ, quæ ſolet firmitatē ſignificare. Quare cum hoc loco, in medio dictionis LEMARBEH, ponatur littera, *Mem*, clauſa, viſum merito eſt, viris grauiſsimis, & doctiſsimis, myſterium iſtud, de æternitate Regni Meſsiæ indicari; clauſa enim littera, & quadrata, ſignificat Chriſti imperium, futurum, firmum, ſtabile, nulli expugnationi, aut mutationi obnoxium. Nec dici debet, vt nonnulli volunt, incuria vetuſtiſsimi alicuius deſcriptoris, *Mem*, finalem, pro aperta fuiſſe exaratam, cum in omnibus exemplaribus Hebraicis, *Mem*, finalis habeatur; vt præſertim videre eſt, in Regijs, & Complutenſibus. Idcirco crediderim potius, eo modo ab Iſaia, Spiritus Sācti inſtinctu, ſcriptum fuiſſe. Rabbi

Abraham, teſte Santeſpagnino, in Theſauro, germanam hanc agnoſcens lectionem, ab antiquiſsimis Magiſtris Hebræorum receptam, ſcribit; per *Mem*, clauſam denotari, ſignum ſolis, cuius vmbra miraculoſe reuerſa eſt retrorſum decem gradibus, ſeu lineis, vt Ezechiæ horologium demonſtrauit. 4. Reg. 20. Hæc tamen explicatio inepta videtur, & tamquã à Chriſti hoſte, excogitata, in eius gloriæ inuidentiam. Quidnam enim cõmercij habet ſolis imago, cũ *Mem* clauſo? Cum ſol figuræ ſit ſphericæ, & aptæ ad numquam intermiſſam rotationem, qua vna cum cœleſtibus orbibus, curſum peragit ſuum. *Mem*, vero finalis, quadratam figuram referens, quietem, & ſtabilitatem deſignet. Sunt, qui per *Mem*, clauſam, tẽpus aduentus Meſsiæ, de quo ibi perſpicuus eſt ſermo, notatum exiſtiment; nempè, ſexcentorum annorum, qui ab Iſaiæ tempore, ad Chriſtum vſque effluxerunt; quem numerum littera *Mem*, finalis deſignat. Prima expoſitio communior, & probabilior eſt.

4. *Regũ.* 20.

¶ Tertio excellit Chriſti regnum virtute, & poteſtate. Cæteri Reges in corpora tantum, aliaque bona peritura habent poteſtatẽ: at Chriſti imperium, ad corpora, animaſque pertingit. Iuxta illud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt, & animam, & corpus perdere in Gehennam.* In hoc etiam Pſalm. 2. Chriſti ſceptrum, ferrea virga appellatur; quo ſignificatur eius vis, & potentia eximia, ad conterenda, non modo corpora, ſed etiam animas peccatorum. Regum terreſtrium ſceptra, appellari poſſunt, arundinea, quæ facilè franguntur, flectuntur, mollemque ictum in carne infligere valent; Chriſti vero ſceptrum, merito dicitur ferreum; quia neque fragile, & flexibile eſt; neq;

Matt. 10 28.

Digitized by Google

in corpus ſolum, ſed in animam etiam ius habet.

¶ Quarto, excellit divitijs,& opibus. Abūdat enim veris, æternis, numquam perituris theſauris, gratiæ, charitatis, cæterorum donorum, & chariſmatum ſpiritualium. Hîc ingens eſt, auri ſapientiæ copia, argenti doctrinæ vbertas,gēmarum omnium virtutum affluentia. Hîc locupletiſsimę fodinę omnibus peruiæ,ex quibus,nullo labore,aut defatigatione eruitur,omnis gratiæ,& virtutum opulentia; Sacramenta, videlicet,quæ Chriſtus nobis reliquit. Iam cæleſtis beatitudinis opes, quæ fidelibus conferuntur, quis intellectu aſſequi, nedum lingua complecti valeat?

¶ Quinto, eminet vtilitate; Rex enim noſter Chriſtus, tā ardēter nos dilexit,vt pro nobis è poteſtate dæmonis eripiendis, mortem crucis obire non dubitauerit: Quo nullum poteſt maius eſſe amoris indicium, vt Paul. ait, Roman. 5. 8. *Comendat autem Deus charitatem ſuam in nobis, quia cum adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Roma. 5. 8. Præterea, Reges terreni ſubditis ſuis tributa, & vectigalia grauia imponunt, quibus ornatū, & luxum regium ſuſtineant. Rex autem Meſsias nō venit miniſtrari,ſed miniſtrare. Nō imponere tributa,ſed poteſtatem dare,vt filij Dei efficiamur; faciens nos regale ſacerdotium, Gentem ſanctam, populum acquiſitionis. Idcirco venit in hunc mundum,non ad pompā, & faſtum mundanum conſectandum; ſed ad humilitatem, & pauperiem amplexandam, vt eius geſta omnia demonſtrarunt. Quod per Zachariam multo ante prædictum fuerat, cap. 9. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, &c.* Zachar. 9. 9.

¶ Denique, excellit ineffabili dignitate,& ſanctitate, Regem namq; habet Deum,& hominem ſimul, clementiſsimum, iuſtiſsimum, fortiſsimum, vitæ æternæ,

 & pacis

Et pacis auctorem. Vide, quibus nominibus ornetur ab
Iſai. 9. 6. Iſaia. cap. 9. 6. *Vocabitur* (inquit) *nomen eius, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſaeculi, princeps pacis.* Admirabilis eſt, Quia nihil mirabilius eſſe, aut excogitari poteſt, quam hominem Deum fieri, in vnam eandemque perſonā diuinam, natura humana aſſumpta. Admirabilis profecto in incarnatione; Admirabilis in natiuitate, admirabilis in vita, admirabilis in morte, admirabilis in cruce, admirabilis in ſepulchro, admirabilis in reſurrectione à mortuis, admirabilis in aſcenſu ad cœlos, admirabilis in cœlo, ad Patris dexteram ſedens, admirabilis in terra, in Sacramento Euchariſtiæ, verè, & realiter ſub externis accidētibus exiſtens. Denique in omnibus verbis, & operibus admirabilis. Conſiliarius eſt; Quia ſalutaria hominibus conſilia dedit. Cæteri Reges conſiliarijs indigent, à quibus accipiant conſilia ad regnorum adminiſtrationem. Rex tamen noſter, cum ſit ipſamet Dei ſapientia, nullis eget conſiliarijs. Deus præterea eſt, æterno Patri æqualis, & conſubſtantialis. Fortis eſt, ad debellandos hoſtes Tartareos, mortem, infernum, & peccatum. Pſal. 23.
Pſal. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Pater futuri ſæculi; Quia auctor fuit huius ſæculi aurei, legis Euangelicæ, quod tantopere Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, Veteris Teſta-
Luc. 10. menti, videre exoptarunt. Luc. 10. 23. *Beati oculi, qui*
23. *vident, quæ vos videtis, &c.* Et Ioan. 8. 56. *Abraham pa-*
Ioan. 8. *ter veſter exultauit, vt videret diem meum, &c.* Princeps
56. tandem pacis dicitur; *Quia ipſe eſt pax noſtra, qui fecit*
Coloſſ. 1. *vtraque vnum; pacificans per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in*
20. *cœlis, ſiue quæ in terris ſunt.* Merito ergo regnum hoc,
Pſal. 88. ſoli comparatur, Pſal. 88. Quemadmodum enim ſol, reliqua ſydera; ita Chriſti Domini regnum, cætera,

longo

Digitized by Google

longo interuallo ſuperat. Tum etiam, *Quia* ſicut à ſole reliqua aſtra lucem mutuantur; ita à Chriſto habent Reges terræ poteſtatem. Prouerbiorum. 8. 15. *Per me Reges, regnant, &c.* *Prouer.* 8. 15.

QVæritur à Theologis; Quonam tempore Chriſtus fuerit conſtitutus à Patre, Rex ſuper vniverſam Eccleſiam. Sunt duæ ſententiæ. Prior docet, poſt paſſionem accepiſſe Chriſtum ſupremam hanc regiam poteſtatem. Probatur nonnullis Sacræ Scripturæ teſtimonijs. Primo, Iſai. cap. 9. 6. Crux Chriſti, eius imperium vocatur, illis verbis: *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* *Iſai.* 9. 6. *Quem* locum cõmuniter de Cruce, quã portauit interpretantur D. Iuſtinus martyr in 2. Apologetico pro Chriſtianis, Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Iſai. cap. 9. Tertullian. lib. 3. aduerſ. Marcion. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos. cap. 21. Auguſt. ſerm. 71. de tempore. Theophylact. in 23. cap. Lucæ. Ambroſ. lib. 3. de fide. cap. 4. Probatur deinde, ex Pſal. 95. 10. *Pſal.* 95. 10. vbi pro eo quod nos habemus; *Dicite in Gentibus, Quia Dominus regnabit.* LXX. tranſtulerunt: *Quia Dominus regnauit à ligno.* Ita enim apud LXX. ſe legiſſe teſtatur Iuſtinus in Dialogo contra Thriphonem, vbi probat, ſic fuiſſe in fonte: Sed illa verba, *à ligno*, expuncta fuiſſe, poſtea à Iudæis, affirmant Tertul. lib. 3. aduerſ. Marcion. Divus Ambroſius ſuper cap. 5. 1. ad Corin. D. Auguſt. in comment. ſuper eumdem Pſal. Arnob. & Caſsiodor. Ibidem. Anſelm. Cyprian. in montib. Sina & Sion, aduerſ. Iudæos c. 8. D. Leo apud Scholia Græca, ſuper Editionem Græcam LXX. nuper auctoritate Sixti Quinti editam. Atque eamdem lectionem retinet Eccleſia in Hymno de Cruce. Et Pſalteriũ Romanum. Probabile admodum eſt, Iudæos multa ex ſacris Biblijs

eraſiſſe

Digitized by Google

eraſiſse, quæ Chriſtianæ fidei apertè ſuffragari videbā-tur; vt auctor eſt Hierony. ſuper 3. cap. Michææ, duos integros verſus, fuiſſe expunctos, ex lib. Ioſue. cap. 15. qui habentur in L X X. Tum etiam in epiſto. ad Galat. cap. 3. ſuper illa verba: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*; docet, deſiderari, in Textu Hebraico, illa verba, *omnis*, & *in ligno*. Vnde ſuſpicari licet, lectionem Hebraicam, vitiatam fuiſſe. At vero Genebrard. ſuper dictum locum Pſal. 95. & alij interpretes, qui contendunt, Hebraicum Textum non eſſe falſatum à Iudæis, aiunt, dicta verba, *à ligno*, quamquā non ſint de Textu, quoad ſonum verborum; pertinere tamē ad eum, quoad ſenſum à Spiritu Sancto intentū. Cuius inſtinctu afflati L X X. Interpret. Ea verba addiderūt, vt multis alijs in locis, factitarunt. Mirum tamen, quod dicta verba, *à ligno*, in nullis habeantur Græcis, neque Latinis exemplaribus. Tertio probatur ex Pſal. 92. cuius titulus eſt; *Laus Cantici, ipſi Dauid, in die ante Sabbatum, quando fundata eſt terra.* Etenim in Paraſceve Sabbati, crucifixus eſt Chriſtus, & fundata Eccleſia. Ita exponit Hugo Cardinalis. Pſal. vero incipit: *Dominus regnauit decorem indutus eſt, &c.* Vt intelligeremus, Chriſti regnū ex paſſione, quam pertulit, pridie Sabbati, initium habuiſſe. Nonnulla alia ſimilia teſtimonia adducuntur in huius ſententiæ confirmationem; ſed altera ſententia eſt verior, & apud Scholaſticos Theolo. receptior; Chriſtum ab inſtanti ſuæ conceptionis, accepiſſe hanc ſupremam poteſtatem, & Regiam dignitatē. Probatur; Tum, quia huiuſmodi dignitas excellentiſsima, debita ei erat ratione vnionis hypoſtaticæ; nullaq; erat ratio, vel cauſa, ob quam nō eſſet illi cōmunicanda ipſo facto: Tum, quia ab eo inſtanti, incœpit eſſe Sacerdos, & mediator Dei, & hominum. Cœpit pro hominibus mereri, & ſe in

Pſal. 92.

in ſacrificium Deo Patri offerre. Tota enim eius vita, fuit veluti quoddam cõtinuatũ ſacrificiũ, in vtero Virginis inchoatũ, & in ligno crucis cõſummatum. Quare in vtero Virgineo cœpit poteſtatem ſuam Regiam exercere, cum Ioannem ſanctificauit, & Spiritus Sancti donis ditauit: & Eliſabeth Spiritu prophetico repleuit; & Zachariæ, prophetiæ donum impertivit. Deinde recens natus, non modo paſtores ad ſe adduxit, ſed etiam Reges Gentilicos longè diſsitos, indicio ſtellæ mirabilis, ad ſe cognoſcendum, & adorandum, perduxit. Iuxta Iſaiæ vaticinium. cap. 8. *Antequam puer ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, &c.* Quæ verba de Magorum Regum myſterio, explicant Patres, in quo Chriſtus ſua vſus eſt Regia poteſtate. Eam etiam toto vitæ tempore oſtendit; Nam, & miracula imperando efficiebat, & peccata auctoritativè remittebat, & dæmones, ex corporibus eijciebat, & Sacramenta inſtituebat, ac promulgabat. Quæ quidem omnia ad poteſtatem excellentiæ, Regiam, & Pontificiam pertinebãt. Quare ad teſtimonia, pro priore ſententia adducta dicendum eſt: Quod quamvis Chriſtus ab ipſo inſtanti ſuæ incarnationis habuerit hanc poteſtatem, eam tamen, non plenè patefecit, neque exercuit ante paſsionem, & Reſurrectionem, per quam aperienda fuit ianua Regni cœlorum; lex Vetus omnino abroganda, atque Eccleſia fundanda, tamquam altera Eua, ex latere ſecundi Adam, in cruce dormientis producta. Et ita Chriſtus tunc decorem, & gloriam, non animæ, quam ſemper habuit, ſed corporis indutus regnare cæpit, Petro claues promiſſas conferens, Eccleſiæquæ paſtorem, & Vicarium ſuum præficiens; Apoſtolis poteſtatem remittẽdi peccata largiens; & in vniverſum mũdum mittens, prædicandi Euangelij gratia.

Iſaias. 8. 4.

Et hac

Et hæc breuiter dicta ſint pro noſtro inſtituto de regno Chriſti auguſtiſsimo, de quo fuſius videri poteſt Franciſcus Suarez, tom. 1. in 3. par. quæſt. 22. diſput. 47. ſect. 1. Et Barradas tom. 1. ſuper Euangelia lib. 2. cap. 13. & ſequentibus. Nos ad contextum noſtri verſiculi regrediamur.

EGO *autem.*] Emphaſim cōtinent. Quaſi dicat; Vos Gentes, & populi, Reges, & Principes congregamini, initis conſilia, meditamini varias artes, & dolos; quibus me circumveniatis, oppugnetis, deleatis: Ego autem vobis inuitis, & victis, ſum Rex cōſtitutus ſuper totam Eccleſiam, tāta poteſtatis plenitudine, vt omnes hoſtes meos, ſim ſuperaturus.

¶ *Conſtitutus ſum Rex ab eo.)*

DIximus iam, in Textu Hebræo actiuè legi: *Ego autem conſtitui Regem meum.* Quo etiā modo legunt Aquila, Symmachus, Theodotion, Hieronymus, Pagninus, Eugub. & omnes, qui ex Hebræo transtulerunt. Tum etiam, Paraphraſis Chaldaica.

¶ Sed verbum NASACTI, diverſimodè interpretantur. Nam Hierony. vertit: *Ordinaui Regem meū.* Eugub. *Declaraui Regem meum.* Chaldai. *Euexi, Regem meum.* Aquila, 5. & 6. Editio. *Incolumem ſeruaui Regem meum.* Symmachus. *Vnxi Regem meū.* Omnia hæc, verbum Hebræum ſignificat. Sed Apoſtoli, loco Actuum citato vidētur, verbū NASAC, pro eo quod eſt vngere ſumpſiſſe, dicentes: *Conuenerunt enim, verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti.*

A*B eo.*] Scilicet, Patre æterno; Quia non homines, nec creaturæ aliquæ contulerunt, neq; conferre potue-

potuerunt Chriſto, regnũ quod habet, niſi ſolus Deus. Hinc eſt, quod Chriſtus, fugit cum præſcivit ſe rapiendum ab hominibus, vt facerent eum Regem, ne videretur ab eis, regnum accepiſſe, exiſtimantibus ipſum temporaliter regnaturum. Quodſi cum triumpho maximo, ingreſsus Ieroſolymam, Rex Iſrael acclamatus fuit, talia tamen edidit ſigna, quibus apertè cognoſceretur, diuinitus ipſi delatum fuiſſe regnum, non humano conſilio, ſiue induſtria acquiſitum. Nam vt Paulus ait: *Non ſumpſit ſibi honorem Chriſtus, neq; ſemetipſum clarificauit.* Vt Rex fieret quemadmodum, neque vt Pontifex, ſed ab eo ordinatus eſt, qui ei dixit, vt mox videbimus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quare diuina diſpenſatione factum eſt, vt ipſum recens natum, Magi adoraturi ſciſcitarentur: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Et eumdem moriturũ, Pilatus titulo cruci affixo, *Regem Iudæorum* appellaret. Quo innotuit, & Regẽ ante natiuitatem extitiſſe, & regnum in cruce non amiſiſſe. Contrarium terrenis Regibus contingit, qui poſt natiuitatem, regnum temporaneum ab hominibus recipiũt, & ipſum in morte deponunt: Chriſtus vero, vt Deus ab æterno Rex eſt ſupremus, & vt homo in ipſo ſuæ Incarnationis inſtanti, Regia hac præditus fuit dignitate: Quam moriens in cruce non perdidit, ſed potius, inde glorioſius oſtentare cœpit, adeò, vt eius luce perfuſus latro, audenter orauerit: *Memento mei, cum veneris in regnuum tuum.*

Hebr. 5. 5.

Matth. 2. 2.

Matt. 27. 37.

Luc. 23. 42.

¶ *SVPER Sion, montem ſanctum eius.*)

In Theat. terræ ſanctæ, in deſcriptione Ciuitatis Ieruſalẽ.

HIC mons, vt ſcribit Adricomius Delphius, prima & præcipua pars erat ciuitatis ſanctæ Ieruſalem, cæteris mõtibus excelſior, & directior in modũ theatri,

forma

forma ſemicirculi, vrbem toto Auſtrali tractu ambiens, ac veluti ſpecula, in eminenti, ſolida, & prærupta vndiquè rupe diuinitus fundatus, planitiem habebat oppidi inſtar, amœnuſque exiſtens valdè, cœli excellentiam, & delitias repręſentabat, cuius verticem, primo Iebuſæi valida arce, ambitum vero, firmis, altiſque muris, portis, & turribus munierunt. Poſtea Dauid Iebuſæis expulſis, arcē, muros, portas, & turres munitiores reddidit, montiſque planitiem, in vicos, & plateas diſtinxit; ædificatis ibidē ſibi Palatio, ſuiſque aulicis, & fortiſsimis viris domibus. Vnde vocari cœpit ciuitas Dauid, & ciuitas ſuperior.

¶ In hoc monte, præter alia inſignia, tàm Regum Iuda, quàm Pontificum, & illuſtrium virorum ædificia, (quæ lector videre poterit, apud eumdem Adricomiū,) Vnum fuit omnium digniſsimum, & præſtantiſsimum, quod vocatur Cœnaculum Sion, circa medium montis ſitum, magnum, ſtratum, & omnibus ornamentis inſtructum: in quo Chriſtus in vltima cœna, agnum Paſchalem cum Apoſtolis comedit, eorum pedes lauit, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, ipſos Noui Teſtamenti Sacerdotes ordinauit: ibi etiam, quo die à mortuis reſurrexit, ianuis clauſis ingreſsus, apparuit Apoſtolis, atque ſui lateris manuum, & pedum vulnerā, ſtigmata conſpicienda, & contrectanda exhibuit; Spiritum Sanctum in ipſos exſufflando donauit, vna cum poteſtate remittendi, & retinendi peccata: Ibidem poſt Aſcenſionem Domini in Iudę proditoris locum, Matthias ſorte ſuffectus eſt: In die Pentecoſtes, Spiritus Sanctus vehementi cum ſonitu, linguarum ignearum ſpecie, ſupra centum & viginti credentes, deſcendit. Ibi prima Petri concione, tria millia Iudæorum conuerſa ad fidem, baptizata ſunt. Iacobus frater Domini, cognomento

In Theat. terra ſancta.
Ioſeph. li. 6. de bello cap. 6.

Digitized by Google

mento iuſtus, primus Ieroſolymorum Epiſcopus ab Apoſtolis eſt creatus: atque Stephanus, & reliqui ſex, Diaconi ordinati. Tandem ibidem, Apoſtolos creditur primum celebraſſe Concilium, & in Orbis totius diuiſione, Apoſtolicum fidei catholicæ ſymbolum cō-didiſſe. Et præterquam quod, in hoc Sionio monte, multo tempore fuit arca fœderis, vt habetur 2. Regum cap. 6. & Templum ſanctum Domini, adeò ipſi Sion propinquum erat, vt ad ipſum pertinere diceretur. Vnde factum eſt, vt Mōs Sanctus appellari meruerit. Omnia myſteria, divinitus peracta in Cœnaculo, monti ipſi alioqui celeberrimo, maius, & illuſtrius ſanctitatis nomen conciliarunt. *2. Regū. 6.*

¶ Hinc etiam eſt, vt mons Sion, ſymbolum ſit Eccleſiæ catholicæ, quæ in ipſo ortum habuit, & præſertim, ob Euangelicæ doctrinæ prædicationem, & ineffabilem myſteriorum cœleſtium patrationem, quæ ibi Rex noſter Chriſtus, præſtitit. Quare Iſai. 2. dicitur: *Quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Verè etenim lex Euangelica, de monte Sionio exiuit, cum ibi Spiritus Sanctus, vt diximus, deſcendens, primitiuā illam Eccleſiam, & præcipuè Apoſtolos, & diſcipulos, omnem docuit veritatem, & omnibus ſpiritualium donorum diuitijs, locupletauit. Et inde, iuxta Chriſti præceptum prodierunt, ad diſſeminandam doctrinam Euangelicam, per totum mundum, & prædicandum Euangelium omni creaturę. Verbum Domini, verè etiam exivit de Ieruſalem, quoniam in eius Templo, potiſsimum, Chriſtus prædicauit, & miracula ingentia edidit: Propterea Divus Paulus, Hebr. 12. 22. Chriſti Eccleſiam vocat, Sion montem, & ciuitatem ſanctam Ieruſalem. *Acceſsiſtis* (inquit) *ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, &c.* *Iſaias. 2. 3.* *Hebr. 12. 22.*

¶ Divus

DIVVS Cyprian. in tract. de montibus Sina, & Sion aduerſ. Iudæos doctiſsimè oſtendit diſcrimen inter hos duos montes; Quia Sinai, qui ſitus eſt in Arabia, & in ipſo Deus legem veterem, in tabulis lapideis ſcriptam dedit, ſignificabat imperfectionem illius Gentis, legiſque, terrena promittentis, quæ abroganda erat, & penitus delenda. At vero mons Sion, poſitus in Iudæę potiſsima parte, in quo Euangelica promulgata eſt lex, & alia fidei myſteria præclariſsima contigerunt, pertinet ad maieſtatem Eccleſiæ, quæ perpetuo duratura eſt. Idem doc. D. Hieron. ſuper Iſai. cap. 2.

¶ Significat etiam mons Sion allegoricè, ſanctam Eccleſiam; quia ſicut regnum Dauidis, typus fuit luculentiſsimus regni Chriſti, ita etiam mons Sion, qui erat præcipua ciuitas Dauid, & totius eius regni ſedes, & metropolis, figurã gerebat catholicæ Eccleſiæ, vt egregiè explicat D. Cyrill. Alexan. ſup. Iſaiæ cap. 2. Nam quemadmodum Sionia illa ciuitas in monte editiſsimo ædificata erat, adèoque munita vndequaque, vt eſſet inexpugnabilis; ita Sancta Eccleſia fundata eſt, ſuper mõtem doctrinæ cœleſtis, omnibus aſpectabilis, & notiſsima, de qua Chriſtus ait: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.* (*Matt.* 5. 14.) Tam fortiter munita, vt portæ inferi non prævaleant aduerſus eam; tam excelſa, & eminens, vt nihil terrenum contineat, neque ſapiat; ſed terrena omnia ſupergrediẽs, gloriam Dei, quoad licet, animi oculis intuetur, & ſublimibus admodum de Deo cognitionibus, gloriatur.] Sion, interpretatur ſpecula, ſiue ſpeculatio, quia, qui in Eccleſia conſtituti ſunt, tamquam in altiſsima ſpecula, diuina myſteria, quæ naturę vires ſuperant, contemplantur. *Speculatores facti*, (vt Petrus ait) *diuinæ magnitudinis.* (2. *Pet.* 1. 16.) Et Paul. *Nos autem, reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes, &c.* (2. *Corin.* 3. 18.)

¶ D. Cy-

¶ D. Cyprian. in lib. citato, per montem Sion interpretatur ſanctiſsimam Crucem, cui Chriſtus affixus fuit. Vbi Cyprian. poſt multa eleganter, & ſubtiliter, ita ſcribit: Speculam vero altitudinem ligni declarat, dicente Salomone, poſuerunt me cuſtodem pomærij, eo quod in horto, in ligno cõfixus inter duos latrones, pependit: & de altitudine ligni ambos ſpeculatur, in figura duorũ populorum malefactorum.] Et poſt nonnulla ſubiungit: Ecce, quatenus completa eſt interpretatio montis Sion, tentatio exacerbationis, & ſpeculatio. Vnde manifeſtum eſt, montẽ Sion, ligni ſacri Regnum eſſe, in ſanctitate iuſtificatum, dicente Dauid, annuntiate Regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnauit a ligno, &c.] Hæç Cyprian. Sed placet magis, per mõtem Sion, ſignificari vniverſalem Eccleſiam, per Crucem autem, ſceptrum, ſiue haſtam, qua Chriſtus, Rex noſter, hoſtes ſuos deuicit, & Regni ſui poſseſsionem acquiſiuit: *In Cruce enim* (vt Paul. ait) *expolians principatus & poteſtates, traduxit confidẽter palam, triumphans illos, in ſemetipſo.* Paul. Coloſ. 2. 15.

¶ D. Thom. per montem Sion, intelligit populum Iudæorum, ad quẽ regendum præcipuè venerat Chriſtus, vt ipſe teſtatur. Matth. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*: Nam Sion per ſynecdochen, totum repręſentat populum Iſraeliticum. Matt. 15. 24.

¶ *PRÆDICANS præceptum eius.*)

HOC hemyſtichium, Hebræi cum ſequenti verſu coniungunt, quia apud ipſos (vt ſupra vidimus) in præſenti verſu, Deus Pater loquens introducitur, & Filius in ſequenti; & idcirco hæc verba tamquam propria, ad ipſum referunt. Hebraicè; ita habetur. ASAPERAHELHHOK; *Narrabo, ſiue recenſebo, præ-*

ceptum, aut decretum. D. Hieron. ex Hebræo vertit: *Annuntiabo Dei præceptum*. Et videtur legiſſe dictionẽ, EL, cum duobus punctis, T S E R E, quo pacto, Deum ſignificat fortem. Similiter vertunt Theodotion, & Græcus Scholiaſtes. Hebræis magis placet legere, EL, cum ſegol, & ita denotat articulum, ſiue præpoſitionem; vt ſit ſenſus: Narrabo, aut recenſebo, illud magnum decretum. Theodoretus verſus huius verba, hoc modo interpungit: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo. Et ſtatim ſubiungit: Super Sion montẽ ſanctum eius, prædicabo præceptum Domini. Vt ſignificaretur prædica-
Iſai. 40. 9. tio facta ſuper Sion. Iuxta vaticinium Iſai. 40. 9. *Super montem excelſum aſcende, tu, qui Euangelizas Sion.*

¶ Per hoc præceptum, iuxta communem Patrũ expoſitionem, intelligitur, Euangelica lex, quã Chriſtus, docturus, & promulgaturus in mundum aduenit. Dicitur autem, lex noua, præceptum, in ſingulari numero, propterea quod, tota ea in vnico dilectionis præcepto,
Ioan. 13. 34. inſtauratur: De quo Chriſtus dixit, Ioan. 13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem*. Et cap. 15. 12. *Hoc eſt præceptum meum; vt diligatis inuicem. Quia*, vt
Romã. 13 10. Paulus ait, Rom. 13. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio*. Vatabl. Ianſen. hoc præceptum, ſiue ſtatutum, eſſe aiunt, quod in ſequentibus verbis continetur: *Dominus, dixit ad me, Filius meus es tu, &c.* Quaſi dicat: Narrabo hoc maximum decretum; *Quod* Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, &c. Nam in hoc totius Euangelicæ doctrinæ ſumma conſiſtit, vt diuinæ Trinitatis, & Chriſti humanitatis cognitio expreſſa habeatur, & credatur.
Ioan. 17. 3. Iuxta illud Ioan. 17. 3. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* De fide viua loquitur, per quam conſequimur æternæ vitę fœlicitatem.

HHOK.

Digitized by Google

¶ HHOK. Hebraicè, nõ ſolum ſignificat præceptum, ſed decretum, pactum, ſtatutum, ius, legem, conſuetudinem, à verbo HHAKAK, quod eſt, ſtatuere, ſcribere, deſcribere, depingere, legem ferre. Vt Pſal. 104. pactum illud, ſeu fœdus, quod Deus pepigit cum Abraham, & poſteris eius, de danda ipſis terra promiſſionis, vocatur præceptum, ſeu teſtamentum. *Et ſtatuit illud Iacob in præceptum; & Iſrael in teſtamentũ æternum, dicens: Tibi dabo terram Chanaam, &c.* Vbi pro præcepto, eſt dictio HHOK. Quod ſignificat pactum, & decretum diuinum; ita hoc loco, *præceptum*, ſignificat decretum, pactum æternum Dei Patris, de Filij ſui Meſſiæ ſumma exaltatione, regnoq; florentiſsimo, vt ſtatim verba ſequẽtium verſuum demonſtrant. Ita Chaldæus; *Recitabo Dei pactum.* Pſal. 104

VERSVS SEPTIMVS.

¶ *DOMINVS dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

VERBA eſſe Chriſti, patet apertiſsimè, quæ Dauidi, aut alteri puro homini, nullatenus, niſi impropriè, & metaphoricè accommodari poſſunt. Quamquam enim Deus Opt. Max. multipliciter Pater dici poſsit, reſpectu hominum. Primo ratione creationis, & conſeruationis. Deuter. 32. 6. *Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui fecit te, & poſſedit, & creauit te?* Secundo, ratione honoris, & exaltationis. Iſai. 1. 2. *Filios enutriui, & exaltaui, &c.* Tertio, ratione adoptionis per gratiã. Ioan. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei* Deut. 32. 6. Iſai. 1. 2. Ioan. 1. 12.

 fieri,

fieri, iis, qui credunt in nomine eius, &c. Quo pacto, Angeli ſancti, etiam dicuntur Filij Dei. Iob. 1. Attamen loquendo de propria, & naturali filiatione, nullus alius præter Chriſtũ, dici poteſt Filius Dei. Et ita hæc verba, nulli alteri conveniunt. Vnde D. Paulus, Hebr. 1. agens de excellentia Chriſti, ſuper omnes homines, & Angelos, vtitur hujus verſiculi teſtimonio, dicens: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Vbi apertè indicat, loqui ſe, de vera, & naturali generatione, pro vt Dauid loquitur: Nam de impropria, & metaphorica, certũ eſt, & homines, & Angelos, præſertim iuſtos, & Dei amicos, poſſe dici Filios Dei; immo, & Reges, & Iudices, ratione dignitatis, & poteſtatis, appellantur Dij, & filij Dei. Pſal. 81. 6. *Ego dixi, dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Sermo eſt ad Principes, & Magiſtratus terræ.

Iob. 1. *Hebr. 1. 5.* *Pſal. 81. 6.*

NIhilominus tamen hæc verba varias habent apud ſacros Interpretes expoſitiones litterales. Prima expoſitio eſt, de æterna generatione, qua Deus Pater, ſe perfectiſsimè cognoſcendo, & comprehendendo ab æterno generat Filium, ſibi conſubſtantialem, coæternum, coæqualem. Quæ quidem generatio, cum per actum fiat intellectus, propriè appellatur à Theologis quoddam dicere, quo Verbum æternum producitur; & ita benè conveniunt ipſi priora verba: *Dominus dixit ad me.* Illud enim idem dicere Patris ad Filium, fuit ipſum producere, & generare. Et ſic ſubiunguntur verba, quibus æternam explicat generationem: *Filius meus es tu;* Non factus, non creatus, non adoptivus, ſed genitus, non in tempore, ſed ab æterno. *Ego hodie*, ideſt, æternaliter. Hodie, ſymbolum eſt æternitatis, in qua non eſt tempus præteritum, nec futurum, ſed quoddam hodie

Digitized by Google

die perpetuum, abſque vlla mutatione prioris, aut poſterioris. Pulchrè autem æterna hæc generatio, præterito perfecto, *genui*, & aduerbio præſentis temporis, *hodie*, deſcribitur, vt notat D. Thom. Quia eſt perfecta & ſingularis generatio: qua tota Patris natura, filio cōmunicatur; & ſemper eadem, & præſentanea eſt, præteriti, & futuri temporis neſcia, nullique mutationi obnoxia. Semper enim verum eſt, Filium genitum fuiſſe, filium gigni, & filium gignēdum, propter æternitatem, quæ omne tempus complectitur. *Hodie, ſymbolū æternitatis.*

¶ Hanc expoſitionem ſequuntur Cyrill. lib. de fide ad Reginas. Athanaſ. lib. 3. contra Arrian. Auguſt. ſup. hunc locum. Et in Enchirid. cap. 49. Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. in cap. 1. ad Hebr. adducunt pro ipſa Paulum ad Hebr. cap. 1. huius loci teſtimonium citantem, ad probandum Meſsiam verum eſſe, & naturalem Dei Filium, qui Angelis omnibus præſtat. Sic enim argumentatur Paulus. *Cui enim dixit aliquādo Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod niſi Paulus de æterna, & naturali generatione intelligeret, non benè probare videretur. Nullus enim eſt Angelus ſanctus, qui non poſsit ſe vocitare Filium Dei, per gratiam, & gloriam, ad quam euectus eſt. *Hebr. 1.*

¶ Secunda expoſitio eſt, de temporali generatione, ſecundum quam Filius Dei homo factus eſt, & natus ex Maria Virgine. Et ita iuxta hanc interpretationē, ſenſus erit, *Hodie*; Ideſt, in tempore *genui te*; Ideſt, naſci feci te. Hæc generatio, quamquam à priori plurimum diſtet, quoad modum generationis, & quoad naturam, per talem generationem acceptam: Quia prior generatio eſt æterna, & incomprehenſibilis, qua Verbo diuino communicata fuit eadem natura, & ſubſtātia Patris: Secunda generatio eſt facta in tempore à tota ſan-

ctiſsima Trinitate, per operationē ſupernaturalem externam, nō communicando Verbo naturam divinam, ſed vniendo ei naturam humanam, acceptam à matre virgine: At verò, quoad ſuppoſitum genitum, nullatenus differũt ambæ generationes. Idem enim Dei filius, qui ab æterno genitus eſt, ex Patre Deus; genitus, & natus fuit in tempore, ex matre, homo factus. Vnde ipſa Virgo verè, & propriè appellari debet Dei mater, vt contra Neſtorium definiuit Eccleſia. Huius expoſitionis ſectatores ſunt multi ex Patribus, Origenes, Euſebius, Gregor. Nyſsen. hom. 2. in Eccleſiaſten. Hieronymus, Euthym. Oecumen. Theodoret. in cap. 1. ad Hebr. Cypr. lib. 2. aduerſ. Iud. teſt. 8. Auguſt. in lib. quæſt. Novi, & Veteris Teſtamēti quæſt. 54. Niſi quod refert hæc verba ad generationem temporalem Chriſti in baptiſmo, de qua ſic Pater teſtatus eſt: *Hic eſt filius*
Matt. 17 *meus dilectus.*

5. ¶ D. Baſil. ad hanc expoſitionem accedere videtur, aſſerens; non poſſe verba hæc intelligi de æterna generatione, ſecundum quam Chriſtus æqualis eſt Patri, quia ipſum, Dominũ nevtiquam appellare poteſt. Hæc tamen ratio nullius eſt ponderis, cũ in Hebræo ſit nomen Dei ineffabile, non *ADONAI*, quod Dominum ſignificat. Certè multi interpretes, qui primam expoſitionem tuentur, huic alteri etiam adhærent; & crediderim Paulum, loco citato ad Hebræos, vtramque Chriſti generationem oſtendere voluiſſe. Nam eius ſcopus (vt planè colligitur) fuit probare Chriſtum Dominum; & verum eſſe Deum, & verum hominē, qui nos per ſuam paſsionem redimens, cum Patre reconciliaverit, à peccatiſque mundaverit. Quod ſit Deus, oſtendit Paulus,
Hebr. 1 dicens: *Qui cũ ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ.* Quæ omnia conveniunt

Digitized by Google

niunt Chriſto, ratione divinæ naturæ. Humanitatem eius, probat, his verbis, quæ ſtatim ſequuntur: *Purgationem peccatorum faciens, ſedet à dextris maieſtatis in excelſis; tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit.* Sermo eſt de excellẽtiſsima dignitate, quam (tametſi Chriſtus, vt homo, accepit in inſtanti ſuæ Incarnationis, tamquam ſibi debitam ex vi vnionis, vt diximus, & idcirco appellat eã proprijſsimè Paul. *hæreditariam;*) eius tamen perfectam exequutionem, poſſeſsionem, & manifeſtationẽ, per crucem ſibi promereri voluit. Quia enim, teſte Paulo: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem Crucis, Pater illum exaltauit, & donauit nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV, &c.* Poſt factam purgationẽ delictorum per ſanguinem ſuum: *Sedet à dextris Maieſtatis in excelſis.* Omnes Angelos ſupereminens, nõ ſolum ratione Deitatis, ſed ratione humanitatis, ſecundum quam, etiam eſt filius Dei naturalis. Vt explicatum eſt.

Philip. 2. 8.

Hebr. 1. 3.

¶ Huic noſtræ opinioni fauent Euthym. & Heſich. docentes Paulum, ſicuti & Dauidem, vtramque generationem complecti voluiſſe; ita vt priora verba: *Filius meus es tu?* ad æternam referantur, reliqua vero: *Ego hodie genui te,* humanam explicent. Vt ſit ſenſus; Cum meus ſis filius abæterno de mea ſubſtantia genitus, denuo in tempore, quoad humanitatem, *Genui te,* hoc eſt, naſci feci te, & in lucem edidi.

¶ Tertia expoſitio eſt, de Chriſti reſurrectione, quã amplectuntur Hilar. & Theophylact. Antiochen. ſuper hunc locum. Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 1. Chryſoſt. Act. 13. Euſeb. lib. 6. de Demoſt. cap. 2. Et probant auctoritate Pauli, qui dicto cap. Actuum 13. confirmare volens, Dominicæ Reſurrectionis myſterium, *Act. 13. 32.*

vtitur teſtimonio huius Pſalmi dicẽs. *Et nos vobis annũtiamus, eam, quæ ad patres noſtros, repromiſsio facta eſt. Quoniam hanc Deus adimpleuit filijs veſtris reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſal. 2. ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Apertè loquitur Paulus de Chriſti reſurrectione. Et confirmari poteſt; Quia aduerbium *hodie*, propriè deſignat, diem aliquem certum, & inſignem, ad Chriſti gloriam pertinentem, qualis fuit dies reſurrectionis: de quo idem Dauid alibi, ſummo perfuſus gaudio cecinit: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Tum etiam, quia in hoc Pſal. prius egit Propheta de Chriſti paſsione, dum ait: *Aſtiterunt Reges terræ, &c* Æquum ergo erat, vt poſtea oſtendẽs Chriſti exaltationem, ſignanter ageret de glorioſa eius reſurrectione; per quam vt perpendit Chryſoſt. reddita ſunt inania, omnia inimicorũ conſilia, & machinamenta. Et certè fuit Chriſti reſurrectio, noua quædam generatio, cum fuerit corporis præexiſtẽtis ad vitam immortalem, & glorioſam reuocatio. Vt Chriſtus vocatur ad Coloſsen. 1. *Primogenitus ex mortuis*; Et generalis reſurrectio omnium hominum, futura in die nouiſsimo, dicitur à Chriſto, regeneratio.

Pſal. 117 24.

Coloſs. 1. 18.

FRANCISCVS Ribera, in cap. 1. epiſtolæ ad Hebr. hanc expoſitionem valdè confutat ſequutus Caiet. Sixtum Senen. Genebrard. & alios antiquiores. Eius rationes ſunt eiuſmodi. Primo, Quia nimium durum videtur, quod vnum, & idem verbũ, *genui*, à Paulo nunc propriè, nunc impropriè, accipiatur. Nam in Epiſt. ad Hebr. cap. 1. propriè accipitur, exponendo de æterna generatione. In Acti. vero, impropriè de Chriſti reſurrectione, quæ propriè, non eſt generatio, cum per eam non acquiratur de nouo natura aliqua, ſed eſt

præ-

præexiſtẽtis naturę renouatio, ſiue inſtauratio. Deinde, Quia huiuſmodi teſtimonio, non magis probaret Paulus, Chriſtum reſurrexiſſe, quã reſurrecturum eſſe; cum aduerbium *hodie*, non magis denotet tempus præteritum, quam futurum. Et ita ſi aliquis diceret; Quod reſurget Chriſtus, tametſi hoc dictum eſſet contra fidem catholicam, verè tamen, pro eo die, dici poſſet; *Ego hodie genui te.* Tertio, Quia iam Apoſtolus de reſurrectione loquutus fuerat, & aliud aſſumit probandum, vt ex contextu colligitur, nam non probat Chriſtum, reſurrexiſſe à mortuis, ſed Deum impleuiſſe, quod Sanctis Patribus promiſerat, ſe videlicet, Meſsiam in mundum miſsurum, quem verum eſſe, & naturalem Dei Filium, intendit oſtendere Apoſtolus, auctoritate prædicta, ex hoc Pſal. deſumpta. Huic Riberæ ſententiæ ſuffragatur Ioannes Lorinus in dictum Actuum caput, & ſuper hunc Pſal. Quamuis non inficietur, poſſe etiam intelligi de generatione temporali. Cum vnus, & idem Sacræ Scripturę locus, admittat plures ſenſus litterales, vt alibi diximus. Sed mihi videtur Paulus in dicto Actuũ capite, loqui de reſurrectione Chriſti à mortuis, eam probans præſentis Pſalmi teſtimonio. Tum, Quia grauiſsimi Doctores, ſupra citati, ita docent. Tum, Quia intentio Pauli, fuit oſtendere, Ieſum Nazarenum, verum eſſe Meſsiam in lege promiſſum; Eumque, tametſi mortem Crucis perpeſsus fuerit, reſurrexiſſe tamen à mortuis, nulla paſsum corporis ſui corruptionem, nec amplius moriturum. Quod ſit verus Meſsias, probauit Paul. tàm ex generatione eius ſecũdum carnem, ex ſemine Dauid, quàm ex teſtificatione, quã de ipſo perhibuit Ioan. Baptiſta. Quod verò Chriſtus reſurrexerit à mortuis probat Paul. duplici teſtimonio ex Pſalmis deſumpto; Quorũ altero ex hoc Pſ. probat reſurrectionẽ,

altero

altero ex Pſal. 15. Incorruptionem. Huc accedit,quod Paulus, & cæteri Apoſtoli, in hoc præcipuè incumbebant, vt Chriſti reſurrectionem confirmarent, in qua maximum Chriſtianæ fidei momentum poſitum erat.

¶ Nec obſtant rationes Riberæ; Quia nullum eſt abſurdum, quod eadem auctoritas, citetur in vno loco valdè propriè, & in altero minus propriè, quod patet ex dicto cap. 1. ad Hebr. vbi adducit duplicem auctoritatem, ad probandum Chriſtum, eſſe filium Dei naturalem. Altera eſt hæc de qua agimus, ſummam continens proprietatem: *Filius meus es tu*,&c. Altera verò
2. Reg. 7. 14. ex 2. Reg. 7. 14. *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Quæ de Salomone, vt multi docent, ad litteram intelligitur, & etiam de Chriſto. Sed tamen de Salomone, impropriè,& imperfectè,de Chriſto autem propriſsime, & perfectiſsimè. Licet Ribera ad Chriſtum, non pertinere, niſi in ſenſu ſpirituali ſentiat. Quod nō placet. Hoc enim pacto Pauli probatio eſſet infirma, cū ex ſenſu myſtico argumentum efficax ſumi non valeat. Tum etiam;Quia ſi Paulus priorem auctoritatē,intellexit in ſenſu litterali; pari modo poſterior, cum inquit.
Hebr. 1. *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Et rurſus: *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Vbi ſecundam auctoritatem priori æqualem facit, eamdemque vim habere oſtendit.Quaſi dicat: Neque etiam,vlli Angelorum dixit; Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium. Præterea, ſi ratio Riberæ alicuius eſſet momenti, ſequeretur, priorē auctoritatem,non poſſe exponi de Incarnatione, quæ reſpectu Dei, ſtrictè loquendo, non fuit propria, & vera generatio. Atqui Patres multi, & Interpretes doctiſsimi, dictam auctoritatem, vt ſupra vidimus, intelligunt
de

Digitized by Google

de generatione ſecundum carnem. Ad reliquas rationes Riberæ, ex dictis patet reſponſio; Nam *(Hodie)* exponendo de reſurrectione, denotat diem illum glorioſiſsimum, quo Chriſtus à mortuis reſurrexit. Et Quamuis Paulus egerat de Chriſti reſurrectione, illam non probauerat teſtimonijs Sacræ Scripturæ, vt mox fecit, adducens prædictas auctoritates, ex Pſalmis, & Iſaia. Tandem confirmatur; Quia dictio, *ſicut*, quæ à Paulo ennuntiatur, oſtendit, voluiſſe eum, prædicto teſtimonio, oſtendere Chriſti reſurrectionem. Nunc ſingula textus verba perpendamus.

¶ *DOMINVS dixit ad me.)*

DIXIMVS ſupra Hebr. eſſe nomē IEHOVAH, quod noſter Interpres, vertere ſolet, Dominus. Quo ex vocabulo, non ſequitur, non eſſe ſermonem de generatione æterna, vt volunt Baſil. Theodoret. Cyrillus, Euthym. Neque vllum ſequitur abſurdum, quod Chriſtus vocet Patrem, Dominum, cum talis ſit, re vera, vna cum Filio, & Spiritu Sancto: *Nam Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.* Vt in ſymbolo Athanaſij profitemur. Et Dauid Pſal. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo;* Ideſt, Dominus Pater, Domino Filio. Quamvis autem ratione divinitatis, nō poſsit Pater dici Dominus Filij, poteſt tamen ratione humanitatis, ſecundum quam Patri fuit ſubiectus, vt teſtatur Apoſtol. & ipſemet Chriſtus dixit, Ioan. 10. *Pater maior me eſt.* *Pſal.* 109. 1. *Ioan.* 10. 28.

¶ D. Cyrill. quamvis, alibi docuiſſet hunc locum, de temporali generationi intellige; tamē lib. 1. in Ioan. cap. 4. ſcribit, poſſe etiam accipi de æterna. Et ad obiectionē; Quo verbo, Pater dixerit ad Filium, ſi Filius verbum eſt Patris, cum non ſit verbum aliud in Deo, quia

quia ſemel loquutus eſt, & vnicum habet Filium. Reſpondet Cyrillus, Dauid per acceptam reuelationem, iſta referre in perſona Filij, ſe admodum noſtrum intelligendi, accommodantis. Theologi verò Scholaſtici, generationem divinam per actum intellectus factam fuiſſe docent, quam maioris explicationis gratia, vocant, *dicere*: & terminum per ipſam productum, *Verbũ*, qui eſt Filius, Et ita idẽ eſt: *Dominus dixit ad me*, quod Dominus per actum intellectus produxit me. Ita vt *dixit*, ſignificet actum generandi, & *ad me*, terminũ productum. Loquendo verò de generatione tẽporali, ſenſus erit; Dominus dixit ad me, quod in eo inſtanti, quo animæ Chriſti vna cum corpore, diuino verbo copulatæ, Deus oſtendit eam humanitatem, euectam eſſe ad perſonalitatem Filij Dei.

¶ *FILIVS meus es tu.)*

QVamquam, vt ſuperius docuimus, Chriſtus etiam ratione naturæ aſſumptæ, non poſsit verè, & propriè nuncupari Filius adoptiuus, qua de re exprofeſſo diſputatur à Theologis in 3. ſent. d. 4. D. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. Vbi Suarez diſput. 49. ſect. 1. & 2. Vazquez lib. de Adoratio. diſput. cont. Elipand. Attamen ſecundum humanitatem, gratia, & veritate refertiſsimam, æterno Patri, Chriſtus eſt, noua quadam ratione dilectiſsimus Filius; vt Patri cuilibet charus eſſe ſolet, Filius recens natus; & præſertim virtutibus præfulgẽs, & primam ſemper innocentiam retinens. Quo pacto Chriſtus Patri, alioqui Filius naturalis, per nouam, ſecundum carnem generationẽ, gratiſsimus extitit; *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*; Semperquè fuit *ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*. Hũc ſpectare videtur Chaldaica Paraphaſ. ſic

1. *Petri.* 2. 22.

vertens:

Digitized by Google

vertens: *Dilecte, ſicut Filius eſt Patri, tu mihi purus es, ac ſi die iſta creauiſſem te.* Quem explicandi modũ D. Ambroſ. indicat ſuper Pſal. 40. qui ſic Patrem ad Filium ſuum loquentem inducit: Generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quẽ nulla macula potuit inquinare peccati.] Et in hoc ſenſu exiſtimo verba illa Dei Patris eſſe intelligenda, quæ tàm in Transfiguratione, quàm in Baptiſmo Chriſti, protulit dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* *Matt. 17*

¶ *EGO hodie genui te.)*

QVamvis adverbium, *hodie*, vt vidimus, plurimi Patres, & Interpretes huius loci, accomodent ad vtramque generationem; æternam, ſcilicet, & temporalem; nuſquam tamen legitur in Sacra Scriptura ſumi pro æternitate. Vnde nonnulli auctores cenſent ad ſolam temporalem generationem, eſſe referendum: Quia pro præſenti vita, vel tempore, communiter accipitur in ſacris litteris: Numquam pro tempore præterito; vt patet Pſal. 94 *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Quæ verba citans, & exponens Divus Paul. ad Hebr. cap. 3. Ita ſcribit: *Adhortamini voſmetipſos, per ſingulos dies, donec hodie cognominatur,* (ideſt, dum viuitis in hoc ſæculo) *vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Et idem Paul. loquens de Chriſto, cap. 13. inquit: *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe, & in ſæcula.* Quibus verbis docere intendit, vt exponit D. Tho. Chriſti æternitatem, qui ab æterno, & in quantũ Deus, ſemper fuit, eſt, & erit in æternum; & in quantum homo, ante omnia ſæcula prædeſtinatus fuit, & in tẽpore homo factus eſt, & in ſæcula, ſæculorum cum ſanctis omnibus in cœlis regnabit. Vel ſenſus eſt: Eumdem Chriſtum, qui tempore Apoſtolorum ipſos docuit, cum

Pſal. 94. 8. *Hebr. 3. 13.* *Hebr. 13 8.*

illiſque

illisq́; conuerſatus eſt, nos modo docere per ſuam Eccleſiam; nobiſque aſsiſtere; & idem facturum eſſe, vſq́; ad finem mundi, vt ipſe promiſit. Hodie, pro præſenti, & cras, pro futuro tempore ponitur Eccleſiaſtici. cap.
Eccleſiaſtici. 10. 12. 10. 12. *Rex hodie eſt, & cras non erit.* Ideſt, homo non regnat, niſi dum viuit: poſt hanc vitam, regnare deſinit.

GEnuit te.] Hebrai. IELIDTHICA, à verbo IALAD, quod eſt, generabit, concepit, parturiuit, peperit, in lucẽ edidit. Tribuitur etiam maribus. Quare hoc loco Aquila tranſtulit: *Peperi te.* Nec incõgruè Deo Patri conuenit, ſi ſermo ſit, de æterna generatione, quæ fuit admirabilis quidam partus, quo ab æterno, Pater ex ſuæ fæcundiſsimæ ſubſtantiæ vtero, per operationẽ intellectus Filium produxit, vt dicitur
Pſal. 109 3. Pſalm. 109. 3. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Latini enim auctores pariendi Verbum ſæpè maribus accommodant. Si verò loquamur de tẽporanea generatione, tunc *Genui te*, idem eſt, quod gigni, vel in lucem edi, feci te. Nam creaui, ac feci humanam naturam, per quã de nouo genitus es. Gignere autem pro creare, aut facere, in Sacra Scriptura vſitatum eſſe, ſatis liquet. Deo namq́; ſoli tribuitur efficacitas huius generationis, quę facta fuit ex matre abſque patre. Si deniq́; ſit ſermo de reſurrectione, ea fuit, ex ſola virtute diuina, vt patet.

¶ Non deſunt, qui hoc teſtimonium intelligant de ſacerdotio Chriſti, & occaſionẽ arripiunt ex Pauli verbis ad Hebr. cap. 5. ex hoc loco probantis, Chriſtum eſſe, ſummum, & æternum Sacerdotẽ, à Deo Patre or-
Hebr. 5. dinatum. Quæ ita habent: *Chriſtus, non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: Quemadmodum, & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem*

Digitized by Google

nem Melchiſedech. Quibus Paul. manifeſtè videtur ſignificare, prædictum teſtimonium, ad litteram etiam intelligi de Chriſti ſacerdotio: Alioqui enim non erat, cur ad illud probandum adduceretur. Sed meo iudicio, ex Pauli verbis, non colligitur, dictum teſtimonium, ad litteram intelligi de Chriſti ſacerdotio: ſed tantum ex eo, tamquam ex antecedenti quodam voluiſſe Paulum neceſſario inferre, Chriſtum eſſe æternum Pontificem. Nam vnigenito, & naturali Dei Filio, qui etiam tamquam homo, hæres erat vniuerſorum, hæ duæ dignitates debebantur, Regia, & Pontificia: Quæ in lege naturæ, coniūctæ erant, & ad filios primogenitos hæreditario iure pertinebant. Vnde Melchiſedech Rex erat, & Sacerdos Dei altiſsimi. Probans ergo Paulus, verū eſſe Dei Filium, ex conſequenti probat, eum eſſe ſummum Sacerdotem: & quidem ſecundum ordinem Melchiſedech, qui eius fuit typus illuſtriſsimus; offerens panem, & vinum in ſacrificium; quo præfiguratum fuit ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium à Chriſto inſtitutum.

VERSVS OCTAVVS.

¶ *POSTVLA à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionē tuam terminos terræ.*

VERBA etiam ſunt Dei Patris, ad Chriſtū Filium ſuum, quibus eius Regiam iuriſdictionē, amplificādam fore, pollicetur; Nam cum ante ipſius aduentum, immo, & ante Paſsionem, & Reſurrectionē, ſolus populus Iſraeliticus, ad eius regnum pertinere videretur, teſtante ipſomet Chriſto, ſe non

non eſſe miſsum, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Matth. 10. 5. Et cum mitteret diſcipulos ſuos ad
Matt. 10 prædicandum, eis iniunxit: *In viam Gentium ne abieritis, &c.* Promittit nihilominus Pater æternus, Chriſtũ,
5. Gentilibus etiam fore imperaturum, eiuſque regnum, per totum terrarum orbem dilatandũ. Expreſsè ſpectat hoc vaticinium ad Gentilium vocationem, & ad miſſionem in Eccleſiam, de qua paſsim reperiuntur, non ſolum in Pſalmis, ſed etiam in reliquis Propheticis libris, apertiſsima teſtimonia, quæ longiſsimum eſſet percenſere.

¶ Sed quæri poteſt: Cum Chriſtus, non modo vt Deus, ſed etiam vt homo, habuerit plenitudinem poteſtatis, ab ipſo ſuæ Incarnationis inſtanti, in omnes gentes, & nationes, & in omnes creaturas, tam cœleſtes quã terreſtres, & infernales; Cur hortatur ipſum Deus Pater, vt poſtulet Gentilium vocationem ad Euangelium? Huic quæſtioni reſpondere poſſumus, non eſſe ſermonẽ de poteſtate in omnes gentes, quam iure ſuo, Chriſtus ſemper habuit: Filius enim cum ſit Dei naturalis, hæres neceſſario eſſe debuit omniũ rerum, vt diximus: ſed agi de exequutione huius poteſtatis, quam voluit Pater, vt Chriſtus poſtularet, & mereretur per paſsionem. Poſt ipſam enim à mortuis reſurgens diſci-
Mat. vlt. pulis dixit, Matth. vlt. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, &c.* Quamvis igitur Chriſti poteſtas, ſemper fuit pleniſsima: quoad exequutionem tamen, Gentilibus non patuit oſtium Euangelicæ prædicationis, ante Chriſti paſsionem, & reſurrectionem. Quemadmodum princeps quilibet ſimulatque natus eſt, ius habet hęreditariũ ad regnum: Nihilominus tamen dum parvulus eſt, non plenè, & perfectè exequitur Regiam poteſtatem, donec adoleſcat, virquè perfectus euadat.

Sic

Sic etiam quodāmodo Chriſtus Dñs, licèt in quantum homo, in ipſo inſtanti conceptionis fuerit conſtitutus Rex à Deo Patre, & hæres vniuerſorum, hanc hæreditatem, quoad perfectam poſſeſsionem non habuit, niſi poſt reſurrectionem à mortuis. Hûc ſpectare videtur, quod Paul. indicat ad Galat.4. 1. *Quanto tempore hæres paruulus eſt, &c.* Chriſtus ſiquidē, dum vixit vitā mortalē, licèt eſſet Rex Regū,& Dñs dominantiū; habitus fuit tamquam parvulus,nihil à ſeruo differens,cum venerit miniſtrare, & nō miniſtrari. Tum etiam, quia ſtatus vitæ præſentis, ſtatus eſt parvulorū, vt Paul. docet, 1. Corin. 13. *Cum eſſem paruulus, loquebar, vt paruulus, &c.* Statum vero futuræ gloriæ, vocat virorum perfectorum: & idcirco Chriſtus,alioqui quantum ad animā perfectiſsimè beatus, per paſsionem,& reſurrectionem aſſequutus fuit,quantum ad gloriam corporis,& omnimodam manifeſtationem Regiæ poteſtatis, ſtatum viri perfectiſsimi.Vnde factum exiſtimo, vt ſimulatque reſurrexit,vocaret diſcipulos ſuos pueros. Ioā.21. *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Quo nomine, nuſquam dum in humanis ageret legitur, eos appellaſſe: ſed hoc modo voluit ipſis indicare ſe iam reſurgendo adeptum fuiſſe, ſtatum perfectiſsimum virorum, cum ipſi adhuc verſarentur in præſentis vitæ pueritia. Tum etiam, Act. 4. ipſe Chriſtus à Petro, & alijs Apoſtolis, puer vocatur. Scio communiter, puerum accipi pro ſeruo: Iuxta morem Sacræ Scripturæ: putarim tamen hoc loco,pro puero, intelligi debere Filium dilectiſsimum,qualis,vt diximus, eſſe ſolet Patri recēs natus, ſeu puerulus. Syriaca lectio,& Græca Editio habent: *Peda*, ideſt, puer, ſeu filius. Quam lectionem ſequitur Ambroſ.

Ad Galatas.4. 1.

1. Corin. 13. 11.

Ioan.21. 5.

Actuū.4.

P*oſtula à me.*] Duobus modis, vt benè annotat D. Tho. Chriſtus à Patre poſtulauit, & obtinuit Gen-

tilium conuerſionem ad fidem. Primo, per ſuam paſsio-
Hebr. 9. 15. nem merendo, iuxta illud Pauli ad Hebr. 9. 15. *Vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, &c.* Qui poſtulandi modus, fuit efficacisſimus, cum Chriſti paſsio eſſet infiniti valoris. Altero modo poſtulauit o-
Ioan. 17. 20. rando, Ioan. 17. 20. *Non pro eis rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt, &c.* Vbi non ad Iudæos ſolum, ſed ad Gẽtiles, qui per Apoſtolos cõuertendi erãt, ſe extendit Chriſti oratio. Equidem probabile puto in ipſo incarnationis momento, hanc poſtulationem contigiſſe. Si enim Dei Filius, cum primum naturã ſibi humanam co-
Hebr. 10 pulauit à Paulo inducitur Patrem alloquens, & de humano genere per paſsionẽ ſuam redimendo agens, ver-
Pſal. 39. bis ex Pſal. 39. petitis: *Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti, &c.* Si ergo Chriſtus mundũ ingrediẽs per carnis aſsumptionem, ſtatim eam orationem ad Patrem habuit: Quidni dixerim; tunc etiam poſtulaſſe ab eo Gentes in hæreditatẽ, & in poſſeſsionem, omnes terræ nationes? Quemadmodum ergo pręcedẽtis verſus verba, quibus Pater æternus, ad Filium recẽs incarnatum, dixit: *Filius meus es tu, &c.* De mentali loquutione intelligenda eſſe videntur: Eodẽ modo præſentis verſus verba; de mentali oratione accipi debent, ita vt Chriſtus à Patre efflagitauerit, quod ſciebat Patrem velle. Quare, ſtatim ſubditur conceſsio: *Et dabo*
Hebr. 5. 7. *tibi gentes.* Oratio Chriſti, apud Patrem numquam fuit vacua, aut inanis, ſed efficax ſemper, & impetratoria: Nam ſemper exaudiri meruit pro ſua reuerẽtia, vt Paulus loquitur. Annotat optimè D. Tho. vti Patrem, verbo liberalis donationis. Hebr. V E E T H E N A H, & donabo. Verbum N A T H A N, ſignificat donare, largiri, cõcedere. Quia cum ad Chriſtũ nullus venire poſſit, niſi ex mera gratia, & dono Patris, vt habetur Ioan. 6. 44.

Digitized by Google

6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, &c.* Sequitur, vt Gentilium largitio, ſit pure Patris donum. Dices: Si Chriſtus per paſsionis meritū poſtulauit à Patre, Gentilium cōuerſionem, non poterat nō illi concedi, & tribui. Ergo non erit pure donum, ſed debitum. Reſpondeo: Quod tametſi Chriſti paſsio tāti meriti apud Patrem fuerit, vt ipſi deberetur Gentilium hæreditas, & poſſeſsio; attamen originaliter, & radicaliter mera gratia, & donum Dei fuit: cum omnia bona, & privilegia Chriſto, vt homini collata, ad humani generis ſalutē, ex beneficio incarnationis, quæ mera, atq; eximia fuit Dei liberalitas, promanarunt. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitū daret, &c.* Merito igitur dicit: *Dabo tibi,* non dicit ſimpliciter *dabo*, ſed *dabo tibi.* Quia Chriſto, tamquam vero, & legitimo hæredi tradūtur Gentes, & omnes homines, pręſertim electi, vt iuſtificati gratia ipſius, participes, & cohæredes fiant vitæ æternæ. Cæteri, famuli tantum Chriſti ſunt; ſic Paulus Moyſem famulū in domo Dei appellat, & ſe alioſq; Apoſtolos, vocat miniſtros, diſpenſatores, & ſeruos Chriſti: Vnde Chriſtus dixit Petro: *Paſce oues meas*; nō tuas. *Quia mihi ſoli data ſunt in peculium, à Patre meo, &c.* Notat hoc loco Dydimus, hanc Gentiū donationē, factam Chriſto fuiſſe, non tam ipſius, quàm ipſorū gratia, vt medico, ægri, & Magiſtro traduntur imperiti, vt ſani, & docti efficiātur.

Ioan. 6. 44. *Ioan. 3. 16.* *Hebr. 3. 2.* *1. Corin. 4. 1.* *2. Corin. 4. 6.* *Ioan. 21.*

GEntes.] Diximus initio Pſalmi, per *Gentes*, cōmuniter accipi Ethnicos, & Idololatras, & præſertim hoc loco; quo indicatur Iudæorum ob ſua peccata deſertio, & reprobatio, ac vice illorū, Gentiū in Eccleſiam introductio, quam pręvidēs Deus Pater, Chriſtum tamquam hominem ita affari, & conſolari videtur; Non fruſtra, ſpirituale regnum capeſsis, quamquā enim peculiariter mitteris ad oues domus Iſrael, quibus potiſsimum

mum promiſſus fuiſti, & te propter ſuam malitiam, & cœcitatem non agnoſcent, neque recipient; macte tamen animi eſto, nam non imminuetur ſubditorum tuorum numerus; quin potius valde augebitur, cum daturus ſim tibi pro paucis Iudæis, Gẽtes, & populos innumeros, totum terrarum ambitum habitãtes, quibus pro tuo libito dominaberis. Ad hunc modum olim Deus, in

Exod. 32 10. populũ ſuum iratus, Moyſi dixit. Exod. 32. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in Gentem magnam.* Et Iſai. 49. 6. *Parum eſt mihi,*

Iſai. 49. 6. *vt ſis ſeruus meus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & faces Iſrael conuertendas; Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſa-*

Act. 13. *lus mea, vſque ad extremum terræ.* Hoc eodẽ teſtimonio Paulus, vſus eſt, cum Iudæos deſeruit, quia obſiſtebant Euangelio, & tranſitum fecit ad euangelizandum Gentibus. Chriſtus etiam hac de re cum Iudæis expoſtulãs, poſt propoſitam parabolam de patrefamilias, qui vineã

Matt. 21 43. ſuam locauit ingratis, & perfidis agricolis, intulit: *Ideo auferetur à vobis regnum, & dabitur Genti facienti fructus eius.* Poteſt etiam per *Gentes*, vterque populus intelligi, Iudaicus, & Gentilicus. Quaſi voluerit Pater æternus, ſignificare Chriſto, iam tempus adeſſe, quo per eum tãquam lapidem angularem, duo iſti populi, qui antea ſummopere disiuncti erant, in vnum congregarentur, & vnirentur. Hic enim erat vnus ex præcipuis fructibus Chriſti aduẽtus, vt docet Paul. Epheſ. cap. 2. 14. *Nunc*

Epheſ. 2. 14. *autẽ in Chriſto Ieſu, vos qui aliquando eratis longe facti eſtis prope in ſanguine Chriſti, ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnũ, faciens pacẽ, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per Crucẽ, vt interficiat inimicitias in ſemetipſo. &c.*

Ioan. 10. 16. Et ipſe Chriſtus, Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.* Fauet huic interpre-

terpretationi Chald. transferẽs : *Et dabo tibi diuitias populorum.* Hebr. G O I M, *Gentes, populos, nationes*: & dicitur etiam de ijs, quæ gregatim incedunt, ac viuunt, vt de locuſtis, & ſimilibus. Animaduertit, & benè Euthymius, quod Filio Dei, nouo modo, ratione humanæ naturę genito, noua aliqua deberi videbatur hæreditas, qualem, ex Gentibus conflandam, Pater ipſi promittit, & aſsignat.

¶ *Hæreditatem tuam.*)

GEnebrard. & Titelm. annotant hîc, & in ſequenti dictione, ſupplendam præpoſitionẽ, *in*, ſiue *pro*, & dicendum, in hæreditatem, in poſſeſsionem, vel pro hæreditate, pro poſſeſsione. Hæreditatis vox ſummam dignitatem Gentilibus olim deſpicatui habitis conciliat; quo titulo ſolum gaudere Iudæi conſueuerant: vt paſsim videre eſt in ſacris litteris. Et tàm honorabilis, & præclaræ conditionis eſt huiuſmodi hæreditas, vt ad ipſam pertinentes, poteſtatem habeant, Filios Dei fieri, & Chriſti cohæredes; cuius viua efficiuntur membra, per lauacrum regenerationis.

¶ Deus etiam hæreditas dicitur beatorũ, ipſo fruẽtium. 1. Pet. cap. 1. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini* 1. Petri
noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam mag- 1. 3.
nam regenerauit nos in ſpem viuam, per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilẽ, conſeruatam in cælis, &c.
Et ad Tit. cap. 3. 5. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus* Tit. 3. nu.
nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, ſaluos nos fecit, per 5.
lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus, ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Digitized by Google

Vnde, quia quod datur in hæreditatem, datur pleno, & perpetuò iure, vt ea hæres, pro libito ſuo vtatur, abſq; vllo metu eam amittendi; Ideo Chriſtus electorum hereditatem, tâm perfecto, & perpetuo iure poſsidet, vt non perdat ex eis vllum, ſed ipſum tamquã oues ſequantur, obtemperent: nec ſit poteſtas vlla, quæ ipſos, ex manu tanti Paſtoris, valeat eripere. Inde eſt etiã, vt diuinæ eſſentiæ viſio, & fruitio, in cœlis ſit æterna, &
1. *Petri.* 1. 4. inamiſsibilis, & vt Divus Petrus ait: *Incontaminata, & inmarceſsibilis.*

¶ *ET poſſeſsionem tuam terminos terræ*)

DE Euangelij prædicatione intelligitur, facta ab
Romã. 10 18. Apoſtolis. De qua Paul. Rom. 10. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ.*
Act. 1. 8. Et Chriſtus, Act. 1. 8. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Apoſtolos per ſemetipſos, vniverſum terrarum orbem peragraſſe, aut ſaltem maiores, & præcipuas eius partes, ex Eccleſiaſticis hiſtorijs ſatis conſtat. Quod ſi aliquæ Regiones, ipſorum prædicationem non audierunt; vel ſuſceptam, ab eis, Chriſti fidem temporis diuturnitate amiſerunt; videmus noſtro æuo, divino favente Numine, Regum Hiſpanorum opera, & ſtudio, Euangelicam prædicationẽ, barbaras, & peregrinas gentes, peruaſiſse; atque vtramque Indiam Orientalem, & Occidentalẽ ad Sinarum vſque remotiſsimas nationes, penetraſſe. Vna cum ſit ex præcipuis Sanctæ Eccleſiæ notis, eſſe catholicam, & vniverſalem, æquum profecto eſt, vt Chriſti Euangelium, non ſe vllis limitibus contineat, ſed ad omnes populos, & nationes protendat.

Vide Lorinũ, ſup. hunc locũ Act. fuſe diſputantẽ de prædicatione Apoſto. in vniverſo orbe.

¶ Colligunt Origenes, Heſich. Euſeb. 7. lib. de

demonſt.

demonſt. cap. 7. Euthym. & alij, ex hoc verſu Pſalm. hunc, nemini, niſi ſoli Meſsiæ verè, & propriè convenire; Nam, neque Dauid, neque Salomon, neque vllus alius ex poſteris, habuit pro hæreditate omnes gentes: neq; eius poſſeſsio pervenit ad vltimos terrę fines; ſed Reges omnes intra Palæſtinam, ſe ſe continuerunt; licèt aliquos finitimos hoſtes Gentiles, debellauerint.

VERSVS NONVS.

¶ *REGES eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos.)*

VERBA adhuc ſunt Dei Patris ad Filium, quibus, modus exercendæ ab eo Regiæ poteſtatis in ſubditos, declaratur. Varia tamē eſt, & multiplex, horum verborum expoſitio; Nam Euſeb. Theodoret. Euthy. & alij indicari cenſent Iudæorum, & aliorum Chriſti hoſtium excitium: quod ipſis à Romano exercitu illatum fuit, ob ſcelus infandum, in Meſsiam commiſsum. Vocatur autem Romani Imperij potētia, virga ferrea; quia apud Danielem cap. 2. ferro *Danie. 2.* ſit comparata, & ita ſenſus erit: Perperam atque in va- *40.* num Iudæos, & Gentiles in Chriſtum coniuraſſe, eique vitam per ſummum ſcelus ademiſse: cum reſurgēs ipſe à mortuis, ad immortalem vitam inimicos ſuos omnes, ferrea virga Romanæ potentiæ, tamquam vaſa fictilia fregerit, contriverit, prorſuſque deleverit. Etenim, inquit Euthym. Cum Chriſti regnum negaſſent Iudæi, ſub imperio Cæſaris, ſe eſſe affirmantes, Cæſaris meri-

 to po-

Digitized by Google

ro potĕntiam ſuſtinuerunt; à quo prorſus pené perditi ſunt.] Similia ſcribit Theodoret. Hæc expoſitio non-nihil coacta, & ſtricta videtur, cũ verſus nõ ſit referendus, ad priora Pſalmi verba, ſed ad ea quę proxime pręcedunt: & ita non de punitione Iudæorũ, ſed de ratione adminiſtrãdæ à Chriſto hæreditatis, intelligi debet. Ideo idem Euſeb. duas alias aſsignat meliores expoſitiones. Prior eſt, quam ſequũtur omnes ferè recẽtiores, Ianſen. Genebrard. Rayner. Foleng. Incognitus, Vatabl. Eugub. & cęteri, Maſsoretarum lectionem ſequẽtes, pro *Reges eos*, conteres eos. Quod agitur in vniuerſum de poteſtate iudiciaria tam punitiva, quã coerciva, quam Chriſtus exercet in omnes improbos, & doctrinę Euangelicæ aduerſarios, quos in hoc ſæculo cõterit, & diſperdit ſceptro ſuæ potentiæ invincibilis, quod ferreum idcirco dicitur: & in futuro à vita tamquam vaſa teſtea, nullo vſui futura cõminuet prorſus, atque diſsipabit, iuxta illud Iſai. 30. *Subito, dum nõ ſperatur veniet contritio eius, & comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, & non inuenietur, de fragmentis eius teſta, &c.* Quia tamen hæc explicatio ſolum agit de malorum pœna, & ſupplicio, non de gratia, & miſerationibus, quibus fideles ex Gentibus, in Eccleſiã admittendi erant, & in ea regendi, & paſcendi, qui ſcopus eſt horũ verborum præcipuus: altera expoſitio eſt, quã non ſolum Euſeb. Origenes, Theodoret. Euthym. Hieron. & alij veteres Patres aſsignãt: ſermonem eſſe de ſpirituali & ſupernaturali regimine, quo Chriſtus, tamquam Rex & Pontifex æternus, paſtorque optimus, fideles ſuos gubernat, ac paſcit. Quare Hebraicè, pro *Reges eos*, ponitur verbũ THEROGHEM, *paſces eos*. Et hoc modo, Græci legunt interpretes à RAGHAH, quod eſt paſcere, vt Pſal. 22. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, &c.* Vbi

Iſai. 30. 13.

Pſal. 22.

&c. Vbi eſt idem verbũ, RAGHAH, totoque Pſal. deſcribitur, ſumma cura, & ſedulitas ſupremi Paſtoris Chriſti, in ſuis ouibus paſcendis, fouendis, cuſtodiendis, atque omnium bonorum ſpiritualium affluẽtia cumulandis, & ſimiliter hoc loco eadem paſtoralis ſolicitudo depingitur. Nec mouere nos debet, quod dicitur, *In virga ferrea*; Virga enim denotat Euangelicam doctrinam, quæ ferrea vocatur, quia firmiſsima, æterna, & immutabilis eſt. Vt Ierem. 1. appellatur, colũna ferrea, ob firmitudinem, ſoliditatem, & perpetuitatem. Et Micheæ cap. 4. Ferreum cornu Eclesiæ, hoc eſt, immutabile, invincibile, ſemper duraturum. *Ierem.* 1. 18. *Michea.* 4. 30.

¶ Hæc Chriſti virga dicitur Pſal. 109. Virga virtutis, quam emittet Dominus ex Sion, ad inimicos ſuperandos, ſuoque imperio ſubijciendos. Quo indicatur, indicibilis Euangelicæ prædicationis poteſtas, quę totum mundum Chrſti dominationi ſubegit. Modus explicatur ſequentibus verbis: *Et tamquam vas figuli confringes eos.* Non eſt ſermo de ſupplicio, quo improbi ſunt puniendi, ſed de abſoluta virtute, & ſuauiſsima diſpoſitione, qua Deus vtitur erga homines, inſtar figuli, eos pro libito ſuo effingens. Quare verbum *Confringes*, non ad ſæueritatem punitionis referendum eſt, ſed ad Euangelicæ legis virtutem, & efficacitatem, planè diuinam, qua Gentium animi, ab Idolorum cultu, ad veri Dei cognitionem, & amorem erant traducendi. Quemadmodũ, vaſa teſtea facilli negotio á figulo rotæ artificio figuram, accipiunt, quam artifex vult inducere; Ita homines, veluti lutum, Chriſti gratia, & vocatione efficaci, erant flectendi, diuinæque voluntati ſubdendi. Frangere etiam apud Claſsicos Latinæ linguæ auctores, ſignificat vincere, ſubijcere, flectere, *Pſal.* 109. 2.

emollire,

Digitized by Google

emollire, Hiſpanicè, *rendir ſugetar, ablandar, enternecer*. Cicer. ad Brut. lib. 11. epiſt. 12. Itaque homines alij fracti ſunt, nonnulli etiam quæruntur. Ouid. 1. Metamorphoſ.

Animum pietas maternaque viſcera frangunt.

Hoc eſt, cõmouent, & ad miſericordiam flectunt. Cic. 2. offic. Viriathus, quem C. Lælius Prætor fregit, atq; comminuit, ideſt, convicit, flexit, & ſe dedere compulit. Quam ſignificationem Pſalm. 28. agens Dauid de ſumma vi diuinæ prædicationis, vſurpat dicens: *Vox*
Pſal. 28. 5. *Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, & cõminuet eas tamquam vitulum Libani.* Hoc eſt, mundi potẽtes, Cedris altiſsimis comparatos, Chriſtus ſua vocatione efficaciſsima flectet, ſubijciet, Euãgelio obedire compellet. Confringẽs illos (inquit Theodoret. tamquam vaſa figuli reſoluens, & refingens, per lauacrum regenerationis, atque Spiritus Sancti igne, duros efficiens.] His conſonant Euthymij verba. D. etiã Auguſt. ad hanc expoſitionem videtur accedere, cum ait: Conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis, lutulẽta negotia, & quidquid de peccatore limo contractum, atque inolitum eſt.] Quam exponẽdi rationem, ex recẽtioribus amplectitur, & tractat fuſiſsimè Martinus de Roa, Societatis I E S V, lib. 2. ſingular. locor. cap. 5. Quamquã non probatur Martino del Rio eiuſdem inſtituti profeſſori, vt videre eſt p. 2. Sacror. Adagior. Adagio. 26.

REGES eos.] Diximus multos vertere; *Paſces eos.* Ita Hieron. & LXX. Alij transferunt; *Conteres eos.* Vt Pagnin. Vatabl. Campenſis. Quin etiam Chald. à verbo R A G H A H, quod eſt, frangere. Vt ſit ſenſus;

tam

Digitized by Google

tàm tibi erit facile ſi rebellare voluerint, illos confringere ſceptro tuo, ferreo, & poteſtate Regia; quā figulo frangere vaſculum, quod ante finxerat ipſe. Nam vera cordis contritio, per quam peccatores in Deum convertuntur, & vitam meliorem inſtituunt, opus eſt efficacis gratiæ Chriſti, qui cor contritum, & humiliatum non deſpicit. Sed quovis modo transferatur, in bonam partem accipi debet, vt in vltima explicatione dictum eſt.

¶ *IN virga ferrea.)*

HEbraicè, BASEBETBARZEL, SEBET, ſignificat virgam, baculum, ſceptrum, telum, lanceam, dominium. Eſt ſceptrum, ſeu virga, æquabiliter erecta, ferro inducta, inſigne Regiæ poteſtatis; moſque fuit Regibus, & Principibus, illam geſtare ad denotandam rectitudinem iuſtitiæ, cum omnibus ſeruādam inflexibiliter. Vnde Pſal. 44. ſceptrū Chriſti dicitur; *Virga directionis*, ſiue vt Paul. legit, *Virga æquitatis*. Ferrum, indicabat, firmitatem, & perpetuitatem, quam in iure dicendo Reges ſeruare tenētur. Quare per virgam ferream, poteſtatem intelligere poſſumus, qua rebelles, & improbi, legumque violatores, non ſolum ad parendum ijsdem legibus, ſunt compellendi, ſed etiam dignis ſupplicijs debent addici. In Chriſto ſupremo Rege, omnis poteſtas eminentiſsime reſidet, non ſolum ad bonos præmijs afficiendos; ſed ad malos, & impios æternis pœnis puniendos; ac veluti vaſa fictilia conterendos.

Pſal. 44. 7. *Hebr.* 1. 8.

¶ VERSVS

VERSVS DECIMVS.

¶ *ET nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.*

HOC, & ſequentibus verſibus, apoſtrophe cõtinetur Prophetæ Regis, ad Reges, & Principes terræ; quos admonet vt Regis Meſsiæ doctrinam amplectantur; omnemq́; ſuam in ipſo ſpem defigant, legem obſeruent, potẽtiam timeant; ne ſi in ſua perfidia, & obſtinatione perſiſtant, tãdem eius horrendam indignationem, æternis cruciatibus traditi, experiantur. Et merito quidem, ad Reges, & Principes dirigitur ſalutaris hæc adhortatio, quæ ad omnes alios inferiores etiam ſpectat, quia, ex Regum, & Principum exemplo, omnium cæterorum pendet viuendi ratio. Quamobrem cum Propheta præuideret, à Regibus, & Principibus vehementi ſtudio, Chriſti legem oppugnandam; eos hortatur, vt Euangelium ſuſcipiant; deterretque ab impio propoſito, extremum iudicium ipſis comminando.

¶ Tria autem cum ſint, cuilibet homini ad æternam ſalutem neceſſaria, videlicet; cognitio rerum ſupernaturalium; obſeruatio diuinorum mãdatorum, quæ Decalogo cõtinẽtur, & humilis ad Deum oratio, ad quam in neceſsitatibus, præſertim ſpiritualibus, confugiendũ eſt: Hæc tria in his verſibus à Dauide proponũtur, Regibus, & Potentatibus præcipuè conueniẽtia. Hoc ergo verſu, primum docetur, intelligẽtia ſcilicet, & cognitio doctrinæ cœleſtis, quæ appellatur: *Panis vitæ, & intelle-*

Eccleſiaſtici. 15. 3.

intellectus, & aqua ſapientia ſalutaris. Quemadmodum enim vita hæc corporea, ſine cibo, & potu eſſe, vel cõſeruari nequit: ita abſque ſupernaturali fide, vita ſpiritualis nullo modo eſſe poteſt: Quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Et iuſtus ex fide viuit, cum ſit radix, & fundamentum totius iuſtitiæ, & ſanctitatis.

ET *nunc.*] Hebraic. VEGHATHAH, *Et nunc,* ideſt, ergo, itaque dictio, *nunc*, ait Euthym. rationem reddit, ac ſi dictum eſſet, & propterea vos, ò Romanorum, & cæterorum Gentium Reges; vosquè, ò Iudices, qui in vniuerſa eſtis terra, ex quo addiſcere potuiſtis, quantis calamitatibus oppreſsi fuerint ij, qui Chriſtum hunc, temere reprobarũt: & illud pariter noſtis, quod à Deo in hæreditatem electi eſtis, vos omnes (inquam) moneo, vt ſapientes ſitis, & abiecta priori illa amentia, erudiamini à ſcripturis diuinis.] Vatabl. etiã cenſet hanc Vatis commonitionem, fieri ad Reges, futuros tẽpore legis Euangelicæ, quos perinde, ac ſi eorum tempore viueret, ad meliorem mentem reducere conatur. Genebr. interpretatur, *Nunc*, ideſt, tempeſtiuè, maturè, dum per tempus licèt, dum vita comes eſt. Poſt hanc enim, nulla eſt merẽdi, aut amiſſam Dei gratiam recuperandi facultas. *Ecce* (ait Paulus) *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, &c.* Dũ ergo, *nunc*, durat præſentis vitæ, poſſunt peccatores, per pœnitentiæ remedium ad Deum conuerti, & in eius gratiã redire: poſt funus vero, nullus ſupereſt pœnitẽtiæ locus. *2. Corin. 6. nu. 2.*

REGES.] Origenes, quia hoc loco, vt in principio Pſalmi, non dicuntur Reges terræ, ſed Reges abſolutè, exiſtimat intelligi ſanctos, & iuſtos viros, virtutum omniũ ſectatores: Propriè (inquit) Rex dicitur, qui

qui nouit innocenter imperare: Qui vero fieri poteſt, vt non ille ſit Rex, cui regni cœlorum hæreditas obtingit; Quique futurus eſt in regno Dei? Et quidem, virũ ſanctum magno labore regnare; cum proprios motus regere, ac moderari oporteat, neque amplius á peccato vinci, quod in noſtro mortali corpore regnare nititur.] Ad hanc interpretationẽ; accedit Auguſtin. dicens: Et *nunc*, ideſt, iam innouati, iam contritis luteis tegumentis, ideſt, carnalibus vaſis erroris, quæ ad præteritam vitam pertinẽt, nunc intelligite iam Reges, ideſt, iam valentes regere, quicquid vobis ſeruile, atque beſtiale eſt, &c.

I*Ntelligite.*] Hebr. H A S C H I L V. Sapite, reſipiſcite, facite vt intelligatis. S A C H A L enim ſignificat, intelligere, ſapere, proſpicere, conſiderare. Et I N I P H I L, maiorem vim denotat, quaſi dicat: ſtu-
Epheſ. 5. dete, vt ſapiẽtes ſitis. Iuxta illud Pauli Epheſ. 5. *Nolite*
17. *fieri inſipientes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei, &c.* Non eſt ſermo de humana ſapientia, ſed de divina, quę ſita eſt in cognitione rerum ſupernaturalium, & naturæ viribus acquiri nequit. Ego autem Regibus, & Principibus, qui cęterorum duces, & anteſignani eſſe debent, potiſsimũ convenire cenſeo, qui enim alijs imperant, & rationem beneviuendi præſcribunt, maiore ſapientia, atque prudentia decet prælucere. Quamobrẽ ſapienter Plato dixit: Aut Reges debere philoſophari, aut Philoſophos regnare. Et congruenter optimi Regis ſymbo-
Pieri. li. 1 lum apud antiquos Ægyptios fuit ſceptrũ, cum infixo
Ierem. 1. oculo; cui videtur alludere apud Ierem. cap. 1. *Virga vigilans.* Leo, Rex animalium, ratione cæterium, ſimulatq; natus eſt, videre dicitur, & dormire apertis oculis;
Sapien. 6 Prouidentiam, & ſapientiam, quæ Regem decet ſigni-
10. ficans. Similem ſententiam habemus Sapient. cap. 6.

Vbi

Digitized by Google

Vbi poſt longam tractationem, de poteſtate Regia, quā hominibus Deus conceſsit, ad inferiores gubernādos, & de ſupplicio, quod eos manet, qui huiuſmodi poteſtate abutentes, in ſuos ſubditos per ſummā vim, & tyrānidem debacchantur, tādem ſubdit Spiritus Sanctus: *Ad vos ergo Reges, ſunt hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & ne excidatis.*

¶ *ERVDIMINI, qui iudicatis terram.*)

DIVVS Auguſt. ſinonyma hæc eſſe cum ſuperioribus aſſerit. Idē dicit ſignificare *intelligite*, quod erudimini: *Et Reges*, quod iudices terræ. Hebr. HIVASERV, Erudimini, aut erudite, vel corripite vos, à verbo IASAR, corripere, caſtigare, erudire, & in NIPHAL Erudiri, caſtigari, corripi. Chald. *Recipite eruditionem.* Quare erudimini, hoc loco, ad morum principis correctionem, ſpectat. Duo enim in ipſo reperiri oportet; ſapiētiam in verbis; & bonum exemplum in geſtis. Et ita horū prius, docetur illis verbis: *Et nunc Reges intelligite*; poſterius dicendo: *Erudimini, qui iudicatis terram.* Qui enim alios iudicaturi, & caſtigaturi ſunt, prius oportet, vt ſeipſos iudicent, corripiant, emendent.

VERSVS VNDECIMVS.

¶ *SERVITE Domino in timore: & exultate ei cum tremore.*)

AGITVR de obſequio, cultu, ac veneratione, tàm interius, quàm exterius, à Regibus, & terræ Iudicibus, Deo vero exhibenda. Quos in hunc modū alloquitur Propheta: O vos Reges, &

ges,& Iudices, qui alijs hominibus in terra, tamquam ſeruis, vobis ſubiectis dominamini, leges, & iura præſcribitis, quæ obſeruare teneantur, atque proteruis, legumque tranſgreſsoribus ſupplicia, & pœnas infligitis, animaduertite, vos ſupremum habere Regẽ Deum, cui ſubditi eſtis, & debetis obſequium, qui vos, ſi Maieſtate eius contempta, legem eius Euangelicam perſequamini, in æternum interitum, & ſupplicium detrudet: ſatagite ergo, vt ipſi ſeruiatis cum timore, ne oculos eius offendatis: Quod ſi ſedulò præſtiteritis, exultandũ vobis erit, cum humilis timoris moderamine, ne nimia lætitia inſoleſcere vos faciat.

¶ *SERVITE Domino.)*

HEbr. GHABDV, Seruite, miniſtrate, cultũ exhibete, ſacrificate. Hæc omnia ſignificat GHABAD. Sermo eſt de vero obſequio diuinæ Maieſtati præſtando, quod conſiſtit in perfecta eius mandatorum obſeruatione. Chald. *Seruite coram Domino in timore, & orate cum tremore.* Tum etiã, in cultu ipſi debito, quod ad virtutem religionis pertinet, vtrumque ſignificatur verbo, *ſeruite.* Cum Hebraicè denotet obſequium, cultum, & miniſterium circa diuina Sacramenta. Principi maximè convenit, qui non ſolum ipſe debet Deum colere, ac venerari, ſed veram religionẽ, pro viribus ſartam tectam tueri, & conſeruare, idola deſtruendo, hæreſes profligando, omneſque Chriſtianæ fidei hoſtes impugnando.

D*omino.*] Hebr. ETHIEHOVAH. Nomẽ Dei ineffabile ponitur cum articulo accuſandi caſus, perſonam patientem denotante, in hunc ſenſum; Verũ

Deum

Deum colite, interna, externaque animi ſubiectione, & affectu veneramini; cui ſoli omnis debetur honor, & gloria. Chald. *Coram Domino.* Ideſt, verè, & ex animo, non fictè, aut ſimulatè, vt hypocritæ. Frequens phraſis Sacræ Scripturæ, aliquid fieri, aut eſſe coram Domino, ideſt, verè, & realiter. Vt ſuper Ionam annotauimus.

IN *timore.*) Filiali videlicet, qui perfectiſsimus eſt. Quadruplicem namque timorē aſsignant Theologi: filialem, initialem, ſeruilem, & mundanum. Ex quibus, hic vltimus, malus, & reprehenſibilis eſt; quia conſiſtit in eo, quod homo recedit à Deo, ne aliquod malum tē-poraneum incurrat. Reliqua timoris genera, tamquam Dei dona, appetenda; differunt tamen inter ſe, tamquam perfectum, & minus perfectum: ſeruilis enim timor, quo aliquis ad Deū conuertitur metu pœnæ æternalis, licet imperfectionem habeat, à Deo tamen eſt, vt Concil. Trident. definiuit. Alij timores, perfectiores ſunt; filialis tamen omnibus præſtat, maximam habens cum perfecta charitate coniunctionem; cum ſit timor amittendi diuinam gratiam, propter culpam. Ad hunc timorē hortatur Reges, & Iudices Propheta Dauid. Et Pſal. 111. virum, hoc timore præditum, beatum appellat: *Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.*

3. ſent. d. 34. D. T. 2. 2. q. 19. ar. 2. & ſeqq. præcipuè ad Rom. c. 8. lect. 3.

Conc. Triden. Seſs. 6. cap. 6. & Cano. 8. & præcipuè Seſ. 14. cap. 4. de cōtrit.

¶ Poteſt etiam timor, ſignificare cultum, & adorationem Latriæ, Deo ſoli exhibendam. Timere enim ſæpè in Sacra Scriptura ad pietatem, & venerationē erga Deum, refertur; cum Latria dicat vehementiam, & intentionem quandam timoris, qui promanat ex perfecta Dei cognitione. Vnde optimè D. Thom. debitum Deo honorem, & reverentiam, pertinere aſserit ad donum timoris. Quæ ſignificatio, à Latinis etiā prophanis au-

D. Tho. 2. 2. q. 19. art. 10.

(inquit ipſe Dauid) *in Domino; & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.* Quia vero boni dum in hac vita degunt, decidere á diuina gratia poſſunt, ſemper debent eſſe timidi, atque ſoliciti, ne Deum infenſum ſibi reddant ob culpam lethalem, quo nihil infœlicius, neque miſerabilius eſſe, aut excogitari poteſt. Idcirco exultandum eſſe cum tremore, dicitur. Et vt Paul. inquit, Philippenſ. 2. *Cum timore, & tremore, ſalutem noſtram operandam.*

Pſal. 31. 11.

Philip. 2. 12.

E*Xultate.*] Chald. *Et orate.* Non incongruè; Nam hoc tertium eſt, quod ſuperius indicauimus, Regibus, & Principibus optimis, & iuſtitiæ ſtudioſis, neceſſarium eſſe ad Deum orationibus aſsiduis confugere, diuina eius beneficia impetrandi gratia. Exultatio autem pertinet ad eam orationis partem, quæ conſiſtit in Dei laudibus celebrandis, eique gratijs agendis, pro muneribus, ac donis ſuſceptis. Ad hanc exultationem nos multis alijs in locis adhortatur Regius Propheta, Pſal. 94. *Venite exultemus Domino. Iubilemus Deo ſalutari noſtro, &c.* Et Pſal. 80. 1. *Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob, &c.* Cuiuſmodi exultatio in beatis eminentius invenitur, qui Deum inceſſabiliter collaudant, & ſine intermiſsione diligunt; idque faciunt cum tremore, hoc eſt, reuerentia, & honore maximo, quo infinitam Dei Maieſtatem, proſequuntur, ſublato omni metu, tantæ fœlicitatis amittendæ. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabũtur in cubilibus ſuis. Exaltationes Dei in gutture eorum; & gladij ancipites in manibus eorũ.* Pſal. 149. Et Apocal. 4. *Procidunt viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in Throno, & adorant viuentem in ſæcula ſæculorum, & mittunt coronas ſuas ante Thronum, dicentes; dignus es Dñe Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, &c.*

Pſal. 94.
Pſal. 80. 1.
Pſal. 149. 5.
Apoca. 4. 10.

 D. Cyril-

Digitized by Google

Divus Cyrill. Ieroſolymitan. Cathecheſ. 14. locum hunc interpretatur de ſumma lætitia, & gaudio, quod Eccleſiæ accidit in Chriſti reſurrectione, in qua cœli, & terra, ineffabili exultatione affecti ſunt; tremor vero intercesſit propter terræmotum, & Angelum ſicut fulgur ad monumẽtum apparentem, quibus exterriti ſunt cuſtodes, & mulieres expauerunt. Hæc tamen expoſitio anguſtior videtur, quam vt Prophetæ inſtituto conueniat. Pronomen, *ei*, non eſt in fonte, neque in Chaldaica, ſed addita à LXX. diſtinctionis gratia. Et conuenienter, vt explicetur alacritas, & ſedulitas, qua Deo ſeruiendum eſt.

VERSVS DVODECIMVS.

¶ *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.)*

CELEBRIS Verſus, difficiliſque explicatu, ob varias priorũ verborum lectiones, ſeu trãſlationes, quæ omnes, eumdem ſenſum efficiũt, vt videbimus, cum ſint à nobis ſingulæ perpendendæ.

¶ *Apprehendite diſciplinam.*

HEbrai. NASEKVBAR, *oſculamini filium.* Ita legunt Pagninus, Vatablus, Fœlix Ianſenius, Caietan. Eugubinus, Genebrardus, & multi alij recentiores, NASAK, enim propriè ſignificat oſculari, amplecti amoris, & honoris affectu. BAR. Cyriaca vox, ſigni-

Vide de hac materia, & ritu adoration. Don Ioſephus Steph. Epiſc. Orio lanũ olim Veſtanũ, in lib. ſuo doctiſ. de oſculo pedũ Rom. Pontifici. cap. 1. & alijs.

Digitized by Google

ſignificat Filium, vt Prouerb. 31. Vbi in noſtra Vul- *Prouerb.*
gata legimus; *Dilecte mi*, in Hebræo eſt, B A R, *Fili mi.* 31.
Et Matth. 16. vocatur à Chriſto Petrus, *Bar ionah*, ideſt, *Mat.* 16.
Filius Ioãnis, ſeu columbæ. Senſus ergo huius Hebrai-
cæ lectionis eſt, debere Meſsiam, tamquam ſupremum
Regem, & Dei Filium, adorari, atq; obtemperari. Mos
quidem erat Palæſtinis, & viget adhuc, vt Regibus, ſub-
diti in ſignum venerationis, & ſubiectionis, manum
deoſculentur. Ita Samuel, poſtquam Saulem in Regem
vnxit oſculatus eſt, adorationis, & ſubiectionis ergo. 1. 1. *Regum*
Reg. 10. 1. Iob oſtendere volens ſe nõ adoraſſe ſolem, 10.
neque lunam, vt cæteri Gentiles ſolebant, hac phraſi
vſus eſt. Iob. 31. 26. *Si vidi ſolem cum fulgeret & lunam* *Iob.* 31.
incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo.
Hoc eſt, ſi adoraui ſolem, & lunam, ſigno oſculationis
manuum. Et 3. Regum 19. *Derelinquã mihi in Iſrael ſep-* 3. *Regum*
tem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante 19.
Baal, & omne os, quod non adorauit eum oſculans manum.
Olim Imperatori genu oſculabantur ſubditi, ſed Sena-
tores pectus: Nunc Principibus oſculamur manus, Pon-
tifici Maximo Cardinales genua, & manus; alij, pedes.
Denique apud omnes gentes, & ætates, oſculum, ſym-
bolum fuit adorationis, & ſubiectionis. Plin. lib. 28. c.
2. Inter adorandum, inquit, dextram ad oſculum refe-
rimus, & totum corpus circumagimus.] Et Apuleius
lib. 4. de Aſino, ita ſcribit: Multi admiratione ſtupidi,
& admouentes oribus ſuis dexteram, priori digito, in
erectum pollicẽ, vt ipſam prorſus Deam Venerem, reli-
gioſis adorationibus venerabãtur.] Minutius in Octa-
uio: Cæcilius ſimulachro Serapidis viſo, vt vulgus ſu-
perſtitioſè ſolet, manum ori admovens, oſculum la-
bijs impreſsit.] Oſeæ. cap. 13. 2. Vbi legimus in no- *Oſea.* 13.
ſtra Vulgata, *Vitulos adorant.* Pagnin. Regia, Tigurina, 2.

 habent

Digitized by Google

habent, *Oſculantes vitulos.* Quam etiam lectionem fuiſſe Aquilæ, teſtatur D. Hierony. Eſtque ibi idem verbum Hebraicũ N A S A K, quia hi, qui adorãt, ſolent oſculo vti. Geneſ. quoque cap. 41. Vbi dicitur: *Ad tui oris imperium, cunctus populus obediet.* Hebr. *Omnis oſculabitur os tuũ.* Ita Regia vertunt. Et eſt ſenſus, Quilibet te adorabit, vt Regni Principem, & obediet tuis mandatis. Facit ethymologia verbi *adoro*, hoc eſt, ad os applico, ſeu admoveo. Quare D. Hierony. hoc loco tranſtulit, *Adorate.* Quem Salmeron, & Flãmin. ex recentioribus ſequuntur. Non deſunt, qui legant: *Armamini diſciplina.* N A S A K enim etiã ſignificat, Armare, arma ſumere. Ita R. Selomoh. B A R, verò nomen, ob multiplicẽ eius ſignificationem, diverſimodè etiam exponitur: Nam præter filium, ſignificat pactum, purum, electum; deducta voce, à verbo B A R A R, quod eſt eligere, mundare, tergere, purificare. Et ita D. Hieron. transfert: *Adorate purè.* Eodẽ modo habent Regia Biblia. Aquila: *Oſculamini electum.* Symmach. *oſculamini pactum.* T I R O B O S C H V S; *Adorate frumentum.* R. Dauid Kimhi. *Oſculamini purũ.* Cõueniũt, omnia Chriſto, qui Filius eſt Dei, purus, electus, frumentũ, ſub ſpecie panis corpore ſuo fideles reficiẽs; pactum pacis inter Deum, & homines conſtitutum.

Geneſ. 41 40.

¶ Dauid Aben Eſra docuit verba illa: *Seruite Domino in timore, &c.* Verſus præcedentis, illis reſpondere, quæ dicta ſunt in Verſu 2. *Aduerſus Dominum.* Hæc verò præſentis verſus, *Oſculamini filium*, reſpondere illis, *Aduerſus Chriſtum eius.* Quaſi dicat: Vos Reges, & Principes, qui diabolicis furijs incitati contra Deũ Opt. Max. & contra Filium eius Meſsiam bellum geritis, tandem reſipiſcentes, Deum ſumma veneratione colite, & eius Filium adorate. Oſculamini, veneramini.

¶ Quod

Digitized by Google

¶ Quod attinet ad LXX. Editionem, quæ cæteris, tam diſsimilis eſt in verbis, Mathias Bredẽbachius opinatur, pro, *Oſculamini*, legiſſe, *Apprehendite*, à NASAG, quod eſt, apprehendere, attingere, aſſequi. Sed vt idem notat Bredenbachius, non eſt huic coniecturæ locus, cum Chaldaica Editio, cum Græca LXX. conueniat; *Recipite doctrinam*. Quamobrem exiſtimo germaniorem eſſe LXX. interpretationem, quæ in ſenſu, ab alijs non diſcrepat: Immo omnes ſignificãtius comprehendit. Nam Græcè *Draxeſthe pedyan*, *Apprehendite diſciplinam*; Significat *Draxeſthe*, ſubijcite vos humiles ac venerabundos Chriſti legi, inſtitutioni, præcepto, voluntati, correctioni: Quod plus eſt, quã oſculamini manum. Cum hoc ad exteriorem actum ſolũmodo pertineat, qui ficto, vel invito animo præſtari poteſt, vt de Iudæis conquerebatur Deus. Iſai. 29. 13. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et Hiſpanicè dicitur: *Mano beſa hombre, que la querria ver cortada.* Attamen intimo voluntatis affectu cuipiam ſe ſubmittere, eiuſque imperio obedire, ad veram, & ſincerã venerationem ſpectat. Præterea, Græci ſermonis proprietas, non multum abeſt à phraſi Hebræa. Nam *Draxeſthe*, vt Hilar. Theodorus Antiochen. & Euthy. obſeruant, non ſimpliciter apprehendere, ſed manu apprehendere, & tenaciter retinere ſignificat. Vnde *Drax* idem eſt, quod manus, vel pugnus. Indicatur vehemens ardenſq; deſiderium, & incitatus animus, ac veluti impetu quodam arma corripiens, diuinæ diſciplinæ, & inſtitutionis, quibus homo armatus, victor de inimicis tartareis euadat, & coronam gloriæ apprehendat.

Iſai. 29. 13.
Matt. 15. 8.

¶ Hoc ſanè modo adorat purè, id eſt, verè, ſincere, ex animo, non fictè, non ſimulatè, nõ fraudulenter, vel debito modo adorat filium, qui eſt purus, electus, &c.

Ierẽ. 17. Soph. 3. 2 DIſciplinam.] LXX. PEDYAN, vt apud Ierẽm. 17. 23. & Soph. cap. 3. *Non audiuit vocem, & non ſuſcepit diſciplinam.* Quibus locis, & alijs ſimilibus in Hebræo eſt dictio MVSAR, hoc eſt, correctio, caſtigatio, eruditio, à IASAR, caſtigare, erudire, corrigere. LXX. ſemper vertunt PEDYAN, ideſt, pueritiam, ſeu puerilem diſciplinam. Nihil enim eſt pueris tam proprium, & neceſſarium, quam parentum, & Magiſtrorum diſciplinæ, ac correctioni ſubeſſe.

¶ Poteſt etiam, BAR, derivari à BEER, quod eſt, explanare, exponere: Vnde nomen, pro explicatione, ennarratione, & doctrina. Item NASEKV, vt R. Selemoh docet, deducitur à SVK, quod ſignificat concupiſcere, deſiderare; Vnde nomen THESVKAH, concupiſcentia, appetitus, deſiderium. Vt Geneſ. 3. dictum fuit Heuæ: *Ad virum tuũ conuerſio tua.* Heb. THESVKATECH, *Appetitus tuus, deſiderium, amor*; Ita vt ipſum vehementer ames, totaque ab illo pendeas. Eadem phraſi vtitur Sponſa, Cant. 7. 10. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* THESVKATHO, hoc eſt, amor, deſiderium eius. Oſtẽditur reciprocus amor, qui inter cõiuges eſſe debet. Quare hoc verſu exprimitur, vehemens affectus, & deſiderium, quo in diuinæ legis cognitionem, & obſeruantiam Reges, & potentes duci oportet.

Geneſ. 3. 16. — *Cantic. 7 10.*

¶ Obſeruat Lorinus, ex dictis, ſequi nonnulla ſcitu digna; primum: Quod cum hic locus, adeo ſit efficax, & luculentus ad diuinitatem Chriſti probandam contra Iudæos noſtri temporis, quemadmodum ex eo antiquiſsimi Rabbini, ipſam fateri, & prædicare compulſi fuerunt, non eſt ſatis probabilis opinio multorum Theologorum aſſerentium Iudæos, odio noſtræ fidei de induſtria corrupiſſe in fonte multa Sacræ Scripturæ loca de

Canus. li. 2. de loc. cap. 13. Iacob. de Valentia Prefa. in Pſalm. Salmer. in prolegom.

de Meſsiæ diuinitate, & Maieſtate aperte loquentia. Quam opinionem cõfutat Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 2. to. 1. Secundum: fruſtra tumultus excitare Calvinum cõtra Editionem noſtram Vulgatam ex iſto loco, vbi iudicio ipſius Calvini noſtra Editio ab Hebraica valdè diſcrepat. Cum docuerimus: *Oſculamini filium*, aptiſsime, per, *Apprehendite diſciplinam*, explanatũ fuiſſe. Tertium poſſe propriè admodum, hũc verſum ad Simeonem iuſtum applicari, qui accepit puerum Ieſum in vlnas, & benedicens Deum dixit: *Lumen eſſe ad reuelationem gentium, & gloriã plebis ſuæ Iſrael*: Quin etiã tribus Magis Regibus maxime conuenire poſſunt prædicta verba, qui mirabili ſtellæ indicio, & ductu, à longinquis Orientis regionibus, in Bethleem venerunt, vt eumdem Dei Filium adorarent, oſcularentur, muneribuſque oblatis, ſe eius obedientiæ ſubderent. *Luca. 2. 32.*

¶ *NE quando iraſcatur Dominus.)*

HEbrai. PENIEANAPH, *Ne fortè iraſcatur*. Quo pacto, hæc particula, *fortè*, ſit intelligenda, diximus ſuper Ionam. Et qua ratione Deus iraſcatur, diximus ſuperius verſu 5.

D*ominus*.] Nõ eſt in fonte Hebræo, neq; in Chaldæo, additum exiſtimatur à LXX. tamquam neceſſario ſupplendum. Aliqui per *Dominum*, Patrem intelligunt, cuius eſt, filij iniurias vlciſci, iuxta illud Pſal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c.* Sed videtur aptius conuenire Filio, qui vt Deus eiuſdẽ eſt cum Patre potentiæ, & Maieſtatis; vt homo, conſtitutus eſt Iudex viuorum, & mortuorum, cui omne iudicium dedit Pater. Ita ſentit Ianſen. *Pſal. 109. 1.*

¶ ET

¶ *ET pereatis de via iuſta.*)

DIctio, *iuſta*, non eſt in textu Hebræo, neq; Chaldaico, ſed ſolum, *ne pereatis de via*. Origenes dicit,aut diuino inſtinctu à LXX. additum eſſe, aut ipſos ita legiſſe, & iniuria temporum,eam dictionem è textu excidiſſe. Sermo eſt de via ducente ad vitam, quæ eſt lex Euangelica, merito via iuſta, ſeu recta nuncupata, quia in ea docetur perfecta iuſtitia, & rectitudo, qua itur ad æternam beatitudinem. Vel via, poteſt ſignificare Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita. Diximus in priori Pſal. per viam metaphoricè intelligi inſtitutum, viuendique rationem, quam aliquis profitetur. Quare via per anthonomaſiam, denotat Chriſtianã religionẽ, à qua impij abhorrent maximè, & improbi Chriſtiani ſæpè ob ſua peccata, prorſus eam amittunt, & in hæreſis barathrum labuntur. Genebrard. ait aliquos legere, *Ne pereatis in via*, poſito *in*,pro *de*, vt ſæpè in ſacris litteris poni ſolet. Vt ſit ſenſus: Ne pereatis ſubitò ne in medio curſu abſumamini,ne ſubitus Dei furor vos occupet, & è medio tollat. Ita R. Ioſeph cæcus. Chald. Metaphraſtes: *Ne amittatis viam*. Perpendit D. Thom. maximum eſſe diſcrimen inter perire in via, & de via: Quamdiu enim homo in mũdo eſt, eſt ſicut in via; nam ſi cadit, reſurgere poteſt, ſed ſi perit de via irreparabilis eſt.] Videtur Doctor Angelicus, per viam, accipere ſtatum vitæ præſentis, ſecũdum quã homines quamtumvis iuſti, appellantur viatores, poſt hanc enim, dicuntur ciues ſanctorũ, & domeſtici Dei propriè,& perfectè,dum ergo ſumus in corpore peregrinamur à Domino. Theodoret. & Nicephor. Blémidas,viam iuſtam ſumunt pro congregatione iuſtorum, à qua, vt in Pſal. 1. dixi-

Diſcrimẽ inte perire in via, & de via.

Digitized by Google

1. diximus ſeparandi ſunt impij,& peccatores in extremo iudicio.

VERSVS VLTIMVS.

¶ *(CVM exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.)*

PRIORA verba: *Cum exarſerit in breui ira eius.* Hebræi, cum ſuperiori verſu coniungunt; & ita inveniuntur in omnibus ſacrorum librorũ Editionibus, præter noſtram Vulgatam,in qua verſum diſtinctum faciunt: Et merito quidem, nam in eo agitur de ira terribili, & furore Domini, in die iudicij; in præcedenti verſu ſermo eſt de ira, quã in hoc ſæculo, in malos animadvertit, tribulationibus, & pœnis temporalibus eos puniens, non vt diſperdat, ſed vt ad ſe redire compellat; inſtar Patris erga filios nequam, quos ira concitatus caſtigat, non vt pereant, ſed vt ad meliorem frugem reuertantur: ſic ſe habet diuina iuſtitia in hoc ſæculo erga improbos homines, ipſos caſtigans, & flagellans, quoad pœnitentiam confugiant, & divinam miſericordiã promereri ſtudeant. Vt Pſal. 117. *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Quare ira, quam Deus exercet in præſenti ſæculo, non appellatur ardens, vel accenſa, quia eſt leuis, & placabilis, plenaque miſerationis, facile enim iratus Deus, ad miſericordiam flectitur. Verumenimverò ira illa indicibilis, qua poſt hanc vitam in iudicio contra malos exardeſcet, omnino erit implacabilis; quia nec tũc erit ſpes veniæ, nec pœnitentiæ fructus, nec miſericordiæ locus

Pſal. 117.

Iſai. 30. 17. locus. Iſai. cap. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum labia eius, quaſi ignis deuorãs.* Pleni ſunt ſacri libri, præſertim Prophetarum, teſtimonijs iræ huius magnitudinem exprimẽtibus. Quę videri poſſunt apud auctores, qui de quatuor nouiſsimis commentarios ediderunt.

IN *breui.*] Scilicet, tempore; Quia mora, qua iudicium extremum peragetur, erit quam breuiſsima, cũ non ſingula peccata ſeparatim, vt inquit D. Thom. ſed omnia ſimul citiſsime, & exquiſitiſsimè diſcutientur. Quare illud horrendum iudicium, breuiſsimum erit, nõ mille annos durans, vt dixit Lactantius, fiet enim teſte

1. Corin. 15. 52. Paulo. 1. Corin. 15. *In momento in ictu oculi, in nouiſsima tuba, &c.* Fauet Hebræa dictio, CHIMGHAS, *Paululum.* Alij legunt, *Poſt paululum,* vt Genebr. Kampenſ. Tigurina. Quo etiã innuitur, citius futurum eſſe iudicium, non modo particulare, ſed etiam vniuerſale,

Apoca. 3. 11. quàm homines mali exiſtimant. Apoc. cap. 3. *Ecce venio cito, &c.* Sic etiam interpretantur D. Hiero. & Auguſt. *Repente, ex improuiſo.* Nam iuxta Paulum. 1. The-

1. Theſal. 5. 2. ſal. cap. 5. *Eis ſuperuenturus eſt repentinus interitus, cum incurioſi homines, dicent pax, & ſecuritas.* Omnis ſiquidẽ mora, quantumvis longiſsima, ſi cum æternitate conferatur breuiſsima eſt; ſed hominibus huic ſæculo deditis, cum nihil minus cogitẽt, quam de die iudicij, illud videtur, vel numquam, vel tã ſerò futurum, vt cum advenerit, eos imparatos, & oſcitantes, genio indulgentes inveniens, ſit correpturum. Vtrumque ſenſum attigit Origines dicẽs: Cum vero eius indignationem exardeſcere, aut ipſum paulò poſt, aut breui inflammari dicit, poſt exitum vitæ iudicium futurũ exprimit. Porrò Prophetæ, atq; Apoſtoli, & Patres omnes Eccleſiæ,

non

non modo iudicij horribilitatem, ſed breuitatem quoque conſtanter prædicarunt. Et ſignanter, non multis abhinc ſæculis, D. Vincentius Ferrerius, vir ſanctiſsimus, & miraculorum gloria clariſsimus, ſingulare Ordinis Prædicatorũ decus, & Valentinæ vrbis ornamentum, hoc ex profeſsò vbiq; gentiũ proclamauit, adeſſe iam, & appropinquaſſe iudicij tempus.

IRA *eius.*) In Hebræo eſt A P O; *Naſus eius.* De quo iam diximus ſuperius in Verſu. 5.

¶ *BEATI omnes, qui confidunt in eo.*

EGREGIA concluſio, ex dictis profecta, ob quã multi, præſertim Hebræi, exiſtimarunt hunc Pſalmum cõnectendum cum præcedenti tamquã eius partem, cum iſti, finis imponatur eadem clauſula, qua prior inceperat. Sed hoc iam ſuperius ſatis confutatum eſt à nobis. Vult ergo Propheta, hoc Epiphonẽmate, ſiue Epilogo allicere homines, diuinæ legis ſtudioſos, ad erigendam ſpem ſuam, & in Deum collocandam. Sermo eſt de ſpe viua non de inani fiducia, abſque gratia, & bonis operibus, quam ſolam, Hæretici huius temporis ſufficere ad ſalutem impudenter iactitant. Et in hoc ſenſu piè interpretãdus eſt Caietanus, qui verſum hunc explanans, ſoli fiduciæ tantum tribuit, vt cautè ſit legendus. Chaldæus vertit; *Bonum omnibus, qui ſperant in verbo eius.* Noſtra enim ſpes firmiſsima eſt, & infallibilis, cum fundata ſit in Chriſti promiſsione. Iacob. 1. 12. *Iacob. 1. 12.* *Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.*

¶ IN

¶ IN PSALMVM SECVNDVM, Carmen Saphicum, & Adonicum.

CVR fero Gentes fremitu inſoleſcunt?
Cur Tribus ſæuis odijs inique
Corde conceptum recoquunt furorem
Vana loquentes?
Cur ſimul Reges, Proceresque prompti,
Mentibus iuncti, coëunt frequenter,
Vt Deo poſsint pariterque invncto ob-
Siſtere Nato?
Eia, rumpamus mala vincla legis
Et procul funes iaciamus (aiunt)
Quo iugum noſtris humeris moleſtum,
Excutiamus.
At Deus cœli reſidens in arce,
Improba ipſorum penitus retundet
Tela, ridebit meritoque ſannis
Reddet onuſtos.
Tunc eos vultu, fatuos minaci
Alloquens, totis faciet trementes
Artubus, tetra & comitante turba
Mittet in Orcum.
Sed mihi magni diadema Regis

Con-

Contulit ſupra iuga ſacra Sion.
Et nouam mundo reſerabo legem
A Patre miſſus.
Tunc, mihi verbis Pater ipſe ſummis,
Tu mea eſt, (dixit) ſoboles perennis,
Hac die æternum genui, paremque
Te mihi natum.
Poſtula à me, ſunt tua cuncta namque,
Et dabo humanæ genus omne Gentis,
Ac tua extremos ditio ſe ad Indos
Proferet vſque.
Ferreo coges dare colla ſceptro,
Qui tuæ voci fuerint rebelles
Iudicis tamquam figulina franges
Munere vaſa.
Ergo, qui vaſto dominantur Orbi,
Inclyti Reges, ſapiant, & vnà
Iudices, qui dant ſua iura cuique,
Erudiantur.
Seruiant omnes Domino timentes,
Atque ei exultent pariter trementes,
Ne velit tandem ſcelerum repletos,
Tradere morti.
Eia nunc promptis animis adeſte,
Iam Dei fœdus capite inſtitutum,
Et pio læti date multa purè
Oſcula nato.

Ne

Digitized by Google

Ne Deum veſtro ſcelere incitatum
Denique iraſci faciatis; atque
De via errantes pereatis, illo
Vindice recta.
Maximè illorum celebranda ſors eſt,
Qui Deo cura famulantur omni,
Spemque conſueſcunt in eum fideles
Figere certam.

PSALMVS TERTIVS.

1 PSALMVS *David cum fugeret à facie Ab-*
ſalom filij ſui. 2. Reg. 15. 14.
2 *Domine, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.*
3 *Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.*
4 *Tu autem Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*
5 *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me, de monte ſancto ſuo.*
6 *Ego dormiui, & ſoporatus ſum; Et exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.*
7 *Non timebo millia populi circumdãtis me: Exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.*

Quoniam

Digitized by Google

8 *Quoniā tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.*

9 *Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.)*

¶ DE TITVLO, ET ARGVMENTO PSALMI.

PSALMVS hic, primum obtinet locum inter cæteros omnes titulo inſignitos. Nam duo priores à nobis hactenus explicati, carēt inſcriptione, vt vidimus. Inſcriptiones autem maximè iuvare ad Pſalmorum intelligentiam. (Quidquid dicat Kampenſis) docēt veteres Patres; ſunt enim veluti claues aditum reſerantes, ad penetranda diuina myſteria, & tamquam cynoſuræ ducentes ad portum optatiſsimū cognitionis rerum diuinarum. Cum ergo Pſalmis præfixi, non ſolum in Editione LXX. ſed in Hebraica etiā habeantur; probabile eſt ab ipſiſmet Pſalmorum auctoribus, editos fuiſſe; licēt probabilius alij arbitrentur ab Ezdra fuiſſe appoſitos. Is enim, vt initio diximus, fuit diuinorum librorum inſtaurator, & Pſalmos in vnum librum cōgerere ſtuduit; ipſiſque inſcriptiones adhibuit, non ſeruato ordine rerum geſtarum, de quibus agitur in Pſalmis. Quamobrem certum eſt, hunc, habere debuiſſe locum poſt quinquageſimum Pſalmū. Nam Dauidis fuga, cuius occaſione hunc Pſalmum edidit, poſterior fuit peccatis homicidij, & adulterij à Dauide perpetratis, quorum pœnitens, dictum Pſalmum quinquageſimum compoſuit.

¶ Sed quare præſens Pſalmus, tertium locum ſortitus ſit, myſticæ rationes aſsignantur. Prima, Quam red-

dit D. Gregor. Niſſen. tract. 2. in Pſal. cap. 11. Vt qui malorum conſortia fugiẽs, & virtutem conſectari ſtudens, quod continetur in 1. Pſalm. Chriſto adhærere, eiuſq; diſciplinam complecti pro viribus nititur; quod pertinet ad 2. Pſal. ſciat ſe ſtatim, paſſurum perſecutiones, non ſolum ab externis, ſed etiam à domeſticis ſuis. De quo agit Pſal. iſte tertius, novum Chriſti militem inſtruens, ad fortiter perferenda inimicorum omnium tela. *Nam omnes, qui piè viuere volunt in Chriſto perſequutionem patientur. Et accedentes ad ſeruitutem Dei, oportet præparare animam ſuam ad tẽtationem.* Caſsiodor. dicit, huic Pſalmo tertium locum concedi, quia in eo tractatur de Diuinæ Trinitatis potentia, & Chriſti Domini reſurrectione, quæ fuit tertia die. D. Hierony. poſitum aſſerit ante Pſalmos, qui cõtinent perſequutiones, Dauidi à Saule concitatas; de quibus agunt Pſalmi 53. & 56. Vt ordo tẽtationum ſeruaretur: Quia prius à Deo, propter peccata caſtigamur; Deinde, propter virtutem probamur. Dauid vero erat innocens in perſequutione Saulis, in Abſalomi, reus grauium delictorum. D. Thom. Valdè cohærere ait hunc Pſalmum cum præcedenti, quia in præcedenti, oſtenditur coniuratio hoſtiũ contra Chriſtum; in hoc verò continetur diuini auxilij imploratio, & illuſtriſsimus de inimicis triumphus reportatus. Hæ, inquam, myſticæ ſunt rationes quamquã, vt in Procemio diximus, Eſdras, aut quicumq; fuit Pſalmorum compilator, eos ita cõgeſserit in vnũ codicem, vt non ſeruaverit rerum geſtarum ſeriem, ſed eum ordinem, quo Pſalmi omnes fuerunt reperti.

Paul. 2. Thimot. 3. 11.
Eccleſiaſtici. 2. 1.

PSalmus.] Diximus in Prolegomenis, quid Pſalm. Græcè, Hebraicè MIZMOR, ſignificet: & licet lugubre ſit hoc carmen, in quo Propheta in tribulatione

ne

Digitized by Google

ne poſitus, ſuam calamitatem deplorat; & cum Deo agens, opem eius implorat; potuit nihilominus, Pſalmi appellatione potiri, tamquam communi ad omnia eiuſmodi poëmata, quæ ſono cytharæ in Templo decantabātur: ſicut apud noſtrates Poëtas Elegia, Epigramma, & ſimiles voces, ſolent ad commune genus carminis extendi, quamuis initio, ad ſpeciale, fuerint acommodatæ: præſertim cum in eo non ſolū triſtia, & infauſta, ſed etiam læta, & proſpera contineantur. Vt videre eſt Verſ. 4. 5. & ſequentibus.

DAVID.] Hebraic. LEDAVID, hoc eſt, *ipſi* Dauidi. Nam littera *Lamed*, deſeruit dandi caſui, in nominibus potiſsimum proprijs, & poſſeſsorijs. Ita vertunt Græci interpretes, *Todauid*, per dativum. Qua in re ſignificari exiſtimant Lipomanus, Titelman. Genebrardus. & alij præcipuum auctorē Pſalmorum, eſſe Spiritum Sanctum, qui eos Dauidi tamquam librario, & amanuenſi inſpirauit, & dictauit: Vt ipſemet Dauid teſtatur Pſalm. 44. *Lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis.* Poteſt tamen eſſe Hebraiſmus, Datiuus pro Genitivo: Quemadmodum in vltimo Verſu præſentis Pſalmi: *Domini eſt ſalus.* Hebraicè, LAIHOVAH, & initio Pſalmi 23. *Domini eſt terra*, ſunt eadem verba Hebræa. Et ita ex hoc nomine Dauid, licèt argumentari, eum eſſe conditorem Pſalmorum, quibus præfixus eſt eiuſmodi titulus. Datiuus præterea ſæpé ponitur loco ablatiui, etiam apud Latinos. Quare, *Pſalmus Dauidis*, ſiue *ipſi Dauidi*, idem eſt, quod à Dauide.

Pſal. 44. 2.

Pſal. 23.

¶ *Cum fugeret à facie Abſalom filij ſui.)*

NArratur hæc hiſtoria 2. Reg. 15. Sed huius fugæ cauſam aſsignat D. Chryſoſt. non fuiſſe timorem

mortis, quam Abſalomus inferre cogitabat; ſed paternam præcautionẽ, ne occaſio daretur illato bello, Abſalomum occidendi; cuius incolumitati, ſummoperè ſtudebat: cum Ioabo, principi militiæ præceperit, *Seruate puerum Abſalom*; cuius necem ægerrime tulit, magniſque doloris ſignis lamentatus eſt. 2. Reg. 18. Huic ſententiæ Chryſoſtomi adhæret Abulen. 2. Regum 18. q. 20. Quoniam cum pugnaſſet Dauid contra filium, & victor euaſiſset, facilius potuiſſet, intra vrbem munitiſsimam reſiſtere: fugam tamen arripuit, ad placandũ Deum, quem ſibi propter flagitia commiſsa infenſum eſſe ſentiebat: Putabatque hanc filij perſequutionem, Deo permittente, ſuſcitatam. Verebatur ſanè Rex ſanctus ne ſi filio reſiſteret, Deo ipſi repugnare videretur: Idcirco nudis pedibus, aperto capite, lachrymabũdus, cum ſuis ſeruis, & ſatellitibus, è ciuitate aufugit: nec permiſit, vt Semeio inſolenti homini, Dauidem maledicenti, lapidibuſque inceſsenti, quidquam mali inferretur, quod Deo permittente, omnia illa incommoda contingerent, ferendaque æquo animo eſſent: *Si fortè Deus reſpiceret afflictionem, & redderet ei bona, pro illa maledictione.* Poſtea vero, cum iam Deum ſibi per pœnitentiæ, & patientiæ opera, conciliaſset; non amplius eſſe ferendam tantam proteruiam, & audaciam exiſtimauit; ſed ei acriter repugnandum, vt narratur. dicto 2. Regum. cap. 18.

2. Regum 18.

2. Reg. 16 12.

¶ Hæc opinio in eo quod aſſerit, Dauidem non timore filij fugiſſe, mihi non videtur vera, cum contradicat apertè verbis ipſius Dauidis, ita ad comites aſſtantis: *Surgite fugiamus, nec enim erit nobis effugium à facie Abſalom; feſtinate, egredi ne forte veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore*

2. Regum num. 14.

in ore gladij. Ex quibus liquido colligitur Dauidem timuiſſe Abſalomi potentiam, & immanis odij acerbitatem, & idcirco fuga ſibi, ſeruiſque ſuis conſuluiſſe.

EX hac fuga, ſaluberrima ad mores documẽta, ſanĉti Patres hauriunt. Chryſoſtom. annotat hoc loco nos admoneri, quanto ſtudio cauendum ſit, ne diuina præcepta temerè transgrediamur: habemus ſiquidẽ vindicem Deum, qui noſtriſmet armis, nos debellat, noſtriſque rebus, de nobis ſupplicium ſumit. Beati Dauid (ait Chryſoſt.) fuit hoc inſtitutum per propoſitum Pſalmum vitam docere, & caſtigare, vt nihil vmquam mali faciat, nec leges Dei contemnat; ne peccatori ea eueniant, quæ ipſi eueneruñt. Fugiebat filium ſuum Dauid, quoniam caſtitatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violauerat; fugiebat filiũ, quoniam legem Dei fugerat, &c.] Monemur deinde fugiendum eſſe quandoque, & iræ cedendum; vt Moyſes metu Pharaonis, fugit in ſolitudinem. Exod. 2. Iacob, ob fratrem ira percitum fugit in Meſopotamiam. Geneſ. 27. Elias, propter Ieſabelis odium fugit in mõtem Horeb. 3. Reg. 19. Et Chriſtus docuit diſcipulos ſuos fugere perſecutorum ictus, quando oportuerit, ad maiorem proximorum ædificationem. Tertio, exemplo Dauidis, in tribulatione ad Deum eſſe confugiendum, eiuſque auxilium inuocandum; curandum etiam vt humilitatis, patientiæ, & pœnitentiæ operibus, diuinam gratiam aſſequi enitamur; pro certo habentes, omnia, quæ nobis aduerſa eueniunt, Deo volente obtingere; dicamuſque, merito nos ea pati, quia in Deum peccauimus.

Exod. 2.
Geneſ. 27
3. Regum 19.

¶ Hanc fugam multis duraſſe menſibus, ex Sacra Hiſtoria ſatis colligitur, perſeuerauit enim vſqueque,

Dauid reductus fuit cum honore, & gaudio in Ieruſalẽ poſt bellum geſtum cum Abſalomi exercitu, reportatamque victoriam. D. Hieron. ſcribit, ſex mẽſium ſpatium intercesiſse: Quare incertum eſt, quando Dauid hunc Pſalmum concinnauerit. Crediderim tamẽ compoſitum, cum traiecto torrente Cedron, montem Oliuarum conſcendit; vt ſic proprius ad Chriſtum, cuius fuit typus pertinere videretur.

¶ Dubium non eſt, quin Pſalmus hic ad litteram de Dauide intelligatur, cum id, & titulus & res ab eo geſtę ſignificent, Sed quæri poteſt, An etiam de Chriſto hiſtoricè accipiatur. Nam Origen. & D. Auguſt. quos ſequitur Burgenſ. aſſerunt, de Chriſto ad litteram præcipuè eſſe intelligendum; quia nonnulla dicuntur, quæ Dauidi non competunt, vt Verſu 5. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, &c.* Vbi de Chriſti paſsione, & reſurrectione, maniſeſtè agitur. Verum cõmunis eſt opinio, Dauidi, hiſtoricè, Chriſto, allegoricè convenire. Quemadmodum enim Dauid Rex, à filio ſuo Abſalom, perſequutionem ſæuam paſſus eſt; ita Chriſtus Rex æternus, à diſcipulo ſuo Iuda ad mortem quæſitus, & traditus fuit. Quamquam non per Abſalom, ſed per Achitophelem, Iudam ipſum figuratum nonnulli aſſerant: Achitophel enim charus Dauidi, & ab eo multis beneficijs affectus, ab ipſo defecit, & ad caſtra Abſalomi transfugit, quem inſtigauit, concitavit, adiuvit, ad coniurationem contra patrem: Ita Iudas, Chriſto amantiſsimus, eiuſque in ſchola educatus, & in Apoſtolum electus, ad Principes Sacerdotum acceſsit, ipſis Chriſtum vendidit, duxque fuit ad eumdem cõprehendendum, vt morti addiceretur. Item Achitophel cum res ei non ſucceſiſſet ex animi ſententia, ſuſpendio ſibi mortem conuivit: Eodem modo Iudas, proiecto venditionis

nis pretio, abiens laqueo ſe ſuſpendit. Achitophel interpretatur frater ruinæ, Iudas ruinam ſibi æternam comparauit, per immane ſcelus contra Chriſtum commiſſum. Per Abſalom, & eius ſequaces, poſſumus intelligere Caipham Pontificem, & ſummos Sacerdotes, ac Scribas. Abſalom interpretatur pater pacis, & Caiphas cum eſſet Pontifex Iudæorum, patrē pacis ſe eſſe profiteri voluit, cum dixit in concilio contra Chriſtum *Ioan.* 11. 50.
coacto: *Vos neſcitis quicquam, neque cogitatis, quia expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat.* Ecce ſub pacis communis prætextu, Chriſto vitam eripere conantem. Si per Abſalom figuratum Iudam, velimus cum multis interpretibus, nomen Abſalon ſignificat patris pax, & optimè Iudæ congruit, qui quamvis odio flagrabat in Chriſtū, Chriſtus ipſum amore proſequebatur, & ſimulatque pacis oſculum Iudas ſibi exhibuit, dixit: *Iuda oſculo tradis filium hominis?* Præterea, *Luc.* 22. 48.
ſicut Dauid fugit Abſalom, & eius exercitum, & pertranſiens torrentem Cedron in montem Oliuarum tāquam in locum tutiorem ſe recepit; ita Chriſtus antequam à Iudæis cōprchenderetur, abiit trans torrentem Cedron, & collem Olīueti Patrem oraturus conſcendit. Dicitur autē hæc Chriſti diſceſsio, fuga: non quod mortem timeret, (quam vt Patri obediret ſponte ſuſtinuit; immo hoſtibus ſuis obuiam proceſsit, ſequè capi permiſit.) Sed quia Iudæ cor deſerens, quod Diabolus occupaverat, quaſi ab eo fugere videretur. Ita Auguſt. in hunc modum ſcribens: Benè accipitur, à facie eius Chriſtum fugiſſe, nō quia Chriſtus Diabolo ceſsit, ſed quia Chriſto diſcedente, Diabolus poſſedit. Deniq; ſicut Dauid, poſt hanc perſequutionem, patienter toleratam, de omnibus inimicis ſuis, glorioſiſsimè triumphavit, ſummaque cum lætitia, & maieſtate, in vrbem

Ieroſolymam ingreſsus, atque reductus fuit; Ita Chriſtus, poſt mortis, & paſsionis ſuæ tormenta obita, tertia die reſurgẽs, illuſtriſsimam de hoſtibus Tartareis victoriam retulit; & in cæleſtem Ieruſalem ineffabili cum pompa, & maieſtate conſcendens, reuerſus eſt. Eugubin. aſſerit ex auctoritate R. Dauid Kimhi cẽſuiſſe priſcos Hebræos, hunc Pſalmum ad litteram continere vaticinium, de perſequutione Antichriſti, quem illi vocant, G O G, & M A G O G, contra Meſsiam. Et cum huic expoſitioni obſtet Pſalmi titulus, reſpondet Eugubinus, forſan ipſorum tempeſtate, non habuiſſe huiuſmodi inſcriptionẽ, ſed additam fuiſſe poſtea ab eruditis viris. Hæc tamen reſponſio non placet. Nam pro cõperto habetur apud omnes, ab Ezdra huc vſque habuiſſe hunc titulum, & ita interpretatio hæc Rabbinica, non multum ex re eſſe videtur. Quamquam poſsit hic Pſalmus ad omnes Chriſti hoſtes, & perſequutores, latiſsima quadam ratione extendi. Et hæc de titulo.

VERSVS SECVNDVS.

¶ *DOMINE, quid multiplicati ſunt, qui tribulant me, multi inſurgunt aduerſum me?)*

EX corde valdè afflicti hominis, & calamitatũ procellis circumuenti, hæc vox erupit; qua cum Deo loquens conqueri, & expoſtulare, atq; admirari videtur de tãta aduerſus ſe coniurantium hoſtium multitudine. Nam ſi intelligatur de

Dauide

Digitized by Google

Dauide, non ſolum Abſalom,& eius famuli domeſtici, contra eum inſurrexerant, vita,& regno expoliare cupientes, ſed totus Iſraeliticus populus Abſalomo fauebat, & ſequebatur. Vt dicitur 2. Reg. 15. *Venit nuntius ad Dauid, dicens; toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom.* Quo nuntio accepto, nimio timore conſternatus Rex, fugere decrevit è ciuitate ad Deumque confugere: hoc Pſalmo, eum deprecãs, & ſalutem in tanto periculo efflagitans. Auctores huius conſpirationis, diximus fuiſſe primum,ac pręcipuum Abſalom, qui nulla à patre iniuria laceſsitus, regnãdi cupiditate accenſus, totum populum ſolicitauerat, plurimiſque amoris ſignificationibus ſibi deuinxerat. Secundarius auctor fuit Achitophel,intimus Dauidis conſiliarius,qui ad partes Abſalom tuendas tranſiuit. Cauſam odij nullam prodit Sacra Script. ſed Liranus opinatur Vriæ fratrem fuiſſe Achitophelem, eiuſque necem vlciſci voluiſſe. Idem ferè affirmat Iacobus de Valentia. Sed huic iniuriæ à Dauide acceptæ, ſatis ſuperquè fuit factum, ducta Berſabea in matrimonium, quo ex priuata muliere in Reginam euecta fuerat; reliquus autẽ populus, nihil mali à Rege paſsus erat.Quamobrem merito admirabundus, queritur, non modo à filio, & intimo amico tantum odij ſibi conflari, ſed etiam à tota populi multitudine, quem nullatenus læſerat, ſed potius ingentibus beneficijs fuerat proſequutus. Exiſtimant Caſsiod. & Chryſoſtom. Dauidem non propter ſe lugubre hoc carmen protuliſſe, ſed præcipuè propter filium, & alios inimicos, quorum deplorabat exitium, prophetico ſpiritu præcognitum.

2. Regum 15. n. 13

¶ Conveniunt omnia multo pręſtãtius figurato Dauidi Chriſto,qui cũ plurimis,ſummiſq; beneficijs Iudęos omnes cumulaſset, intimum familiarem, præſertim Iudam

dam diſcipulum ſuum, ab ipſis tamen tanta odij crudelitate fuit impetitus, vt cruci affigendũ procurauerint, coram Pilato palam profitẽtes, non habere Regem niſi
Ioan. 10. 32. Cæſarem. Vnde ad eos dicebat Chriſtus: *Multa opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Non videtur ſilentio prætereundum, quod narrat Cæſarius Siſternen. teſte Ioanne Lorino, Pſalmum hunc adeò eſſe ſacroſanctum, & ad Chriſtum pertinentem, vt fuerit dæmonibus valdè execrabilis; ita vt eos, qui illum canerent, ferre non poſſent, ſed pſallentium choros perturbarent, ne concordes, & conſoni illum perficerent. Quare iure optimo ab Eccleſia ſœpiſsimè canitur.

DOmine.) Nomen eſt Tetragrãmaton, vt indicet, veri Dei auxilium implorari, qui Moyſi apparẽs,
Exod. 6. vt de liberando populo ex Pharaonis ſeruitute ageret, tunc primum hoc nomen ineffabile, nulli antea notum patefecit. Quare non modo Deum nobis repræſentat, vt miſericordem, pium, beneficum, ſed etiam vt populi ſui aſſertorem, & vindicem.

¶ *QVID multiplicati ſunt.)*

DVbium eſt, circa dictionem, *Quid*, Hebr. MAH, ſit nè interrogationis, an admirationis, ſeu exclamationis. Nicephorus Blẽmidas, Athanaſ. Caſsiodor. volunt eſſe admirationem, vel exaggerationem. Nam non erat cur Dauid interrogaret cauſam perſequutionis, cum iam antea fuiſſet ipſi à Propheta Nathano indicata, poſt obiurgationem de adulterio, & homicidio,
2. Regum 12. n. 10 illis verbis: *Quamobrem, non recedet gladius de domo tua, vſq; in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vria Hetai, &c.* Præterea vox Hebraica MAH, nõnum-

numquam ponitur pro, *Quam*, augmentum,ſiue admirationem denotans, proficiſcentem ex cognitione alicuius rei antea ignoratæ. Et quamquam Dauid nõ ignorabat cauſam perſequutionis fuiſſe peccatũ, neſciebat tamẽ acerbitatem pœnæ,quam ſibi imminere cognoſcens, in admirationem prorumpens, exclamat: O quam multiplicata eſt contra me inimicorum multitudo, &c. Nec incongruè Chriſto poſſe adaptari in hoc ſenſu; Nam quamvis in ipſum verè, & propriè non cadat admiratio,poſſumus tamẽ in ipſo admirationẽ concedere; quatenus nobis aliquid admiratione dignum proponit, ita Diuus Auguſtinus,Haymo. Vnde Matth. 8.10. *Miratus fuit fidem Centurionis.* Et cap. 15. collaudans Chanançæ fidem, veluti mirabundus exclamauit: *O mulier, magna eſt fides tua!* Vel poteſt in ipſo eſſe admiratio, ex cognitione experimẽtali, in qua profeciſſe conceditur à Theologis Scholaſticis.

Matth. 8. 10.

Mat. 15. 28.

¶ Cantapetrenſis,& Salmeron,negant,*Quid*,habere vim admirationis,ſed exaggerationis. Nam Dauid non fuit admiratus perſequutionem,cum eam prçcognitam haberet, ſed querulus ad Deum confugiens, tantorum malorum grauitatem deplorat; *Quid*, pro *quam*, poni dicunt. Cantic. 4. & 7. *Quam pulchra ſunt mamma tua. Quam pulchra eſt, &c.* Vbi eſt vox Hebraica, MAH, & ita vertit Chaldæus: *Quam multi ſunt.* Quam lectionem ſequuntur Kampenſis, & Tigurina, Pagninus transfert: *Valde.* D. Hiero. *Quare.* Vt Pſal. præced. LAMMAH, interroganter.

4. *Hypotep. cap.* 3 *proleg.* 16

Cantic. 4 10. & 7.

¶ *QVI tribulant me.*)

HEbraic. TSARAI,*Hoſtes mei.* Sic Hiero. Chaldaic. *Infeſtatores mei.* Hebræum participiũ à verbo, TSVR, quod eſt obſidere,coarctare,anguſtijſque premere

Digitized by Google

premere, ligare. *Quo* innuitur, quam multis magniſq; anguſtijs circumſeptus fuerit Dauid in hac perſequutione, qua nullus euadendi locus, reliquus eſſe videbatur. D. Thom. verſum hunc accuratè expendens, tradit; tria à Dauide ſignificari, quæ augent perſequutionem. Primum eſt, multitudo perſequentium, cum dicitur; multiplicati ſunt. Multi inſurgunt aduerſum me. Nam Dauid, vt notat Baſil. paſsus eſt perſequutionem, non ſolum à domeſticis, & ſubditis; ſed etiam à gentibus finitimis, quæ ipſi bella inferre intentarunt. Secundum: Cauſa, & motiuum huius perſequutionis, quod cũ nullus fuerit ex parte Dauidis, eius diritas manifeſta fit, & explicatur aduerbio, *Quid*. Quaſi dicat nullã habuerunt cauſam hoſtes mei, ad me affligendum. Tertium, diuerſitas afflictionum, quæ oſtenditur verbo, *tribulãt*, deducto à nomine tribulus, qui varijs pungit aquuleis. Vnde tribulare, multis modis pungere, & torquere. Et ita Dauid non ſolum armis varijſque artibus à filio, & eius exercitu ad mortem quærebatur; ſed etiam lapidibus, maledictis à Semei, & alijs plurimis nocendi modis, impetebatur. Quæ omnia in Chriſtum quadrãt cumulatiſsime, nam ipſum non modo multi, & abſq; cauſa vlla inſectati ſunt, ſed omnia tormentorum genera in ipſum exercuerunt, vt de toto Paſsionis proceſſu conſtat.

¶ *MVLTI inſurgunt aduerſus me.)*

HEbraicè, KAMIM, *Surgentes*. Carent Hebræi tempore præſenti, illudque ennuntiant per participiũ. D. Auguſt. cenſet, hæc eſſe ſinonyma cum præcedentibus Rabbim. apertius exprimere quod dixerat; Multiplicati ſunt, qui tribulant me. Nam explicat tribulationis modum, quæ fuit per coniurationem, ad expoſtu-

liandũ eum, & regno,& vita. Quare, vt notat Haymo, plus ſignificat inſurgere,quam perſequi, ſiue tribulare. Nam tribulationem poteſt quis pati abſque vitæ diſcrimine ; ſed inſurrectio præ ſe fert perſequutionem cum vi maxima, & impetu. Theodor. Antiochenſis, inquit, magis peculiarem ſignificationem habere verbum , *inſurgunt* , ſpectareque ad ſubditos , quando contra dominum ſuum rebellant, & arma ſumunt. Vnde colligit, magis propriè hunc Pſalmum Dauidi competere, quam Chriſto ; Quia Dauidem perſequuti ſunt ſubditi ſui ; Chriſtum vero minimè. Sed ſalua huius auctoris pace, nos dicimus, cum ferè omnibus expoſitoribus; verius,& proprius, Pſalmũ ſpectare ad Chriſtum ; nam præterquamquod latior eſt verbi, *inſurgendi*, ſignificatio, Chriſtus *in propria venit , & ſui eum non receperunt*; immo cum eſſet Rex Regum, & Dominus dominantiũ, paſſus fuit á ſuis ſubditis,& maximè à Iudæis,qui erant eius populus , & peculium. *Ioan. 1.* 11.

VERSVS TERTIVS.

¶ *MVLTI dicunt animæ meæ,non eſt ſalus ipſi in Deo eius.)*

EXPLICAT modum alium peculiarem huius perſequutionis; nam non modo aſsultibus, & irruptionibus in eum impetum faciebãt hoſtes ſui, ſed etiã verbis probroſis , in ipſum debacchabantur,vt in deſperationem adigerent: affirmãtes actũ iam eſſe de eius vita,& regno, cum eſſet à Deo

ob

ob peccata derelictus, varijſque calamitatibus obrutus. Quapropter non erat, cur vllam à Deo ſalutem ſperare deberet. Myſticè ad Chriſtum refertur, cui in Cruce defixo, inſultabant Iudæi, dicentes: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere, ſi filius Dei eſt deſcendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc ſi vult eum: dixit enim: Quia Filius Dei ſum.* Et id genus multa in ipſum conuicia iactabant, ſignificantes nullam illi, reliquam eſſe ſpem ſalutis.

Matt. 27 42.

¶ *MVLTI dicunt.)*

HEbr. RABBIM. cenſet Euthym. cum Hebræis intelligi poſſe, principes, ex proprietate linguæ ſanctæ, ita vt ſignificetur, perſequutores Dauidis, non ſolum numero eſſe multos, ſed etiam dignitate, & potentia. Quod attinet ad Chriſtum, non ſolum turbæ, & populares homines, ſed præcipuè Principes Sacerdotum, & Scribæ, ei inſultabant; mouentes capita ſua, & dicentes: *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, &c.* Dicere, Hoc loco cenſet Vatabl. ſumi pro cogitare, ſeu exiſtimare apud ſemetipſos. Quaſi dicat: Non dubito eſſe multos, qui apud ſe, de me in hunc modum cogitent; Derelictus eſt à Deo, non eſt quod abeo auxilium aliquod ſperet. Sed poteſt etiam, *dicere*, pro externa prolatione accipi, qua publicè, & palam, multi ex aduerſarijs iam triumphabant; pro certo habentes Dauidem tam atrox diſcrimen non poſſe euadere: ſed dubio procul eſſe in manus ipſorum tradendum. Huius iactantiæ cognitionem habebat, vel à transfugis, vel ab exploratoribus, à quibus, conſiliorum Abſalom certior fiebat. Euthymius exiſtimat, etiam fuiſſe hæc verba ab ipſius Dauidis amicis, & familiaribus prolata; qui eius contemplantes calamitatem, & ſummam hoſtium poten-

Matt. 27 42.

Digitized by Google

potentiam, opinati fuerunt, nullum Dauidi ex hoc periculo effugium fore; præſertim cum Deum infenſum haberet, propter peccata commiſſa.

ANIMAE *mea.*] Ideſt, *mihi.* Pars pro toto, per ſynechdochem. Vel ſumitur, *anima*, pro vita; vt paſsim in ſacris litteris. Eſtque hic Enallagæ caſus, *animæ meæ*, pro *de anima mea.* Quaſi dicat: Iam de mea vita perinde loquuntur, ac ſi mihi eam ademiſſent.

¶ *NON eſt ſalus ipſi in Deo eius.)*

HOC eſt, nullum ei à Deo (quem hucvſque in omnibus periculis, & perſequutionibus Saulis, propitium, & adiutorem habuit) auxiliũ eſt expectandum: actum prorſus iam eſt de ipſo. Conſtat, ex Dauid inimicis, Achitophelem ipſa protuliſſe verba 2. Reg. 17. *Perſequar hac nocte Dauid, & percutiam eum; placuitque ſermo eius Abſalom, & cunctis maioribus natu Iſrael.* Et Semei, ibidem cap. 16. 8. conuicia iactans in Dauidem dixit: *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul: quoniam inuaſiſti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Abſalom filij tui: Et ecce premũt te mala tua. Quoniam vir ſanguinum es.* Lyranus tradit viguiſſe apud Hebræos Prouerbium contra Dauid, ortum ex parabola Nathan Prophetæ. 2. Regum. 12. Ei, qui furatus eſt ouem, & occidit paſtorem, poterit eſſe ſaluatio? Per ouem; Bethſabeam, & per paſtorem, intelligebant Vriam; ſicut vocauerat Propheta Nathan. Quo tempore, hæc in Dauidem conuicia dicerentur, incertum; exiſtimo tamen ex fuga, occaſioné arreptam; hactenus enim nulla erat ratio, neque occaſio de Dauidis ſalute, & in-

2. Reg. 17. 1.

2. Regum 16. 8.

2. Regum 12.

Digitized by Google

& incolumitate deſperandi; ſed cum eum fugientem, tanto cum ſquallore,& metu conſpexerunt; tàm pernitioſa ipſorũ mentibus inſedit opinio, quàm palam clara voce proferre auſi ſunt.

¶ De qua ſalute loquantur, etiam dubitari poteſt: An de ſalute corporis; An animæ. Credibile eſt, vtramquè comprehẽdere voluiſſe. Quod colligitur ex exaggeratione criminum Dauidis, quæ non ſolum in præſenti ſæculo, ſed etiam in futuro punienda fore arbitrabantur. Ita interpretatur R. Dauid Kimhi; quem ſequuntur Carthuſian. Valentia, & Remig. Sed placet magis exponentium, de ſalute corporis: & fauet Chaldaica; *Non eſt redemptio ei in Deo.* Præſertim cum myſticè de Chriſto intelligatur, per Dauidẽ expreſſo, cuius ſcilicet, Chriſti ſpiritualis ſalus, periclitari non potuit.

IN *Deo eius.*] Pronomen, *eius*, cum non ſit in textu originali, perſpicuitatis gratia additum fuit. Genebrard. notat huiuſmodi particula indicari atheiſmum, in perſequutoribus ſimilia verba proferentibus. Quæ expoſitio non probatur. Nam illi erant Dei cultores, & idcirco atheiſmi inſimulari, non debent. Sed exiſtimo ſignificari, fruſtra ſalutem Dauidi eſſe expectandam, ab eo, cuius tot expertus eſſet beneficia, & benignitatem contemnens, iracundiam in ſe grauiſsimis ſceleribus vehementer concitarat.

¶ De Chriſto pari modo intelligenda eſt loquutio, qua Iudæi crucifixo illudẽtes, dicebant; *Confidit in Deo;*
Mat. 27. 33. *liberet eum ſi vult.*] Putabant miſeri, Chriſtum ſe perperam de diuina generatione gloriari, cum indignum videretur Deum pati, Filio ſuo mortem tam ſæuam, & contumelioſam inferri: & idcirco ſibi perſuaſerant, nullam Chriſto à Deo opem eſſe ferendam.

Notan-

Digitized by Google

¶ Notandum hoc loco pro *Deo*, eſſe in Textu Hebræo nomen Dei ELOHIM, vt notat Arias Montanus in ſua poetica Paraphraſi; quod eſt vnum ex præcipuis Dei nominibus; & ei tribuitur, in quantum eſt Rector, Gubernator, Iudex, & Princeps vniuerſi: transferturque hoc nomen nonnumquā ad Angelos, & homines, qui alijs præſunt, vel proſunt, ſuo cōſilio, ſtudio vel regimine. Ponitur plerumq; in numero plurali, non quia caret ſingulari, vt Caiet. putat ſed quia vſitatior eſt numerus, ad indicandā pluralitatem perſonarū in Deo; vt multi docent ex Theologis. Et hoc loco aptè vſurpatur, vt ſit ſenſus: Non erit illi ſalus in Deo æquiſſimo iudice, & vindice malorum; cum ſit Deus iuſtus iudex, non benefaciet homini, tot, & tantis peccatis inuoluto. *Elohim, nomen Dei.*

¶ Notandum præterea in fine huius Verſus, in Hebræo Textu eſſe dictionem SELAH, quæ repetitur in fine Verſus quinti, & noni, & ſæpè in aliquibus alijs Pſalmis: ita vt in toto libro Pſalmorum, ſemel, & ſeptuagies poſitum reperiatur. Et in Habacuc, ter, vt annotat Genebrard. Quam LXX. Theodotion, & Simmachus per diapſalma interpretati ſunt. Chaldæi legit, LEGHALAMIN, ideſt, *In æternum*, *ſeu in ſæcula*. Quinta, & Sexta Editio, *Diapantos, ſemper*. Quid SELAH, vel diapſalma ſignificet incertum valde eſt, etiā apud ipſos Hebræos; Nam quidam aſſerunt eſſe, mutationem metri: Alij, pauſationem ſpiritus; Alij, alterius ſenſus exordium; Alij, Rithmi diſtinctionem; Alij, cuiuſdam muſicæ varietatis initium. Quas omnes interpretationes, D. Hierony. adducit in Epiſt. ad Marcellā to. 3. & eas refellit, cenſetque cum Origene, optimam eſſe explicationem Chaldæi, Aquilæ, & Quintæ Editionis, Vertentiū; *Semper*, vel *in æternum*: Ita vt ſit vox *Diapſalma, quid.*

N affirma-

affirmandi,quod dictum eſt. D. Greg. Nyſſen.in tract. ſup. Pſal. cap.10. ſcribit ; diapſalma, eſſe interſtitij,ſeu pauſæ cuiuſdam notam, ad maiorem excitandã attentionem; qua,diuina illuſtratio,& doctrina Spiritus Sãcti, melius percipiatur. Suidas ait, eſſe mutationẽ metri, vel carminis. R. Aben Ezra ſignificare, verè, profectò. Quaſi ſit particula, confirmans dictorum veritatem. Vatablus, & Genebrardus denotare vocis eleuationem, & veluti exclamationem ; & ita vbicumq; ponitur, ſignum eſſe excitandæ vocis, & animi. Nam ſolebant cantores, quoties hæc nota occurrebat, vocem intendere in cantu, & harmonia. Facit pro hac ſententia ; quod, SELAH, ſit à verbo SALAL, quod eſt exaltare, eleuare; quia vox cantoris eſſet eleuanda, & notanda quædam exaggeratio eorum,quæ dicta erant. Vnde hæc dictio nõ reperitur niſi in Pſalmis, & canticis.Quare hoc loco eſt cum vocis eleuatione exclamatio,ac ſi diceret : O grauẽ calamitatem meã, & ab omnibus deplorandam, cum me non modo filius,amici,& ſubditi diriſsime perſequantur, ſed Dei etiam erga me prouidentiam, & miſerationem, prorſus denegent. At vero cum hęc vox in noſtra Vulgata nullibi reperiatur, non exiſtimo multum de illius ſignificatione laborandum. Eſt namque valdè veroſimile, muſicæ notam aliquam tantummodo fuiſſe. Quam ſæpè prætermittunt LXX. Theodotion. Symmachus. Et ita non eſt, quod in hoc diutius immoremur. Tractant de ea fuſsius ex recentioribus Titelmanus, Eugub. Agellius.

VERSVS

VERSVS QVARTVS.

¶ *TV autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.*)

SECVNDA pars eſt Pſalmi, in qua Propheta agit de ſua ſpe, & fiducia in Deum; quem, cum ſemper expertus fuerit erga ſe beneuolũ, ac beneficum, in omnibuſque periculis, & aduerſitatibus, adiutorem certiſsimum; tantum abeſt, vt his inimicorum iactationibus, animum deſpondeat, vt potius in Deum ſpem ſuam conſtituens, in præſenti etiam diſcrimine, ab ipſo ſe liberatum iri confidat. Qua propter ſic eum compellat dicens: Agant dicantque quidquid volent hoſtes mei, ego vero affirmo te meum eſſe protectorem in aduerſis, honoratorem in proſperis, & coronatorem in bellis. Tria contra Dauid inimici tractabant, nam cum perſequebantur armis, laceſsebant maledictis, & Deum tanquam illi infenſum, nullam opem allaturum proclamabant. Cõtra hæc omnia proteſtatur Dauid ſibi Deum fauere, nam perſequutioni armorum opponit Dei protectionem, qua veluti clypeo munitũ, ipſum vndequaque defendebat. Verborum contumelijs aduerſari dicit, honorẽ quo eum Deus affecit, euehens ad Regiam dignitatem, in eaque honorificè conſeruans. Contra tertium, inquit, in bellis geſtis, ſibi diuinum Numen, ita præſens fuiſse, vt ſemper glorioſam victoriam de hoſtibus retulerit, caputq; erigens de ipſis triumphauerit.

¶ Omnia in Chriſtum quadrãt perfectius; qui à Iudæis, & perſequutorib⁹ hæc tria pręcipuè ſuſtinuit: tor-

menta, videlicet; crucis ſæuiſsima, cõtumelias verborũ acerbiſsimas, & exiſtimationẽ diuinæ deſertionis; quæ omnia Chriſtus deuicit, & inania reddidit; cum tertia die victor à mortuis reſurgens, immenſam nominis ſui gloriam, & exaltationem conſequutus fuit. Quare vt egregie D. Thom. annotat; in paſsione apparuit protectio, in Reſurrectione glorificatio, in Aſceſione exaltatio, & nominis propagatio. Poſsunt etiam conuenire cuivis iuſto, cui Deus eſt contra affligentes ſuſceptio, contra infamantes gloria, contra oppugnantes exaltatio; nam ſeruis ſuis, quos in hoc mundo affligi permittit, primum opem affert, deinde victores efficit, tertio gloria coronat.

¶ *TV autem Domine.)*

POnitur nomen Dei ineffabile, I E H O V A H, non E L O H I M, vt in præcedenti Verſu, vt innuatur Dauidem, non confugere ad Deum, neq; ipſum inuocare, vt Iudicem, ſeu vindicem; ſed vt eum, cui propriũ eſt, miſereri ſemper, & parcere; cum nomen I E H O V A H, vt alibi diximus, naturalem Dei propenſionem ad ignoſcendum, & miſerendũ ſignificet. Quaſi dicere voluerit; Inimici mei te iuſtiſsimum iudicem contemplantes, meaque peccata præ oculis habentes, pro comperto habuerunt me prorſus à ſe derelictum eſſe, nullamque opem, aut veniam conſequuturum: Ego vero multo aliter ſentio, de tua natura, & infinita bonitate, quã deinde me ad te ex toto corde conuerſum, & clamantem deſeruiſſe.

¶ *SVSCEPTOR meus es.)*

HEbr. M A G V E N B A G H A D I, *Clipeus circa me*, Ita ex Hebræo, transfert Hieron. Chaldæus ſimili-

Digitized by Google

ſimiliter: *Scutum ſuper me.* LXX. Antiliptor, *Suſceptor,* hoc eſt, protector, defenſor, auxiliator. Verbum enim Græcum, quod vbique vertitur per ſuſcipere, eſt veluti manu porrecta retinere, aut apprehēdere iam iam, collapſurum, & auxiliari ne cadat, aut deficiat. Vnde Luc. 1. 45. dicitur, *Deus ſuſcepiſſe Iſraelem puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* Et Paulus. Act. 20. hortatur, *Suſcipere infirmos.* Hoc eſt, opitulari eis, ne morbi grauitate obruantur. Idem 1. Cor. 12. 35. inter varia gratiarū genera, quæ ſunt in Eccleſia, ponit, *Opitulationes,* Græcè, *Antilepſis,* quod eſt manus adiutrices porrigere ad miſerorum inopiam ſubleuandam, & afflictorū animis medendum. Item Pſal. 117. 13. ait Dauid: *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.* Ideſt, manu ſuæ potentiæ prehendit, retinuit, ne caderē: auxiliatus eſt mihi. Quod attinet ad Chriſtum, Auguſt. Caſsiod. Remig. & alij, hanc ſuſceptionem intelligut e ratione humanitatis à Verbo diuino aſſumptæ. Quaſi ipſa hæc verba excellētiſsimè dixerit: Tu me Deus clementiſsime, ineffabili modo ſuſcepiſti, tibique hypoſtaticè copulaſti. Quamobrem meritò debeo, & valeo te meum ſuſceptorem appellare. Hanc explicationem ſequitur Haymo, in hunc modum ſcribens: Tu autem Domine, ſuſceptor meus es. Ideſt, ſuſcepiſti meam humanitatem in patrocinium, te illi vniens in conceptione: hîc per hoc ſimile loquitur; Quod ſicut aliquis potens tutator, & actor, ſuſcipit aliquem pupillum, vel quemcumque debilem ad tutandum; ſic Deitas ſuſcepit humanitatem, quam ab omni peccato cuſtodiuit immunē. Tu gloria mea, ideſt, cauſa reſurrectionis meæ, exaltans caput meum, ideſt, altitudinem meam, ſuper omnē creaturam.] Similiter D. Thom. dicit, Chriſti humanitatem ſuſceptam in incarnatione, &c.

Suſcipere quid in ſacris litteris.

Luca. 1.

Act. 20.

1. Corin. 12. 35.

Pſal. 117. 13.

¶ Lyranus interpretatur de ſuſcepto à Patre, Chriſti ſpiritu, quem in cruce illi commendauit; ſed proprius intelligi debet, de protectione, qua Deus humanitatẽ, quæ hominibus videbatur prorſus derelicta, proſequutus fuit; cum in cruce Chriſto pendente mirabilia ſigna edens, per ſolis obſcurationem, petrarum ſciſsionẽ, ſepulchrorum apertionem, Latronis confeſsionem, in monumento eum reſuſcitans, tertia die à mortuis, ſumma cum gloria, & Maieſtate.

GLORIA *mea.*] Hebrai. CHEBODI, ideſt, *Honor meus.* Similiter Chald. *Qua* phraſi vſus eſt Horat. Ode. 1. ad Mecœnatem.

O & præſidium, & dulce decus meum.

Abſtracta, communiter pro concretis ponuntur, tàm actiuè. Vt 1. Corin. 1. 30. *Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Hoc eſt, qui nos ſapientes facit, iuſtificat, &c. *Quàm* paſsiuè, vt Dominus ſpes mea, patientia mea, ideſt, in quo ſpero, quem patienter expecto. Ita hic, *Gloria mea*, ideſt, qui me honorabilem, ſeu glorioſum reddit.

1. *Corin.* 1. 30.

¶ *ET exaltans caput meum.)*

QVEM Deus honorificat, nõ poteſt non caput attollere; & magno, excelſoque animo eſſe. Caput, vt notant Origen. Didymus, & alij, ſignificat, mentem, partem ſuperiorem hominis, & ita, qui nõ eſt oppreſsus iniquitatibus, quæ caput ſupergrediuntur, nec habet homines nefarios impoſitos ſuper caput ſuũ, ſed Chriſti iugum ſuaue, is planè ſecundum tropologiam, dicitur habere caput eleuatum, & ſublime. Allegoricè vero indi-

indicatur, excellentia diuinitatis Chriſti, cuius caput Deus eſt, & ratione eius Rex noſter æternus, omnibus ſupereminens, ac multo melius, quam Saul, primus Iudæorum Rex, de quo dicitur, quod ab humero, & ſurſum omnes ſuperabat: Chriſtus vt Deus, & homo, omnes creaturas longo interuallo excedit. Vel cum caput mulieris ſit vir, Chriſtus etiam vt homo ſponſus eſt Eccleſiæ, omnibus tâm Angelis, quam hominibus gratia, & dignitate antecellēs. Ideo dicitur. Cant. 7. 5. *Sponſæ caput ſicut Carmelus*, qui mons eſt, cæteris Iudęæ altior.

Caput Chriſti, quid ſit.

Cantic. 7. 5.

AD litteram, *Exaltari caput*, ex phraſi Sacræ Scripturæ, eſt lætum, erectumque vultum ob partam victoriam habere. Qui triſtibus, & victis concidere ſolet. Vt Pſal. 26. 6. *In petra exaltauit me; & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.* Hoc eſt, victorem me fecit inimicorum meorum. Sic Luc. cap. 22. Iubentur iuſti appropinquante die iudicij leuare capita ſua; tunc enim, euaſuri ſunt triumphatores hoſtium omnium, & gloriæ coronam adepturi. Et Chriſtus, poſtquam de torrente in via bibit, in cruce inclinato capite, ſpiritum emittēdo, exaltauit caput, glorioſè reſurgēdo, & magnam nominis ſui celebritatem comparando. Eccleſiaſtici. 12. *Sapientia humiliati, exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſidere illum faciet.* Hoc eſt, verus ſapiens ille eſt, qui patienter ærumnas, & afflictiones ſuſtinet; inde enim victor emergens, in die iudicij inter Chriſto aſsidētes collocabitur. Quod vultus, & capitis demiſsio ſit ſymbolum hominis triſtis, & hoſtibus ſuccumbentis, patet ex illo Geneſ. 4. 5. *Cur concidit facies tua?* Threnor. 2. 10. *Abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem.* Luc. 18. *Publicanus præ mærore, & verecundia, nō audebat oculos ad cælum attollere.* Iob. 10. *Si im-*

Caput exaltare, quid ſit.

Pſal. 26. 6.

Luc. 22.

Eccleſiaſtici. 12. 1.

Gen. 4. 5

Thren. 2. 10.

Luc. 18.

Digitized by Google

Si impius fuero, væ mihi eſt; ſi iuſtus non leuabo caput, ſaturatus afflictione, & miſeria. Senſus eſt, etiam ſi iuſtus ſim tam magna incumbit capiti meo afflictionum moles, vt caput eleuare non valeam, ideſt, lætitia perfundi, & inſtar victoris exultare. Capitis exaltatio, etiam denotat collocari aliquem in Regia, vel excelſa aliqua dignitate. Vt conſtat ex 4. Regum.cap. vltimo. Vbi dicitur; Quod Euilmerodach Rex Babylonis, anno quo regnare cæperat, ſubleuauit caput Ioachim Regis Iuda de carcere, & poſuit thronum eius, ſuper thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Et in Pſal. 17. 49. canit Dauid: *Et ab inſurgētibus in me, exaltabis me.* Hoc eſt, multis in me hoſtibus conſurgentibus, ad Regiam dignitatem euexit.

4. Regum vlt.

Pſal. 17. 49.

VERSVS QVINTVS.

¶ *VOCE mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.)*

CVM ſæpè experimento, cognouerit, quanta eſſet orationis feruentis efficacitas ad Dei beneficia promerēda, ſtatim in hac perſequutionis procella, affirmat ſe ad orationem, tamquā ad ſacram anchoram confugiſſe, & à Deo exauditum fuiſſe.

¶ *VOCE mea ad Dominum clamaui.)*

PLeonaſmum eſſe aliqui dicunt, valdè frequentem in ſacris litteris, ſed maximum affectum, verba præ ſe ferunt, indicantque vehementi cum intentione, &

feruore

feruore animi, Dauidē, preces ad Deum effudiſse. Clamorem hunc Divus Auguſt. docet fuiſſe ſpiritualem, & internum; quem potiſsimum Deus exaudire ſolet, & quo Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hoc pacto Moſes ad Deum clamaſſe dicitur. Exod. 14. Suſanna. Daniel. 13. Anna mater Samuelis. 1. Reg. 1. Cum nihil lingua proferret, & hoc ait Auguſt. eſſe orare Patrem in abſcondito, & clauſo hoſtio. Qui modus orandi ipſi Deo gratiſsimus eſt: & ei, cui orat valdè proficuus. Nam ad orationem præcipuè requiritur mentis intentio, & attentio.

Exod. 14. Dani. 13. 1. Regum 1.

Oratio, quid requirat.

¶ Euthym. Caſsiodor. Haymo. D. Thom. aiunt, hunc clamorem non ſolum internum, ſed externū etiā fuiſſe: Quæ orandi ratio, laudabilis, fructuoſaq; admodum eſt, non modo ad deuotionem augendam in orātibus; ſed etiam ad audientiū ædificationē. Nam Chriſtus ſæpè hoc modo orauit; præſertim in horto, & in cruce, ibi illa verba proferens, *Abba Pater*, &c. Hic cum clamore valido, & lachrymis Patrem pro crucifigentibus orauit, dicens, *Pater dimitte illis*, &c. *Et exauditus eſt (*vt inquit Paulus,*) pro ſua reuerentia.* Vocalem autē fuiſſe hanc Dauidis orationē, verba, *Voce mea*, ſatis videntur indicare. Vox enim, propriè dicitur ſonus, ex animalis ore prolatus. His iiſdē verbis, *Voce mea ad Dominū clamaui*; alios duos Pſalmos inchoauit 76. & 141. fuitquè ipſi familiaris admodum vocalis oratio, ex intimo cordis affectu prorumpens; quod ſignificat pronomen *mea*, oſtendēs concordiam, & cōnexionem oris cum corde, vt notat Remig. idque eſt, vere pſallere ſpiritu, & mente. Hinc ſanè confutari poteſt error negantiū vſum orationis vocalis, & cantus Eccleſiaſtici. Homo quidem cum conſtet, non ſolum mente, ſed etiam corpore vtriuſq; opera indiget, ad obſequiū Deo præſtandum

Marc. 14 36. Luc. 23. 34. Hebr. 5. 7.

Digitized by Google

ſtandum. Quare non ſolo ſpiritu, ſed lingua etiā orandum illi eſt, quo & ſe ad feruorē magis excitet, & Deo magis gratus exiſtat; quē omnis lingua laudare, & prædicare debet.

AD Dominum.] Hebr. EL IEHOVAH, Euſeb. per Dominum, hic intelligit Chriſtum, qui præcedenti Pſalmo conſtitutus dicitur; Super Sion montē ſanctum ſuum; de quo monte, aſſeritur hunc clamorem exaudiſſe. Communis tamen expoſitio eſt, intelligi, Deū ſimpliciter, & abſolutè, ſeruos ſuos in afflictione poſitos, exaudientem. Si allegoricè locum hunc interpretemur, ad Deum Patrem Chriſti orationem dirigi, certum eſt.

CLamaui.) In fonte eſt futuri tēporis EKRA, *Clamabo.* Chald. ſimiliter: *Voce mea ad Dominum orabo.* Quo etiam modo transfert Hieron. ex Hebrę̨o. Sæpiſsime vſurpant Hebræi præteritū pro futuro, & è cōuerſo. Vt ſæpe diximus. Iacobus de Valentia obſeruat LXX. crebro verba futuri temporis explicaſſe per præteritum. Primo, propter certitudinem Prophetiæ: Secundo, Quia Propheta poſt viſionem faciebat Pſalmū, ideoque referebat ad viſionem de præterito. Tertio, Quia LXX. prę̨uiderunt ſpiritu, qualiter iſti Pſalmi erāt frequentandi à fidelibus in Eccleſia poſt aduentum, & paſsionem Chriſti, & poſt impletam prophetiam, & ſic pronunciamus omnia de præterito, quia iam ſunt completa per Chriſtum.] Sic ille. Poſsumus tamen dicere Prophetam vſum fuiſſe, verbis præteriti temporis; vel, Quia Pſalmum edidit poſtquam ab his periculis liberatus fuit: Vel quia nō ſolum indubiam ſpem habuit ſuæ incolumitatis, ſed propheticam quoque certitudinem,

qua

Digitized by Google

qua Deus ipſius mentem, illuſtrabat. Hoc probabilius exiſtimo, cum deinde ſubiungat: *Exurge, ſaluum me fac Deus meus, &c.* Vnde patet Pſalmum conditum fuiſſe, dum adhuc in præſenti diſcrimine verſaretur.

¶ *ET exaudiuit me de monte ſancto ſuo.)*

DIVVS Hieron. vertit etiã per futurum, *Et exaudiet.* Vt cum orationis tempore, exauditio conueniat. Hebraic. VAIAGHANENI, propriè; *Et exaudiuit.* Littera Vau, ſolet conuertere futurũ in præteritum. Ita Chaldai. *Et recepit orationem meam.* Tanta erat fiducia Dauidis, de diuino auxilio obtinendo, vt cum orare proponeret, iam ſe exauditũ crederet. Iuxta illud Pſal. 10. 17. *Præparationem cordis eorum, audiuit auris tua.* Quod benè Caiet. perpendit dicens: Nota diuinæ opis celeritatem, deſcriptam eſſe per, *vocabo*, in futuro, & *reſpondit*, in præterito. Hoc eſt, quod ante Deus exaudit, & ſuccurrit, quam homo ex corde orans impleat clamorem orationis ſuæ.] *Pſal. 10. 17.*

¶ Quiſnam ſit mons iſte ſanctus, de quo ſe exauditum ait, variè exponitur. Didymus, Auguſt. Euſeb. aiunt montem ſanctum Dei, eſſe eximiam, & ſupernaturalem eius cognitionem, vel vnigenitum Dei Filium; quia ex eo precantium voces Pater exaudit. De quo ſcriptum eſt. Iſai. 2. *Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, &c.* Idem Augu. aliter exponit per, *montem ſanctum*, intelligens diuinam iuſtitiam. Iuſtum enim (inquit) erat, vt innocentẽ occiſum, & cui retributa ſunt mala pro bonis, reſuſcitaret à mortuis, & digna perſequẽtibus retribueret; legimus enim iuſtitia tua ſicut montes Dei, qua, & liberantur electi eius, & perſequutores eorũ puniuntur.] Remig. *Mõs Dei quid.* *Iſai. 2. 2.*

ita

ita enarrat: Exaudiuit me de mõte ſancto ſuo. Hoc eſt, de me, qui mons ſum, propter eminentiam virtutum, & ſtabilitatẽ fidei. *Sancto*, ideſt, ſanguine vncto, ſoli martyres propriè ſancti dicũtur, alij, beati, vel iuſti; vel *ſãcto ſuo*, hoc eſt, quem ſanguine martyrij ſui conſecrauit.] Hæc Remigius. Olim in Eccleſia, martyrum ſolummodo feſti dies celebrabantur; Idcirco, ait Remig. ſolos martyres appellari ſanctos, cæteros non niſi beatos: Modo vero promiſcuè omnes iuſti canonizati ab Eccleſia, ſancti dicũtur, & eorum feſta ſolemni ritu coluntur. Beda, *montem ſanctum* interpretatur, beneficium redẽptionis, ita ſcribens: Exaudiuit me de mõte ſancto ſuo. Hoc eſt, redemit me per humanitatem, quam ſingulariter ſanctam ſuſcepit. Haymo ſubtilem aliã expoſitionem de Chriſto excogitauit. Quaſi dicat, Chriſtus in quantum homo, ſe exauditum à Domino, de monte ſancto ſuo; hoc eſt, de eminenti poteſtate ſuæ diuinitatis, ita vt participem potentiæ ſuæ faceret; ſicut aliquis diceret, Rex de theſauris ſuis exaudiuit me; ideſt, participem fecit.] Sed cum prædictæ expoſitiones myſticæ ſint, alij vt Euthym. Tertullian. Eugubin. Lyranus, Genebrardus cẽſent, per montem ſanctum ſignificari, vel cœlum Empyreum, quod paſsim in Sacra Script. mons dicitur, ratione ſuæ eminentiæ; vel montem Sion, quẽ præcedẽti Pſalmo, ſanctũ appellauerat Propheta; quod in ipſo, vt diximus, eſſet ſanctum Tabernaculum, cum Arca, & Propitiatorio, in quo Deus reſidere dicebatur; & preces, ac vota populi ſui exaudire. Vel montẽ Moria, in quo deinde ædificatum fuit à Salomone Templum Dñi. Quod prophetico ſpiritu iam Dauid proſpiciebat, atque contemplabatur. Et hũc ſpectat tranſlatio Chaldai. *De monte domus ſanctuarij ſui.* Sunt, qui montem Oliuarum intelligant, quem Propheta conſcendẽs

ſumma

Digitized by Google

ſumma cũ triſtitia, & humilitate, nudis pedibus, aperto capite, lachrymiſque profuſis, hunc Pſalmum edidit; & per reuelationem nouit Chriſtum ſua præſentia, & oratione ſæpè hunc montem conſecraturum, & præcipuè in ipſa paſsionis ſuæ nocte, quando ter Patrem orauit ita prolixè, & in agonia poſitus, vt ſanguineo ſudore perfunderetur. Hæc explicatio placet Eugubino, qui omnes alias magis ad litteram ſpectãtes fuſè proponit. In fine huius verſus ponitur iterum SELAH, de quo iam diximus.

VERSVS SEXTVS.

¶ *EGO dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me.)*

DE litterali huius Verſus intelligentia, diuerſæ ſunt ſententiæ. Nam Origenes cenſet, nullatenus ſecundum hiſtoriam, poſſe Dauidi conuenire, ſed Chriſto. Idem ſentit Euſebius, & aliqui ex recentioribus. Vt Burgenſ. Titelm. Leo Caſtro, in Apologetico lib. 3. Vatabl. Genebrar. At verò Euthym. Dionyſ. Caiet. Ianſen. tradunt, intelligi ad litteram de Dauide. Nos dicimus de Dauide hiſtoricè, de Chriſto allegoricè eſſe accipiendum. Ita vt ſub ſimpliciore illo litteræ cortice, lateat ſublimior ſenſus, quẽ Spiritus Sanctus magis intendebat, & Propheta reuelabat. Quantum ergo ad ſenſum litteralem, nõ omnes eodem modo interpretãtur. Origen. & Cyrillus aiunt, Prophetam his verbis, ſocordiam ſuam, & delicta cõfi-

teri; quippe ſecundum Origenem, regno non invigilarit, neque ipſi tuendo ſufficientē diligentiam adhibuerit; ideoque fatetur ſe obdormiſſe, ſuamque ignauiam increpat. Secundum autē Cyrillum; *Quia ſomno peccati oppreſsus, aliquo tempore ſoporatus fuit, & à Dei gratia ſeparatus, ita vt eius iram in ſe concitauerit, in tantumq; diſcrimen devenerit.* Per ſomnū nonnumquā deſignari peccatū in ſacris litteris certū eſt. Vt Epheſ.
Epheſ. 5. 14. cap. 5. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, &c.* Pſal. 75.
Pſal. 75. 7. *Dormitauerūt, qui aſcenderūt equos.* Si enim (inquit Cyril.) Dauid mēte vigilaſſet, operā ſanè, ac ſtudium adhibuiſſet, quo malū iſtud propellere ac propulſare potuiſſet, atq; ita ſtertentis, ac ægrotātis ignauiā, quæ natura malè homines afficit, euitaſset.] Euthym. per hanc dormitionem, ſiue ſomnum, intelligit afflictionum grauitatem, qua Propheta veluti correptus iacuit, plenuſq; mœſtitudine fuit; ſed exurrexit, & euigilauit, cum miſericorditer à Deo liberari meruit, ſolent plerumque, qui magno triſtitiæ pōdere præmuntur obdormiſcere; vt videre eſt in Iona Propheta, qui prę afflictione graui ſomno dormiebat in profundo nauis, quo tempore magis vrgebat maris tempeſtas: Et Apoſtoli imminente Chriſti paſsione, cum maximè ipſis vigilandū erat, dormiebāt;

Somnus, quid in S. Scriptura.

Luc. 22. 45. *Quia erant oculi eorū grauati præ triſtitia.* Pſal.
Pſal. 118. 118. *Dormitauit anima mea præ tædio.* Geneſ. 45. dicitur de Iacob Patriarcha, quod accepto nuntio de filij ſui Ioſeph incolumitate, & dominio in toto regno Ægypti,
Gen. 45. de graui ſomno euigilans, dicebat: *Sufficit mihi, ſi adhuc filius meus Ioſeph viuit, &c.* Quo tropo, ſignificatur animum triſtem, & afflictum, in tenebris verſari, & quodam quaſi ſomno torpeſcere, iacereque; cum vero lætiſsimus dies proſperitatis, ſeu diuinę cōſolationis illucet, è tenebris emergere, & euigilare à ſomno grauiſsimo. Idem Euthym. alterā aſsignat explanationem ab

alijs excogitatam; Pro ſomno, vel ſopore, hic intelligā mortem corporalem, quā, ſomnum S. Scriptura appellare ſolet; præſertim quando ſermo eſt de morte iuſtorum, & per experrectionem, reſurrectionem à mortuis, quā vna cum Chriſto ſpiritu Prophetico prænoſcebat, ſe ſortiturum fore; vel ſaltē in iudicio extremo, ſe vnà cum ſanctis cæteris ad immortalitatis gloriā corpus reſumpturum. Eſtq; hoc loco tempus præteritum pro futuro, more linguæ ſanctæ. Sed audiamus ipſum Euthy. Aliqui (inquit) dicta hæc eſſe intelligūt de reſurrectione, & tempus poni pro tempore, hoc eſt, dormiā ego, & cū mortuus fuero, ſopore ac ſomno detinebor, corpore nimirum viribus defecto, ac deinde reſurgam, vel tempore illo, quando deſcendens ad inferos Chriſtus, ſuſcitabit eos, qui illic aderunt, vel in conſummatione ſæculi, quando mortui omnes reſurgent.]

¶ Caietan. docet, Prophetam vſum eſſe hac metaphora cubitus ſoporis, & euigilationis, ad oſtendendū quo pacto ſe habuerit in hac perſequutione. Nam cum conflata à filio ſuo coniuratione, coactus fuit domo, & ciuitate egredi, tanta cum mœſtitia, & humilitate; habuit ſe inſtar iacentis. Deinde, cū fugiens, ſe abdidit in deſertū, nullatenus reſiſtens filio; ſimilis fuit dormiēti, atq; ſopore correpto, qui ſenſuum operationibus, veluti mortuus vacat. Tandem cum victor extitit, atq; de his periculis erutus, dicit ſe euigilaſſe, hoc eſt, ad regnum, & priſtinam dignitatē reſtitutū fuiſſe. Simili ſchemate vſus fuit Pſ. 77. 65. *Et excitatus eſt, tāquā dormiens Dñs, &c.* Pſal. 43. *Exurge, quare obdormis Dñe? &c.* Dormire Deus dicitur, quādo peccata diſsimulans, nō vindicat; Excitari, ſiue exurgere à ſomno, quando acriter hominū flagitia punit. ¶ Tandē Lyranus, Montā. Vatabl. Eugubi. Lipomā. Ianſen. & ferè omnes recentiores,

Pſal. 77. 65.
Pſal. 43. 23.
Dormire quomodo Deus dicatur.

res, Hebraicè linguæ periti, affirmant his verbis ſummã oſtendi ſecuritatem, qua fruebatur Dauid, ob ingentem fiduciam, ac ſpem de Dei miſericordia conceptam. Prouerbiali enim loquutione dicitur quis, dormire in vtramque aurem, cum tutus, & ſecurus degit, nulloq; metu concutitur. Vt Pſal. 4. 9. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Leuit. 26. 6. inter reliqua bona, quæ Deus obſeruantibus legem promittit, ita habetur: *Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit, qui exterreat.* Et Oſeæ. cap. 2. 18. *Arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Terent. Ademptum tibi iam faxo omnem metum, in aurem vtramuis otioſe, vt dormias. Plaut. De iſthac re in oculum vtrumuis conquieſcito. Oculum vtrum, anne in aurem? At hoc pervulgatũ eſt nimis.] Ita hoc loco innuitur eximia animi tranquillitas, nullis inimicorum incurſibus labefactata, ſeu perturbata, Nam ſolent homines, cum malis preſsi anguntur, pervigilio confici, curis ſomnũ adimentibus; at, qui ſe quieti dantes dormiunt placidè, & cum ſatis ſomni ceperint, nullo excitante euigilant, & ſurgunt, quieto, & pacato animo exiſtunt.

Pſal. 4. 9. Leuit. 26 6. Oſea. 2. 18.

¶ Richardus peculiarem affert explicationem, hæc verba ad contemplationis ſtudium referens, ſic enim diſerit: Ego dormiui, ideſt, quieui penitus, à cupidine rerum tranſitoriarum: Et ſoporatus ſum, ideſt, in hac quiete, cõtemplatione diuina delectatus: Et exurrexi, à quiete, ad laborem, vt non ſolũ mihi, ſed etiam proximis, vtilis eſſem, quia Dominus ſuſcepit me, ideſt, ſurſum accepit ab amore mundi, ad amorem ſui.] Sed hæc expoſitio tropologica eſt, non hiſtorica.

¶ Iam, quod ſpectat ad allegoriam cõmuni conſen-

ſione

ſione ſacri expoſitores affirmant, manifeſtiſsimum cõtinere vaticinium, ſeu typum paſsionis, & reſurrectionis Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri. Differunt tamen in hoc, quod aliqui, vt D. Auguſt. docent illa verba: *Ego dormiui, & ſoporatus ſum*, eſſe ſynonima, vnum, & idem in Chriſto ſignificantia; eius videlicet ſacratiſsimam mortem, ſomnum, vel ſoporem appellatam ex phraſi cõmuni Sacræ Scripturæ. *Et exurrexi*, aiunt indicare glorioſam reſurrectionem, qua immortalitatem adeptus eſt. Alij vt Thom. Gloſ. Interlinealis dicunt tribus verbis, *dormiui*; *ſoporatus ſum*; *& exurrexi*, tãquam diuerſa ſignificantibus, oſtendi tria Chriſti myſteria, quæ in ſua paſsione contigerunt. Primum eſt mortis, quam vere paſsus eſt, & hoc ſignificatur per verbum *dormiui*. Alterum mora illa, qua triduo corpus exanime iacuit in monumento, & anima deſcendit ad inferos, ex quibus Sanctorum Patrum animas eduxit, & hoc indicat verbum, *ſoporatus ſum*. Sopor enim, denotat profundiorem ſomnum, quam ſit ſimplex dormitio. Verbum, *exurrexi*, manifeſtè oſtendit myſterium ſanctę reſurrectionis, die tertia factæ. Annotat D. Auguſt. pronomen, *Ego*, non ſuperuacuè hîc poſitum, ſed ſignificare, quod Chriſtus voluntarie mortem ſuſtinuit. Iuxta illud Ioan. 10. 17. *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam, &c.* Quod ait; *Quia Dominus ſuſcepit me.* Oſtendit ſe; & propria, & Patris virtute, excitatum á mortuis, cum eadẽ ſit vtriuſquè poteſtas. Libet in medium proferre D. Ambroſij verba, lib. de benedictionibus Patriarcharum. Recumbens, inquit, Iacob dormiſti vt leo, quando iacuit in ſepulchro, velut quodã ſui corporis ſomno quietus, ſicut ipſe ait: Ego dormiui, & quieui, & ſurrexi, quoniam Dñs ſuſcepit me. Vnde & Iacob ait, Quis ſuſcitabit eũ? Hoc eſt, quis eſt alius, qui reſuſcitet niſi ipſe, ſe ſua Pa-

Ioan. 10. 17.

triſque reſuſcitet poteſtate? Video natum auctoritate propria, video mortuum propria voluntate, qui omnia ſuo fecit arbitrio, cuius alterius vt reſurgat egebit auxilio? Ipſe igitur reſurrectionis ſuæ auctor eſt, qui mortis eſt arbiter.] Divus Irenæus lib. 4. aduerſ. hæreſ. cap. 51. de proprio, & vero corporali Chriſti Domini ſomno hunc verſum interpretatur, vt probet Chriſtum tamquam verũ hominem cum hominibus agentẽ humanas actiones, & operationes exercuiſſe, quales sũt comeſtionis, ſomni, vigiliæ, & ſimilium. Venit (inquit Irenæus) filius hominis manducans, & bibens, & cũ recubuiſſet obdormiuit, & ſomnum cepit. Quemadmodũ ipſe in Dauid dicebat; Ego obdormiui, & ſomnum cepi; & quoniam in noſtra communicatione, & vita hoc agebatur, iterum ait; Et ſomnus meus ſuauis mihi factus eſt.] Ita Irenæus. Sed ſublimiorem, & reconditiorem Patres reliqui his verbis tribuunt intelligentiã.

¶ *EGO dormiui, & ſoporatus ſum.*)

HEbr. ANI SACABTHI, VAISANAH; *Ego cubaui, & dormiui.* Eſt enim SACAB, idem quod cubare, iacere, recumbere, requieſcere, dormire. Et IASAN, ſomnũ capere, ſoporari, dormire. Chal. vertit. *Ego requieui, & dormiui.* Santes. *Ego accubui, & dormiui.* Figurina; *Ego iacui, & dormiui.* Et hæc ferè omnium Hebræorũ lectio eſt, qui cenſent agi de ſumma animi tranquillitate, & fiducia in Deum, qua Dauid in medijs periculis fruebatur. Vnde ij, qui pacato, & quieto ſunt corde, ad ſecurè dormiendum prius cubãt, ſeu iacent, deinde ſomno corripiuntur. Ita Dauid, vt ſuam ſecuritatem oſtendat, dicit ſe accubuiſſe, & dormiuiſſe, quaſi nihil diſcriminis pateretur. Noſter autem inter-

Digitized by Google

interpres optimè tranſtulit: *Ego dormiui, & ſoporatu ſum.* Quo etiam modo Hieronymus. Magis enim exprimuntur myſteria Chriſti paſsionis, & ſepulturæ. Vt explicatum eſt.

¶ Si in malam partem accipiatur pro ſomno culpæ; Dormire dicitur, qui incidit in peccatum mortale: Soporari, qui in peccato diu permanet: Exurgere, cum veram pœnitentiã agit, Deo ipſum ſuſcipiẽte, ideſt, auxiliũ gratiæ efficacis exhibẽte. Nõ ineptè ſomno peccatũ aſsimilari dicitur. Quemadmodũ, qui profundiſsimo ſomno correptus iacet, nihil omnino ſentit; nõ clamoribus, nõ ictibus excitatur, ſed veluti mortuus habetur: Ita, qui peccati mortiferi lethargo detinetur, præſertim ſi praua conſuetudine obdurruit, neque clamoribus adhortantium, neque aduerſitatum percuſsionibus excitatur; ſed tãquam Lazarus alter quatriduanus in monumento, & fœtens, indiget potentiſsimo Dei clamore, vt euigilet. Egregiè deſcribitur hîc, peccatoris infœlix ſtatus, Prouerb. cap. 23. 34. *Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dices, verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi.*

Prouerb. 23.

¶ Solet nõnumquam ſomnus in bonam partem accipi, pro raptu, ſeu extaſi animæ, diuina myſteria contemplantis, qua homo ab externorum ſenſuum actibus vacans omnino, quaſi dormire videtur, cum tamẽ interius animus circa Dei cognitionem occupatus vigilet. Iuxta illud Cantic. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sopor deſignat profundiorem, & intenſiorem contemplationem, qua ſerui Dei, plures horas, atque dies, à ſenſibus alienati ſæpè detinẽtur. Vt videre eſt in probatis ipſorum hiſtorijs. De quo ſopore intelligendum eſt illud Sponſi Cantic. 2. 7. *Adiuro vos filiæ Sion per ca-*

Somnus, pro extaſi

Cantic. 5. 2.

Cant. 2. 7

preas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis neque euigilare faciatis, dilectam, donec ipſa velit. Exurgere autē dici poteſt vir diuinæ contēplationi addictus, quod tantopere ipſa proficiat, vt leuans ſe ſupra ſe, omnia mundana, & viſibilia deſpiciat, totaque eius cōuerſatio in cœlis ſit.

ET *Exurrexi.* ❡ Particula, *Et,* nō eſt in Hebræo, ſed tantum HEKITSOTHI, à verbo KVTS, quod in coniugatione HIPHIL, ſignificat expergiſci, euigilare, ſuſcitari, à ſomno ſurgere. Chald. *Euigilaui.* Et ſimiliter Pagnin. & Tigurina. D. Hierony. *Vigilaui.* Rectiſsime noſtra Vulgata. *Exurrexi.* Myſteriū reſurrectionis Chriſti, aptius explicās. Exurgere enim, maiorem vim, & efficaciam denotat in dormiente, qui non ſolum expergiſcitur, & ſomno ſoluitur, ſed etiam exurgit proprijs viribus, vt vitalia opera exerceat. Hebrai. etiam verbum HEKISOTHI, id exprimere videtur. Eſt enim ſenſus; feci me expergiſci. Quod non ab hoſtibus, aut excubias agentibus, excitatus fuerit, ſed à ſe ipſo, pro libito ſuo euigilante; quod Chriſto competit quam maximè, cum ſeipſum propria virtute, & ſponte à mortuis excitauerit.

¶ Aliqui recentiores, vt Vatabl. hæc legunt per futurum tempus; *Ego iacebo, & ſomnum capiam, & euigilabo, quoniam Dominus ſuſtentauit me.* Vt ſit ſenſus: Ego, cuius caput tot hoſtes expetunt, vbi opem à Deo petiuero, comittam me quieti, & ſecurus dormiam, quia Deum habeo defenſorem. Alij vt Kampēſis ad tempus præſens referūt: *Ego accumbo, &c.* Sed rectius, meo iudicio, ad tempus præteritum ſpectant, vt habent exemplaria Hebræa, Græca, Latina. Nec obſtat allegorica interpretatio, cum vaticinia de Chriſto, per præteritum enuntientur, præſertim in Dauide.

¶ *QVO-*

¶ *QVONIAM Dominus ſuſcepit me.)*

HEbr. CHI IEHOVAH IIS MECHENI, *Quoniam Iehouah ſuſtentauit me.* Ita Chald. & D. Hieron. & recentiores Interpret. niſi quod in Hebræo futuri temporis eſt. Chald. autem, & Hierony. vertunt in præteritum, cum ſit admodum frequens apud Hebr. hæc temporum permutatio, vt ſæpè dictum eſt. D. Auguſtinus etiam legit in futuro, *Suſcipiet me.* Cum præcedentia dicta ſint de præterito, & reddit cauſam: *Quia* quæ prophetantur quamquam ſecundum effectum futura ſint, tamen ſecundum ſcientiam prophetiæ pro factis habentur. Verbum Hebræum SAMAC, eſt confirmare, ſuſtẽtare, ſtabilire, fulcire. Quaſi dicat: Nullo pacto mihi, ab hoſtibus timendum eſt, ſed ſecurè dormiendum, quia Dominus me fulcit, ſuſtentat, mihi excubias agit, inter eius brachia conquieſco inſtar infantuli, in ſinu matris, ſeu nutricis dormientis. LXX. verterunt: *Suſcipiet me*, in futuro. De cuius verbi Græci proprietate diximus ſuperius. Significatio autem Hebræa valdè conuenit vtrique ſenſui, præſertim allegorico. Nam Chriſti paſsio, mors, atque reſurrectio, effecta fuerunt, fulciẽte, & ſuſtentante ſemper diuino Verbo partes humanæ naturæ: Quæ quidem, quamquã per veram mortem diſsoluta fuit ſeparatione animæ à corpore, non tamen diſsolutum fuit hypoſtaticę vnionis vinculum, ſed ſemper permanſit, iuxta Theologicum axioma: Quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit.

Digitized by Google

VERSVS SEPTIMVS.

¶ *NON timebo millia populi circumdantis me: Exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.)*

PRIORA verba ſunt veluti concluſio ex dictis ſequens; Quaſi dicat: Quia in Deum ſpem meã defixam habeo, quem ſcio mihi opem allaturũ, non eſt quod hoſtes meos me obſidentes timeã: neque ipſorum potentiam, ſiue multitudinem perhorreſcam. Vox (inquit Origen.) Viro ſancto, qui maximam conſequutus ſit virtutem, conſentanea; nimirum, ſecuritatem, ob fiduciam erga Deum præ ſe ferenti; cui

Pſal. 26. 3. ſimile eſt Pſal. 26. 3. *Si conſiſtant aduerſum me caſtra non timebit cor meum, &c.*

¶ Certè, quod attinet ad præſentem Dauidis hiſtoriam dubium non eſt, quin ingens inimicorum multitudo in ipſum irruperit, & caſtra poſuerit; vt conſtat ex verbis Chuſai, conſilium dantis Abſalomo contra Da-

2. *Regum* 11. uidem. 2. Reg. cap. 17. 11. *Congregetur ad te vniuerſus Iſrael, à Dan, vſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis, & tu eris in medio eorum, & irruemus ſuper eum, in quocumque loco inuentus fuerit: & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & nõ relinquemus de viris, qui cum eo ſunt ne vnum quidem.* Nihilominus tamẽ ea erat Dauidis in Deum fiducia, vt nullo modo tot tantiſque hoſtium turmis ſit perterritus. Vnde audacter dicit, Nõ timebo millia populi circumdantis me. Hebr. *Non timebo à decem millionibus populi, qui circumquaque poſuerunt contra me.* Hoc eſt, Qui me vndequaque obſident, ne

Digitized by Google

ne vllo pacto poſsim effugere. Chald. *Non timebo à myriadibus populorum, qui circumcirca coadunati ſunt aduerſum me*. Myrias, Græcè, ſignificat decem millia. Quare myriades, plures decem millia denotant. Numerus definitus pro indefinito, quaſi dicat: *Quamquam me innumerabilia hoſtium millia obſideant, & circumueniant, non timebo, &c.*

¶ Quantum ad allegoriam multo verius excellentiuſque Chriſtus id dicere potuit, qui nec innumerabilem multitudinem in ipſius caput coniurantium, extimuit; nec armatam Iudæorum cohortem ipſum apprehendere volentiũ, fugit: immo potius, eis obuiam proceſsit dicens: *Quem quæritis?* Neque milites ſepulchrũ *Ioan.* 18. eius cuſtodientes, impedimẽto fuerunt, quin tertia die 4. ſumma cum gloria, & maieſtate reſurgeret; quin immo præ timore Angeli ad monumentum deſcendentis, vt illud reſeraret, vacuumque eſſe oſtenderet; *Exterriti* *Matt.* 28. *ſunt cuſtodes, & facti ſunt vel vt mortui.* Attigimus bre- 4. uiter, Patrum expoſitiones circa ſenſum myſticum; Nã alij, vt Origen. hæc milliaria populi, dicunt eſſe corũ, qui inſtabant contra Chriſtum, dicẽtes: *Crucifige, crucifige eum.* Alij, vt Hierony. referunt ad eos, qui Chriſtum cruci affixum cuſtodientes circumſtabant, illudebant, blaſphemabant. Alij, vt Burgenſis, & Valentia, de militibus exponunt, cuſtodientibus ſepulchrum: Nos, omnes comprehendi dicimus. Nec enim erat, quod infinita Dei virtus, hoſtes vllos pertimeſceret, cum vnico verbo, plures ipſorum in horto poſtrauerit, habẽs pluſquam duodecim legiones Angelorum, qui pro ipſo, ſi opus eſſet, decertarẽt. Sed oportebat ipſum pati, & reſurgere à mortuis, &c. Pro ſenſu tropologico eſt hic locus inſignis, agens de viri iuſti in medijs periculis ſũma conſtantia, & ſecuritate; vt videre eſt. Act. 12. 4. in *Act.* 14. 4

Digitized by Google

Petro Apoſtolo, in carcerem, iuſsu Herodis coniecto; traditoque in cuſtodiã, quatuor quaternionibus militum, qui tametſi erat vinctus catenis duabus, & inter duos milites, qui iugiter eum obſeruabant, ſecurè tamen, & tranquillè dormiebat, ita vt ab Angelo, lateris percuſsione fuerit excitandus. Hæc eſt perfectæ charitatis conditio, quod omnem propulſat timorem mundanarum aduerſitatũ. Hoc robore, confirmatus Paulus audebat dicere, Rom. 8. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? Certus ſum enim, quod neq; mors, &c* Pertinet eminentius, ad Eccleſiam catholicam, quæ ſecurè poteſt dicere: Non timebo millia populi circumdantis me, cum portæ inferi non præualeãt aduerſus eam. Vide Auguſtin. hoc loco.

Roman. 8 35.

¶ *EXVRGE Domine, &c.)*

HÆC verba Hebræi; quos ſequuntur Hieronym. Pagninus, Vatablus, Bredembachius, & alij connectunt cum ſequenti verſu. D. Auguſt. dicit ad præcedentem ſpectare, nec poſſe cum ſequenti cohærere; Quoniam non propterea ſaluum facit Deus, quia percuſsit inimicos, ſed potius Dauide ſaluo facto, illos percuſsit: Sed ſimul pariterque hæc duo Deus præſtitit, & Dauidem ſalvum fecit, & inimicos eius percuſsit proſtrauitque. Et ita Dauidis incolumitas, tamquam ſcopus à Deo intentus, dicitur præcedere hoſtium percuſsionem: At quoad effectum, ex hac reſultauit illa. Quare hæc verba: *Exurge Domine*, & ad verſum præcedentẽ, & ad ſequentem aptè referri poſſunt, nec hac de re nimis laborandum eſt.

EXVRGE

EXVRGE.] Hebrai: KVMA HIEHOVAH. *Surge Iehouah.* Phraſis frequens in Sacra Scriptura, vt ſurgere, vel exurgere Deus dicatur, quando opē fert afflictis, quiq; dū eos, permittebat affligi, quaſi iacere, ſeu dormire videbatur. Optimè D. Augu. nō dormiēti, inquit, aut iacēti dicitur Deo: *Exurge*; ſed moris eſt diuinarum Scripturarū, perſonæ Dei tribuere, quod in nobis facit.] Adhunc ferè modum Gloſſa ordinaria; *Exurge*, ideſt, fac vt reſurgamus obediēdo tuæ voluntati, tunc enim nobis Deus ſurgit cum nos ei ſurgimus.] Ipſe itaque exurgit nobis, ſuum auxilium conferendo; nos exurgimus, cum liberi à periculis, & incurſionibus, diuinæ voluntati audientes ſumus. Vatablus annotat ſeruatam fuiſſe hoc loco phraſim militarem, à Dauide veluti in acie contra hoſtes conſtituto. Quaſi dicat: Exurge, vt audita tuba, ſtrenuus, & promptus miles exurgere ſolet; erige te in pedes, ſume arma, exere vires tuas, & potentiā, vt percutias hoſtes meos &c. Vſitatus admodum eſt hic tropus à Dauide, cum in aduerſitate poſitus, diuinum auxilium implorat; illum ſurgentem; arma capeſſentem, & contra inimicos concludentem depingere ſolet. Vt Pſal. 34. 1. *Iudica Domine nocentes me, Expugna impugnantes me. Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me, &c.* Deuterono. 32. 41. *Reddam vltionem hoſtibus meis; & ijs, qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes. De cruore occiſorum, &c.* Loquitur antropologicè, Deo tribuens, quæ homines potentes facere ſolent, quando ſocijs, & fœderatis obſidionem patientibus, ſuppetias ferunt.

Surgere, in Deo quid.

Pſal. 34. 1.

Deut. 32 41.

¶ Exiſti-

Digitized by Google

¶ Exiſtimo his verbis, Prophetam nõ modo diuinæ potentiæ opem expoſcere,ſed promptè,& quam celerrimè ſibi ſubueniri. Phraſi etiam frequẽtiſsima in ſacris litteris; de qua fuſius egimus ſuper Ionam. Et ita hoc loco, dicens Dauid ad Deum: *Exurge*. Indicat, ita ſe vrgeri ab hoſtibus, vt neceſsum ſit quã citiſsime á Deo liberari. Vnde non eſt hîc verbum Hebræum K V T S, vt in præcedenti Verſu,quod ſignificat euigilare, excitari, à ſomno ſurgere; ſed, KVM, quod eſt ſubito adeſſe, confeſtim rem aggredi.

¶ Allegoricus ſenſus planus eſt. Poſsunt enim hæc verba,ſecundum Dionyſiũ,dicta eſſe à Chriſto, & ante paſsionem,& poſt eam; Ante quidem, cum orauit Patrẽ, imminente iam paſsione, Ioan. 12. 27. *Nunc anima mea turbata eſt,& quid dicã? Pater ſaluifica me ex hac hora, ſed propterea veni in horam hanc, Pater clarifica filiũ tuum,&c.* Quibus verbis,cum videret ſe iam morti proximum, corporis ſui glorificationem, & nominis claritudinem,quam per crucem meriturus erat,efflagitauit. Poſt paſsionem vero, in illo triduo ſuæ mortis, potuit ſanctiſsima eius anima, diuinitatem precari, vt glorioſam ſuam reſurrectionẽ perficeret protinus, non longa expectata mora, veſpere ſcilicet Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, valde mane vna Sabbatorum.

Ioan. 12. 27.

¶ *SALVVM me fac Deus meus.)*

HEbr. HOSIGHENI LELOHAI. Antitheſis videtur eorum, quæ temere in Dauidẽ hoſtes iactabant, dicentes: *Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.* Nunc ex aduerſo Dauid Dei opem expoſcens inquit: *Saluum me fac Deus meus.* Tantum abeſt, vt in te non ſit voluntas ad me ſaluandum, vt nihil mihi certius ſit,quam me à te

à te ſalutem conſequuturum. Ponitur hîc nomen Dei ELOHIM, cum paulò ante nominauerit IEHOVAH, vt indicet Deum tamquam vindicẽ, & Iudicem, victoriam; & incolumitatẽ Dauidi tributurum eſſe.

VERSVS OCTAVVS.

¶ *QVONIAM tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.)*

HVNC Verſum, & de præterito tempore, & de futuro Patres interpretãtur. De præterito, erit ſenſus: Certus ſum, te mihi ſalutem allaturũ, quoniam cognitam habeo experimento, tuam erga me clementiam, & bonitatem, qui inimicorum meorum conatus aduerſum me irritos, & inanes feciſti, omnium me victorem, ingenti cum ipſorum dedecore, & detrimento conſtituens, vt conſtat ex victorijs, quas de Goliath, Saule, alijſq; hoſtibus meis glorioſè reportaui. Poſsunt etiam ad futurum tempus reſpicere, Quaſi dicat: Scio te ſalvum me facturum, quoniam proculdubio, omnes inimicos meos facillimo negotio proſternes, vnico ictu eos perdes, in nihilum rediges, omnemque ipſorum potentiam diſsipabis. Impinges in eos alapam, qua omnium dentes comminues prorſus, atque euelles, vt nihil aduerſum me valeant. Vtitur Dauid iuxta lectionem Hebraicam duplici metaphora, qua explicat, duo gravia incommoda, quæ inimici ſui, Deo vltore, acceperunt: Alterum eſt ignominiæ, qua à Dauidis exercitu fuſi fugatique ſunt, quod ſigni-

ſignificat metaphora alapæ inflictæ, quæ maximo habetur dedecori: Alterum, virium amiſsio, quibus hoſtes deſtituti ſunt, & innuitur dicendo: *Dentes peccatorum contriuiſti.* Sumpta metaphora â belluina feritate, qua animalia ferociſsima in aliquem inuehuntur, dentibus illū dilaniantes, vt leones, tigres, onagri, vrſi, &c. Quibus homines potētes, cum cōtra proximos furunt, aſsimilantur. Pſal. 57. 7. *Deus conteret dentes eorum, in ore ipſorum; molas leonum confringet Dominus.* Pſal. 111. 10. *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, &c.* Iob. 29. 17. *Conterebam molas iniqui.*

Pſal. 57. *Pſal.* 111 10. *Iob.* 29.

¶ *QVONIAM tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa.)*

MAximè differt hæc LXX. lectio, quæ eſt in noſtra Vulgata ab Hebraica, quæ ſic habet: *Quia percuſsiſti omnes inimicos meos in maxilla.* Quam lectionem, ſequitur Hieron. in tranſlatione ex Hebræo, & in commentarijs. Similiter omnes interpretes recentiores, qui ex Hebræo Textu, verſiones ſuas ediderunt; vt Pagnin. Caiet. Vatabl. Fœlix, Kampenſ. Clarius, Eugubin. Titelman. Ianſen. prædictam lectionem ita approbantes, vt cæteris anteponant: Immo Georgius Venetus auſus fuerit, noſtræ Vulgatæ nonnihil detrahere, quod quidem hoc noſtro æuo apertè temeritatis nota inuri debet; cum in omnibus noſtræ Vulgatæ Editionis exemplaribus, & præſertim in emendatioribus ita habeatur. Vnde verum eſſe non poteſt, quod Venetus affirmat, mendoſos eſſe noſtræ Vulgatæ Codices. Ratio, lectionem Hebraicam ſectantium eſt, quia cū agat Dauid de confractione dentium inimicorum, Deo percutiente, facta, neceſſario ſequi videtur, quod huiuſmodi percuſsio

cuſsio fuerit in maxilla, vt metaphoræ proprietas ſeruaretur, L E H H I, enim ſignificat maxillã, ſeu mandibulam, in qua fixi ſunt dentes, ſed accipitur ſæpè pro mala, ſeu gena. Fauet Chald. *Quoniam tu percuſsiſti omnes auctores inimicitia mea ſuper genas eorum.* Origenes etiam huic adhæret ſenſui, affirmans eodem modo ſe legiſſe in omnibus Codicibus, quos viderit. Percutere vero ſine cauſa, nullum ad rem ſenſum reddere. Præterea Eugubin. teſtatur Aquilam, & Symmachum eamdẽ translationem ſequutos eſſe. Quid autem cauſæ fuerit, quod LXX. tranſtulerint M A T E O S, *Fruſtra, ſine cauſa,* non conſtat ſatis. Aliqui, teſte Origene, cenſent de induſtria ita vertiſse, vt fugerent dictionis mandibulæ vilitatem; vel vetuſta Hebræa exemplaria aliter quã noſtra habuiſſe. Eugubin. ſuſpicatur pro LEHHI, legiſſe, LAAH, quod ſonat defatigari, laborare in vanum, fruſtra conari. Quare occaſio fuit maxima LXX. Interpretibus vertendi, *ſine cauſa,* hoc eſt, hoſtiũ meorum contra me conatibus irritis redditis. Ianſen. hanc coniecturam approbat, ſed Ioanni Lorino placet magis explicatio Genebrardi: Hic eſſe apocopen poeticam, & L E H H I, poſitum, pro L E H H I N N A M, quod vocabulum cõſtat articulo L E, & H H I N N A M, eſt autẽ hæc dictio redundãte littera vltima vocis HHIN, hoc eſt gratia, aduerbiũ gratis, vt ſumitur pro temere, immerito, ſine cauſa. Affert idem Genebrard. Similia apocopes huius exempla in D A L, pro D E L E T H, oſtium, C H E S, pro C H E S E H, folium.

¶ Ad rationem Origenis facilè eſt reſpondere dicẽdo LXX. legiſſe L E H H I, per apocopen dictionis, vt explicatum eſt. Deinde verba, *ſine cauſa*, non eſſe iungenda, cum, *percuſsiſti*, ſed cum *aduerſantes mihi*, vt ſit ſenſus: Percuſsiſti inſidiãtes mihi ſine cauſa vlla, nullo

à me

à me laceſsitos contumeliæ prætextu, ſed temerè per ſummam iniuſtitiam. Tandem quod attinet ad metaphoræ proprietatem, certum eſt ex ſequentibus verbis; *Dentes eorum contriuiſti*; percuſsionem abſolutè poſitã, denotare impactionem alapæ, ſeu ictus in maxillas, vel
Ierẽ. 20. genas. Ierem. cap. 20. dicitur abſolutè: *Percuſſus à Phaſur, & in carcerem coniectus*. Quæ percuſsio, facta in maxilla, ſeu gena, abſque dubio intelligitur. Quare noſtra lectio ſignificantiorem ſenſum facit, cum explicet, & modũ percuſsionis, ſeu vltionis à Deo factæ, & indignitatem perſequutionis contra Dauidem motæ. Titelman. Hebraicam lectionem ſequutus, aſserit maximè ad allegoricum ſenſum ſpectare. Quaſi dicat Chriſtus ad Patrem: Animaduertiſti percuſsionem illam, qua contumelioſè me innoxium inimici mei alapis cæciderunt, præſertim ſervus ille Pontificis Malchus, qui ingratiſsimus beneficio à me accepto in auriculæ amputatæ curatione, mihi coram Pontifice, & omni cœtu Phariſæorũ alapam impegit. Sanè Iudæos, Chriſti perſequutores, apertè conſtat percuſsos fuiſſe in maxilla: denteſque eorum confractos; cum euerſa Ieroſolyma, & Templo; infames, extorres, vagi, totoq; orbe expulſi, exiſtant: abſque Altari, abſque Templo, abſque Arca, & Propitiatorio; abſque Prophetis, abſque Sacerdotibus, abſque principatu vllo, tàm ſpirituali, quàm tẽporali: & tandem abſque vllo decore, omnibus gentibus exoſi, & deſpicabiles. Annotat Eugubinus poſſe hæc intelligi de tempore Antichriſti, & eius ſequacium. Nã cum omnes Eccleſiæ perſequutores percuſsi fuerint à Deo, victore ſemper exiſtente Euangelio, illa vltima, & maxima omnium perſequutione ab Antichriſto inferenda, etiam Chriſtus, eius, & ſectatorum maxillas percutiet, denteſque euellet; interficiens ſpiritu oris ſui.

Digitized by Google

ſui. Fortaſſe, ait Lorinus, alluſio eſt ad maxillam aſini, qua percuſsit Samſon. Iudic. 15. Mille Philiſtæos, vnde nominatus eſt locus L E H H I, hoc eſt, maxillâ, aut eleuatio maxillæ. Indicaretur ergo hac phraſi, quam facilè poſsit Deus malos vlciſci, & perdere; cùm Samſon, vnica, & abiecta aſini mandibula, tàm inſignia facinora ediderit, de omnibus ſuis hoſtibus triumphans. *Iudic. 15*

¶ *ADVERSANTES mihi.*)

HEbraicè, O I E B A I, *Inimicantes mihi.* Verbum, A I A B, odio habere, inimicitias gerere. Chald. videtur expreſiſſe, auctores coniurationis maioribus pœnis, & flagellis affectos fuiſſe, dum transfert: *Percuſsiſti omnes auctores inimicitiæ meæ.* Patet in Abſolomó, & Achitophele, miſerrimo ſuſpendio enectis; illo, dum capillis in quercus ramis innexis lanceis tribus transfixus interijt: hoc, dum ſeipſum ſuſpendens, laqueo vitam finiuit.

¶ *SINE cauſa.*)

DIXIMVS ſatis de varia lectione. Sed poteſt obijci; Non paſſum eſſe Dauidem hanc perſequutionem ſine cauſa, ſed propter ſua peccata, vt ſuperius vidimus. Et ita non habet locum ſenſus, *ſine cauſa*, hoc eſt, nullo à me ſcelere perpetrato. Sed huic obiectioni dicimus; Dauidem loqui, vel de prioribus perſequutionibus, quibus à Saule, & alijs afflictatus eſt: Vel aſserit, ſe non læſiſſe filium, neque eius ſequaces; immo potius ingentibus proſequutum beneficijs: Vel reſpondet ad falſam, & iniuſtam calumniam, quam Semei, ipſi inſimulabat; affirmans idcirco, tantam illi inferri calamitatem, quod procurauiſſet, mortem Saulis, & regnum per vim, & dolum inuaſiſset.

¶ DEN-

¶ *DENTES peccatorum contriuiſti.*)

HEbr. RESAGHIM, *Impiorum*. Nulla enim maior poſt Deum cogitari poteſt impietas, quam Patri filium, & vitam, & regnum per ſummũ nefas velle adimere; & ſubditos contra Regẽ ſuum, quem Patris loco venerari debebãt, inſurgere. Quare merito omnes hos impios, & exleges, vocat. Ita Chaldæus, & omnes recentiores ex Hebræo transferentes.

¶ Per, *dentes*, Primo ſignificatur robur, & virtus; ſumpta ſimilitudine, vt diximus, ab animantibus ferociſsimis, quorum virtus in dentibus potiſsimum conſiſtit, & ipſis, eos, quos apprehendunt diſcerpere ſolent.
Deut. 32. *num.* 24. Deuter. 32. 24. *Dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.* Quemadmodum etiam huiuſmodi feris à natura tribuitur hæc
Dentes quid ſignificent. virtus in dentibus; ita homines potentes, & Principes, habent robur mundanæ potentiæ, quaſi innatum, hoc eſt, hæreditario iure adquiſitum; quo debiliores perſequuntur, ſubijciunt, deſtruunt. Vnde Dauid Pſal. 123.
Pſal. 123. 6. 6. dicebat: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem, dentibus eorum.* Per, *dentes*, etiam innuitur furor
Pſal. 34. 16. cæcus, quo hoſtes perſequi conſueſcunt. Vt Pſal. 34. 16. *Fremuerunt ſuper me dentibus ſuis.* Pſal. 36. 12. *Stridebit*
Pſal. 36. *ſuper eum dentibus ſuis.* Act. 7. 54 de Iudæis cõtra Ste-
Act. 7. 54. phanum dicitur: *Stridebant dentibus in eum.* Hoc eſt immani furore in eum inuehebantur. Tandem, *dentes*, denotant maledicentiam, qua nihil eſt nocẽtius. Vt Pſal. 36. *Dentes eorum, arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Quã ſint valida, & pernicioſa hæc maledicæ linguæ arma, conſule Patrum homilias, quas hac de re cõſcripſerunt, & præcipuè D. Gregor. lib. 19. Moralium. cap. 24.

¶ Den-

¶ Dentium quoque in bonam partem laus, & mentio magna eſt in Sacra Scriptura, vt Geneſ. 49. in illo clariſsimo vaticinio Iacob de Chriſto per Iudã figurato: *Oculi eius pulchriores vino, & dentes eius lacte cãdidiores.* Vbi per *dentes*, myſticè intelliguntur Doctores, & Paſtores Eccleſiæ, quæ myſticum corpus Chriſti eſt: In dentibus porro laudabilibus, duo potiſsimũ requiruntur: Alterum, quod ſint firmi, fortes, optimè radicati, vt valeant cibum ſcindere, & mandere: Alterum vt ſint nitidi, candidi, non putridi, aut maculoſi. Pari modo in Doctoribus Euangelicis, exigitur, vt valeant doctrina verbi Dei, qua debent cibum conuerſionis animarum mandere, & terere. Ita Paulus Timotheum hortatur. *Prædica verbum, inſta opportunè, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Deinde opus eſt, vt prædicatores, & Paſtores Eccleſiæ, habeant cãdorem, & nitorem ſanctitatis, ex qua vis vehemens manat ad hoc, vt doctrina in proximorum animis fructificet. De hoc, idem Paul. *Verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is, qui ex aduerſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Eadem ferè ſimilitudine, dicuntur Cantic. 4. 2. *Dentes Sponſæ*, id eſt Eccleſiæ, *ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.* Quæ verba explanans D. Gregor. Dentes quippe (inquit) benè ſancti prædicatores vocantur, quia dum Sacram Scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quaſi panem parvulis, tamquam matres filijs cõmaſticant, quo infirmi ad fortiora conualeſcant. Hi nimirum bene ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, eſſe dicuntur, quia dum ſe à peccatis omnibus in baptiſmo ablutos eſſe recordantur, libenter onera mundi deponunt, vt ad cœleſtia conſequẽda, & prædicanda, verius gradiantur, &c.]

Gen. 49. 12.

Doctores Eccleſiæ per dẽtes ſignificati.

2. *Timot.* 4. 2.

2. *Ad Tit.* 2. 8.

Cantic. 4. 2.

¶ VERSVS NONVS, ET VLTIMVS.

¶ *DOMINI eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.)*

CONCLVDIT Pſalmum egregio epiphonemate, quod ex dictis colligitur à nemine præter Deum expectandam eſſe ſalutem, incolumitatem, & bonorum omnium affluentiam; ſed ipſi ſoli, acceptam eſſe referendam. Eſt ergò huius verſiculi ſenſus: Perperam miſeri, & perditi homines, ſuis viribus, & potentia confidentes, arbitrantur ſe, poſſe me, & vita, & regno priuare; cum Deum habeam adiutorem, & propugnatorem meum; qui ſolus poteſt ſaluare, atque fœlicem belli exitum, victoriamque elargiri. Nam vt alibi dixit: *Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Hominũ ſalus adeò vana, & imbecillis eſt, vt nihil illa ſit fragilius, neque infirmius. D. Athanaſ. & Theodoret. aiunt contineri hoc toto verſu precatiunculá ad Deum orantis Dauidis, vt ſe populumque ſuum, è tanto periculo liberare, victoreſque efficere dignetur. D. Thom. cum Gloſs. ordinaria dicit eſſe commonitionem, qua Propheta oſtendit ad Deum eſſe confugiendum in periculis; à quo ſolo, ſalus prouenire poteſt, & cuiuſcumque boni adeptio. Euthymius, & Auguſt. cenſent, priorem partem verſus, eſſe documentum, quo monet, Dei ſolius, eſſe ſalutem conferre: in poſteriore contineri precationem Dauidis, ſe ad Deum conuertentis, & poſtulantis populo ſuo multiplicationem, & bonorum abundan-

Pſal. 67. 21.

dantiam. Poteſt etiam eſſe, prophetia futuri euentus, ſi Chriſto verba tribuantur; qui vera eſt ſalus, & fons totius noſtræ ſalutis, auctorq́, redemptionis humani generis; à Patre miſſus in mundum, vt nos ex dæmonis ſeruitute erueret, & in libertatem filiorum Dei aſſereret: Ita vt ſit ſenſus Prophetæ ad Deum Patrem aientis: Ad te Pater, tota hominum ſalus, & benedictio promanauit, qui ſic dilexiſti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares, &c. Iacobus de Valentia ita interpretatur, vt ſint verba Chriſti ad Patrem: O Pater, licet ego in quantum homo paſſus ſim, tota virtus, & ſalus, ſiue virtus ſalutis eſt à te; quia tu dediſti me, in ſalutem populi, ſuper quem ſit benedictio tua, meam paſsionem in eius redemptionem acceptando, & eos tibi reconciliando.] Addit præterea Valentia; Quod licet Chriſtus, in quantum homo paſſus fuerit, tamen virtus paſſionis, & ſalutis attribuitur Patri: Quia ſicut Filius, in quantum Deus, quidquid habet, habet à Patre: ita à fortiori totum ſuppoſitum, quidquid virtutis habet, habet à Patre; & ideo Chriſtus totam virtutem paſsionis, & redēptionis, & ſalutis, dicit eſſe ipſius Patris, vel à Patre, quia virtus ſalutis, & poteſtas erat in diuinitate; ſed merita propter quæ datur ſalus, & remiſsio, erãt in humanitate.] Hæc ille.

¶ *DOMINI eſt ſalus.)*

HEbraic. LAIHOVAH, *Dei*, vel *à Deo vero*, ſcilicet, & qui eſſentialiter eſt Deus; ideo ponitur nomen ineffabile. Diximus, LAMED, quando pro articulo præponitur habere vim genitiui, datiui, & ablatiui; & ideo hoc loco poteſt verti; *Dñi*, vel *Dño*, vel *à Domino eſt ſalus*. Quibus modis omnibus, idē erit ſen-

ſus; Nam, & Domini eſt conferre ſalutem, & Dominô competit ſaluare, & à Domino ſalus proficiſcitur. Hierony. vertit per dandi caſum: *Domino ſalus*. Chald. per auferendi; *A facie Domini redemptio*. Exiſtimo cum Euthymio, & Nicephoro, non ſolum hîc eſſe monitionem, aut precationem Dauidis; ſed gratiarum actionem. Nam cum prophetico ſpiritu prænoſset ſe à Deo liberatum iri, & populum, vniuerſumque exercitum ſuum, ſaluum, victoremque ſeruandum, gratias Deo agit iam pro tanto beneficio. Ita Aben Ezra, teſte Eugubino.

SAlus.] Hebr. HAIESVGHAH, à verbo IASAGH, quod eſt ſaluare, ſalvum facere, ſeruare incolumen. Vnde IESVGHAH, ſalus, ſaluatio, incolumitas: Communis eſt, vt ait Auguſt. omnibus, tàm Angelis, quàm hominibus, quàm pecoribus, omnes enim creaturæ vita, & ſenſu præditæ, ſalutis, & incolumitatis participes eſſe poſsunt: Specialius tamen loquendo de ſalute ſupernaturali ad Angelos, & homines tantummodo pertinet, cùm ſoli ipſi, ſalutis ſpiritualis capaces ſint, quæ à Deo pendet præcipuè, tamquam ipſius auctore, & largitore; Nam ſine eius efficacis auxilij dono, nulla poteſt creatura ſalutem ſupernaturalẽ conſequi, vt ipſe
Iſai. 43. Dominus per Iſai. cap. 43. dicit: *Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator.* Et Dauid, Pſal. 83. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Non eſt huius loci diſ- *Pſal.* 83. 12.
ſerere, quo pacto Dei ſolius, ſit ſalus, & ipſe homo per actum liberi arbitrij, Deo cooperetur, & ſe diſponat ad gratię receptionẽ. Qua de re conſulendi ſunt Scholaſtici, qui fusè admodum controuerſiam, hanc pertractant.

¶ Allego-

¶ Allegoricè videtur Dauid ad tempus legis gratię reſpexiſſe, quo vera ſalus Chriſtus, hominibus apparuit, omniumq́; benedictionum ſpiritualium vbertas in Chriſtianum populum diffuſa eſt: Quare Chriſtus, merito vocatus à Deò, I E S V S, Saluator, aut potius, ipſamet ſalus. Et valdè notandũ hoc loco IESVGHAH, poni cum articulo demonſtratiuo, *Illa ſalus mundo promiſſa.* Quaſi dicat: Dominus cum filium mittet in mundum, tunc veram hominibus, & ipſiſsimam mittet ſalutem, quæ omnes ſaluos faciet à peccatis eorum.

¶ *ET ſuper populum tuum benedictio tua.)*

ET, non eſt in Hebræo, ſed D. Hieronym. ita tranſtulit, & L X X. explicationis cauſa: vt indicetur Prophetam de Deo, & cum Deo loqui toto hoc verſu. Dubium tamen eſt, de quo populo loquatur; An de eo, qui eum ſequutus, fidem ſeruauit; An etiam de populo, qui deficiẽs tranſiuit ad partes Abſalom. Hebræi, quos Lyranus ſequitur, per populum Dei, ſignificari aiunt eum, qui Dauidis partes ſequebatur. Euthym. aſſerit, vtrumque populum tàm fidelem, quàm rebellem. Tãta enim erat Dauidis manſuetudo, & erga ſuos etiam hoſtes benignitas, vt ipſis bona precetur, vt patet Pſal. 34. *Pſal. 34.*
12. *Retribuebant mihi mala pro bonis, ego autem orabam.* *12.*

¶ Quamobrem probabile eſt, hoc loco pro inimicis etiam orare. Patres ferè omnes intelligunt per *populum Dei*, populum fidelem; & præſertim Chriſtianum, qui pluribus, ac præſtantioribus titulis, Dei eſt; maioraq́; ac potiora accepit beneficia. Haymo cũ per *Benedictionem*, accipiat, præmium æternæ gloriæ, expendit præpoſitionẽ *ſuper*, indicare, quod beati, ſupra meritum exaltabuntur, iuxta Apoſtoli doctrinam. Roman. 8. 18.

 Non

Digitized by Google

Non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Bruno, per benedictionē interpretatur gratiam iuſtificantem, & particulam, *ſuper*, ſignificare, quod gratiæ, & ſpiritualium donorum collatio de ſurſum eſt, deſcēdens à Patre luminum. Nō poſſumus non obſeruare cum D. Auguſt. quod cū Propheta in tertia perſona de Domino egerit, in prioribus huius verſiculi verbis; ſubitò mutatione facta, cū ipſo, tamquā cum ſecunda perſona, verba facit: Id enim familiare eſt Prophetis, & ſignanter Dauidi, propter patheticos prophetici ſpiritus impulſus. Vide Auguſ. lib. 12. de Trinit. cap. 6.

¶ *BENEDICTIO tua.*)

Benedicere quid HEbr. BERECATHECA, à verbo BARAC, quod eſt benedicere; & quando dicitur de Deo reſpectu hominum, ſignificat benefacere, bona conferre, ſiue naturæ, ſiue gratiæ, ſiue fortunæ, vt Geneſ. 12.
Gen. 12. loquēs Deus cum Abraham, ait: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Et paulò poſt: *In te benedicētur vniuerſæ cognationes terræ.* Quod ad bona gratiæ, per Chriſtum Abrahæ filium ſecundum carnem, mundo collata, referendum eſt. Significat etiam fœcūditatem ad multiplicationem conferre, vt Geneſ. cap. 1. Creatis Deus animantibus, tàm reptilibus, quàm volu-
Geneſ. 1. cribus dixit, benedicens eis; *Creſcite, & multiplicamini.* &c. Ideſt, dedit eis virtutem ad generationem, & pro-
Gen. 9. 1. pagationē. Et cap. 9. *Benedixitq; Deus Noe, & filijs eius.*
Pſal. 106 Ideſt beneficium fæcunditatis impertiuit. Pſal. 106. 38.
Pſal. 64. *Et benedixit eis & multiplicati ſunt nimis.* Pſal. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, ideſt, maximam abundantiam, & fertilitatem præſtabis. Paſsim ſunt exempla in Sacra Scriptura. Quemadmodum in ſenſu cōtrario; Male-

Digitized by Google

Maledicere Dei eſt, deſtruere, atque ſterilitatem inducere. Vt Marc. 11. habetur, quod maledixit Chriſtus ficui, dicens: *Iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet.* Benedicere etiam Dei, eſt ſanctificare, vel ſanctũ eſſe oſtendere. Geneſ. 2. *Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificauit illum.* Quando vero benedicere, dicitur hominis, ſeu creaturarũ reſpectu Dei, ſignificat laudare, vt Pſal. 33. 1. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Pſal. 102. 1. *Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Significat interdũ maledicere per antiphraſim, ſiue ironiam. Vt Iob. 1. *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Ideſt, maledixerint. Et cap. 2. 9. *Benedic Deo, & morere.* Ideſt, maledic.

Maledicere quid

Mar. 11.

num. 14.

Gen. 2. 3.

Pſal. 33. 1.

Pſal. 102

Iob. 1. 5.

Iob. 2. 9.

¶ Benedicere hominis erga hominem, eſt illi bona comprecari. Vt Geneſ. 24. *Benedixerunt Rebeccæ.* Ideſt, fauſta, atque fœlicia precati ſunt, ſequitur enim ſtatim: *Soror noſtra es, creſcas in millia millium, &c.* Eſt etiam ſalutare: Qui enim aliquem verbis honorificis ſalutant, ſolent ipſi bona, & fœlicia precari. Geneſ. 47. 7. *Poſt hæc introduxit Ioſeph patrẽ ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo, qui benedicens illi, &c.* Ideſt, ſalutans illũ more regio. Et paulò inferius: *Benedicto Rege egreſſus eſt foras.* Hoc eſt, ſalutato Rege. 1. Reg. 13. 10. *Et egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt ſalutaret eum.* Hebr. *Vt benediceret ei.* 2. Reg. 8. *Miſit Thohu Ioram filium ſuum ad Regẽ Dauid, vt ſalutaret eum.* Hebr. VLEBARECHO, *Et vt benediceret ei.* Significat etiam munus offerre. Iſai. 66. 3. *Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat Idolo.* Id eſt, munus offerat, ſeu oblationem. Vnde benedictio, pro munere. 1. Reg. 25. *Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc:* Ideſt, munus. Hoc ergo loco, per benedictionem,

Geneſ. 24

Geneſ. 47. 7.

1. Regum 13. 10.

2. Reg. 8.

Iſai. 66. 3.

1. Regum 25.

Digitized by Google

nem, intelligunt Hebræi conſeruationem, & multiplicationem populi Dei. *Quaſi dicat:* O Deus, pro tua benignitate populum tuum, non modo incolumen ſeruabis; ſed etiam multiplicabis. Vatabl. per *ſalutem*, interpretatur auxilium diuinum. Per *benedictionem*, victoriæ conſequutionem. Incognitus per *ſalutem*, videtur accipere gratiam iuſtificantem, quæ vera ſalus eſt. Per *benedictionem*, præmium gloriæ; quod omnium bonorum præſtantiſsimum eſt. Præſtat tamen interpretatio communis; vt per hanc benedictionem accipiamus, copiam & abundantiam; ac præcipuè gratiæ, & ſpiritualiũ charismatum. Vt explicatum eſt.

¶ In fine huius Pſalmi, in Hebræo ponitur tertia vice SELAH, de cuius dictionis ſignificatione, diximus ſuperius. Cum autem hoc loco ſit in fine, rectè argumentatur Hieronym. non eſſe notam exordij alterius ſententiæ, aut rythmi diſtinctionem, ſeu cuiuſdam muſicæ varietatis ſilentium, aut ſpiritus pauſationem; ſed potius crediderim denotare, vocis eleuationem, ſeu mentis in Deum faciendã; vt cenſent Vatabl. & alij. Et ita hic' reddere hunc ſenſum: O excellentiam, & exuberantiam bonitatis Dei.

In eumdem Pſalm. Tertium Carmen Hexametrum.

CVR (Deus Almè) hominum me bello multa laceſſunt
Millia? & innumeræ in me ſurrexere cohortes?

Cur

Cur vè meam dirè cupiunt quod perdere vitam
Poſſe negant vllam me à te ſperare ſalutem?
Tu vero, ò hominum cuſtos, me fauſtus vbique
Protegis; & tanto decoras virtutis honore,
Vt caput extollam, victa de morte triumphans,
Tu, Deus, intenta quoties ſum voce precatus
Promptus ades, cæloque audis me ſemper ab alto:
Ecce ego dormiui moriens, ſomnoque ſepultus
Sum tumuli; at ſuperi ſurrexi in luminis oras,
Nam manus horrendo tua me reuocauit ab Orco.
Nunc licet obſideant populi tot caſtra furentis
Non metuam, cum me tua ſemper dextera ſeruet.
Namque meis valido maxillas hoſtibus ictu,
Percutis, vt iaceant contritis dentibus omnes.
Denique tu ſolus potis es conferre ſalutem,
Atque tuo manibus populo dare munera plenis.

PSALMVS QVARTVS.

1 ¶ *IN finem in carminibus, Pſalmus Dauid.*

2 *CVM inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.*

Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

3 *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

4 *Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dñs exaudiet me cum clamauero ad eum.*

Iraſci-

5 *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris cõpungimini.*

6 *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona.*

7 *Signatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.*

8 *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.*

9 *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.*

10 *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

¶ *ARGVMENTVM PSALMI.*

HOC Pſalmo, Dauid calumnijs, & afflictionibus ab inimicis ſuis oppreſſus, ad Deum confugit; eius mirificam erga ſe pietatem, & benignitatem prædicans, ſupplex auxilium depoſcit. Deinde cum inimicis ſuis expoſtulans, eos hortatur, vt omiſsis vanis conſilijs, & conatibus, iniuſtiſsima odia, iráque deponant; & rectam viuendi rationem inſtituant, eius ſe imperio ſubijcientes, quẽ Deus chariſsimum habet, atque ad Regiam dignitatem euexit. Tandem monet, vt in vno Deo omnes ſuas cogitationes collocẽt; à quo ſolo pax, ſecuritas, & omnium bonorũ affluentia expectanda eſt. Qua ſpe de ſumma Dei bonitate concepta, gloriatur ſe tranquillo animo, vitam ſuam tranſacturum.

¶ *DE*

Digitized by Google

¶ DE TITVLO PSALMI,

VERSVS PRIMVS.

¶ *IN finem in carminibus, Pſalmus Dauid.)*

VARIÆ ſunt circa hunc titulum intelligẽtiæ, vt ſunt verſiones, ſeu lectiones. Nam LXX. legunt, *In finem in hymnis Pſalmus Dauid.* Vt habet noſtra Vulgata, Divus Hierony. *Victori in canticis Pſalmus Dauid.* Chald. *Ad canendum ſuper Neguinoth canticum Dauid.* Omnis hæc interpretationum varietas, ortũ habet ex abſtruſa ſignificatione Hebraicæ dictionis MENATSEAHH, in Hebræo ſic habetur, LAMNATSEAHH BINGVINOTH MIZMOR LEDAVID, deriuatur ea vox à verbo NATSAHH, quod ſignificat vincere, ſuperare, roborare, fortificare; vnde MENATSEAHH, victor, ſeu princeps roborator, vel fortis. Ita D. Hieron. Pagnin. & alij transferunt: *Victori*, ſeu *vincenti*; & cum id quod forte eſt, & cætera vincit ſolet eſſe perpetuum, LXX. verterunt; *In finem*, ſiue, *in ſæculum.* Aquila, *Vincenti.* Symmach. *Ad victoriam.* Eugub. cenſet per victorẽ hoc loco, & aliis plurimis denotari canentem epynicium, ſeu carmen triumphale: immo ipſamet dictio Hebraica, NATSAHH, ſignificat victoriam, ſeu carmen victoriale, inde MENATSEAHH, eſt cantor carminis triumphalis. De quo fit expreſſa mentio in libris Paralipomen. vbi narratur fuiſſe inſtitutos, qui canerẽt pro octaua epynició. Nam vt ex ijſdem libris colligitur diuerſa erant carminum genera in Templo, decantari cõſueta: Alijs ſiquidem prophetica, & arcana myſteria cane-

canebantur: Alijs, victoriæ bello partæ celebrabantur; Alijs, Deo laudes, & gratiarũ actiones pro acceptis beneficijs reddebantur. Et pariter erant cantorũ inſtituti chori à Dauide, ad canendas victorias diuinitus reportatas, vt in ſacrificijs Gentilium Poëtæ facere ſolebãt, collaudãtes atletas, qui in ludis Olympicis victores euadebant. Et quia eadem dictio MENATSEAHH, ſignificat præpoſitum operum, cohortatorem, & ſolicitatorem Hebr. cẽſent id poni pro iugiter canente, vel canentibus præpoſito, in qua ſententia eſt R. Aben Ezra, & ad eamdẽ accedit Kimhi, cuius hæc ſunt verba: MENATSEAHH, fuiſſe eum, qui præeſſet choris canentium, HI MENATSEHHAHHIM Pſalmos edebant, poſt tradebant cantoribus. ¶ R. Selemoh ſequẽs aliam, ſed ſimilem ſignificationem, putat MENATSEHHAHHIM dictos, fortes in cultu Dei, aut opere ipſius Templi, inſtantes operi vehemẽter, quem ſequens Nicolaus Lyranus aſserit vocatos, hoc nomine, qui canẽdo alios ſuperare, ſeu vincere ſtudebãt. Chal. vertens, *In laudem*, videtur reſpexiſse ad mentem Prophetæ, Pſalmum componentis, vt laudetur victor, aut effuſor ſanguinis, aut dator æternæ vitæ; quæ omnia verbo Hebræo denotantur. In ſumma ergo ſonat hæc dictio, præconem victoriæ, & præpoſitum canentibus, qui cantando, alios ad opera prouocat, acuit, vrget.

¶ Vox etiam BINGVINOTH, diuerſimode explicatur. Alij enim vertunt, *in hymnis*: Alij, *in canticis*: Alij, *ſuper choros*. Dictio Hebræa NEGVINOTH, fit à verbo NAGAN, quod eſt manu pulſare aliquod muſicum inſtrumentum. Quare huius tituli ſenſus erit; Editum eſſe præſentem Pſalmũ à Dauide, traditumq́ue alicui præfecto cantorum, qui curaret ipſum in inſtrumentis muſicis NEGVINOTH dictis decãtari; aut qui

inſtru-

Digitized by Google

inſtrumentis ipſis,cantando victor extiterat, victoriſq; laudem, & gloriam, fuerat cõſequutus ſimilem ſenſum hæ eædem voces habere videtur apud Habacuch prophetam. cap. 3. dicentem; *Deus Dñs fortitudo mea,& ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea.* Adiecit, LAMNATSEAHH BINGVINOTH, hoc eſt: Ad victorem me faciẽdum in organis meis,ſiue inſtrumentis muſicis,ſic appellatis. Vatabl. hunc eumdem ſenſum dicit eſſe tituli: Pſalmus Dauid,qui ſequitur, cõmiſsus eſt præfecto cytharædorum peritiſsimo, vt decantaretur ad inſtrumentum muſicum,quod NEGVINOTH appellatur. *Habac. 3. 19.*

¶ Non deſunt qui exiſtiment, *In finem*, ſignificare Pſalmum canendum eſſe in fine aliorum, tamquam totius concentus complementum; ſed hæc opinio nõ videtur vera,cum plurimi Pſalmi habeant eamdẽ inſcriptionem, *In finem*, quos pro concluſione aliorum repetere, infiniti eſſet laboris, & moræ.

¶ Quod vero attinet ad myſticum tituli ſenſum,qui legunt in finem; alij dicunt dirigi hunc Pſalmum ad Chriſtum, qui finis eſt vniuerſæ legis,ad iuſtitiam omni credenti, & ad quem vniuerſa Pſalmorum harmonia refertur: Nõ eſt enim Pſalmus,qui non vel ipſius diuinitatem prædicet, vel de myſterijs aſsumptæ humanitatis apertiſsime non prophetet. Et idcirco,hæc verba, *in finem*, pene omnibus Pſalmis præponuntur,quoniam in Chriſtum tamquam in ſcopum diriguntur. Alij, vt Theodoret. Haymo aſſerunt per finem, intelligi tempus Euangelicæ legis, iuxta illud Pauli ad Corint. 10. 11. *Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt.* Tempus enim gratiæ fuit omnium ſæculorum plenitudo, in quam omnia referebantur. Alij, per *finem*, exponunt conſummationem iuſtitiæ, ad quam Dei ſerui perueniunt *1. Corint. 10. 11.*

niunt per opera, & excercitia ſpiritualia. Ita Auguſtin. Et iuxta hunc ſenſum Paul. ſe ad finem perueniſſe iuſtitiæ teſtatur, dicens: *Bonum certamen certaui curſum*
2. Timot. 4. 6. *conſummaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitia, &c.* Qui legunt, *Victori*, vel *ad victoriam*, exponunt de victoria, quam Chriſtus de dæmone, peccato, & morte per paſsionem ſuam reportauit. Ita omnes fere Patres. Quare NATSEAHH, vt annotat Fœlix Pratenſis, etiam ſignificat ſanguinē, vt ex Chaldæa innuitur verſione. Quo intelligitur glorioſiſsimus Chriſti Domini triumphus, pretioſiſsimo ſanguine partus.

¶ *IN carminibus.)*

VAriè etiam vertitur. A Theodotione, *in hymnis*, à LXX. & Aquila, *in Pſalmis*, à Hierony. *in canticis*, à Symmacho, *in pſalterÿs*. Sed dictio NEGVINOTH, vt dictum eſt, propriè ſignificat inſtrumenta muſica, ſiue pulſationes inſtrumentorum, ſiue modulationes. Quare cum hæ fierent non ſolum inſtrumentis, ſed cantibus etiā, quibus cōcinebantur Pſalmi, Hymnii, & Cantica; ideo omnibus his dictionibus Hebræi nominis ſignificatio, adſtruitur. Quodnam vero inſtrumēti genus ſit NEGVINOTH, incertū. LXX. affirmāt eſſe cytharam, alij pſalterium.

¶ *PSALMVS Dauid.)*

PAgninus legit: *Victori in Pſalmis Dauidi.* Quaſi dicat: Hic Pſalmus compoſitus eſt in gratiam Dauidis victoris, in Pſalmis condendis, vel primas habentis; & ita *Todauid* per datiuum vertitur. Sed de hoc diximus in ſuperioris Pſalmi titulo. Quo tempore, quaque occaſione Da-

ne Dauid hunc Pſalmum concinnauerit,& concinuerit non conſtat. Nam Lyranus, quem ſequitur Incognitus, vult hic contineri gratiarum actionem pro diuino beneficio accepto, cum circumdatus à Saulis exercitu in deſerto Mahon; maximoq; in diſcrimine poſitus, liber, & incolumis euaſit. 1. Reg. c. 23. Huic ſententiæ ſubſcribit Caietan. Quam probat; Quia Dauid immerito paſſus fuit Saulis perſequutionem; Et idcirco, dicit in 1. Verſu, fuiſſe à Deo exauditum, quia eius iuſtitiæ,& innocentiæ rationē Deus habuit: At verò in perſequutione Abſalomi, quamquam ex parte perſequentium ſumma interceſsit iniuſtitia, ex parte Dauidis non omnimoda erat innocentia, cum ob ſua flagitia pateretur, vt ſæpè diximus. Haymo, Caſsiod. Gloſ. Burgen. & alij cenſent Pſalmum editū à Dauide, diuini honoris zelo excitato, contra Gētiles, & idolorum cultores, quos ad veri Dei cultum perducere intendit: & ita credibile eſt, Dauidem poſt geſta multa bella cōtra Philiſtæos, hunc Pſalmum compoſuiſſe ad Dei gloriam celebrandam; hoſteſque ſuos ad meliorem mentē traducendos. Burgenſis contra Lyranum rationes duæ ſunt præcipuæ: Prima; Quia Dauid Pſalmum edidit peculiarem, quo liberationem ſuam de manibus Saulis, quæ narratur 1. Regum. 23. decantauit, qui Pſalm. eſt 53. habens hunc titulum: *Ad victoriam in organis eruditio Dauid. Quoniam venerunt Ziphai, & dixerunt Saul: Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos.* Conſtat autem, quod hoc Ziphæorum nuntio accepto, comparauit ſe Saul cum ingenti exercitu ad obſidendum Dauidem in dicto deſerto Māhon, ex qua obſidione euaſurum ſe deſperabat Dauid. Secunda ratio; Quia in hoc Pſalmo dicuntur multa, quæ ſecundum litteram prædictę hiſtoriæ accomodari nequeunt, quale illud; *Et quæritis mendaciū.*

1. Regum 23.

1. Regum 23.

Non

Non enim Ziphæi,qui fuerũt perſequutionis illius primi inſtigatores, vllum mendacium Sauli protulerunt, neque illa verba: *Quoniam mirificauit Dñs ſanctum ſuum*, propriè huiuſmodi hiſtoriæ conueniunt. Nam liberatio Dauidis, de qua in ea agitur miraculoſa dici nõ debet, cum cõtingere ſæpè ſoleat, Reges, aut duces oppidum aliquod obſidentes, ex aliqua occaſione occurrẽte, obſidionem ſoluere. Iacobus de Valentia adductis prædictis duabus opinionibus ſentit, tractari de coniuratione, quam excitauit Doeg Idumæus contra Dauidem, quãdo interfectus Achimelech, & alij qui fauebãt Dauidi, vt habetur. 1. Reg. 22. contra quem Doeg Idumæum, & eius aſſeclas inuehitur hoc Pſalmo Dauid, ipſis exprobrans, quod propter Saulis iniqui Regis gratiam, & bona temporalia, quæ ab ipſo ſperabant, iuſtitiam, & religionẽ prorſus violarunt: quo in typo figurata fuit in Chriſtum, & eius Eccleſiã, impijſsima perſequutio. Antonius Flamminius opinatur compoſitum fuiſſe à Dauide initio Regni ſui, ad prædicandam Dei erga ſe benevolentiam, quam ſæpè expertus fuerat: & hoſtes ſuos, qui contra ſe inſurrexerant comprimẽdos, atque ad ſanam mentem reuocandos. Communiter tamen aſſerunt interpretes Pſalmũ decantatum, poſtquã perfecte liberatus fuit Dauid à perſequutione Abſalom, quaſi victoriæ epynicium. Ita Euthym. Euſebius, Aſterius, Thom. Hugo Cardinal. Et mihi placet hæc ſententia, iuxta quam merito Pſalmus præſens quarto loco cõſtituitur ſtatim poſt præcedentem, in quo apertiſsimè de Abſalomi perſequutione tractatur.

1. Regum 22.

¶ Circa perſonam loquentem etiam eſt cõtrouerſia: Aliqui Hebræi dicunt Pſalmum pertinere tantummodo ad Dauidem; Alij vt Hierony. non Dauidem loqui, ſed Chriſtum, quod nõnulla verba potius Chriſto, quam

quam Dauidi cõuenire videantur, qualia illa ſunt verſu penultimo: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Quæ de ſomno mortis Chriſti intelligenda eſſe innuit Eccleſia in officio ad Matutinum Sabbati ſancti. Nulla ſiquidem mors, ante Chriſtum fuit in pace propriè, & perfectè, cum omnes in ſinum Abrahæ Sancti Patres, deſcenderent, Tartareiſque carceribus detinerentur: Alij cenſent ſatis probabiliter ad litteram, poſſe intelligi, & de Dauide, & de Chriſto. Exiſtimarim ergo cum Origene de Dauide ad litteram, de Chriſto allegoricè eſſe intelligendum; Chriſtus enim fuit prę ſtantiſsimus cytharædus per Dauidem repræſentatus; ſed longo interuallo Dauidem ſuperans, vt egregiè philoſophatur Matthias Bredembachius: Chriſtus namq; tenſis in cruce fidibus ſanctiſsimi corporis ſui, ea nobis cecinit carmina, quibus cum nulli ſunt muſicorum concentus cõferendi; ſi enim de Orpheo Poëtæ fabulãtur, quod lyrę ſono, ſyluas, & ſaxa mouerit, fluuiorum curſus arcuerit, feras domuerit, Eurydicen ab Orco eduxerit. Multo verius, atque præſtantius noſter Orpheus Chriſtus, ſacroſanctæ humanitatis ſuæ cythara, petras rupit, mortuorum ſepulchra aperuit, Solis lucem cohibuit, totũ terrarum orbem tenebris obuoluit, effractis Tartari vectibus non vnam aliquam eduxit Eurydicen, eamdemque in via amiſit, vt de Orpheo illo comminiſcuntur; ſed omnes Sanctorum Patrum animas eruens, beataſq; efficiens, in cœleſtis curiæ penetralia induxit: Et tandem à terra in cruce exaltatus omnia traxit ad ſeipſum. Non deſunt, qui Pſalmum hunc exiſtiment nihil aliud continere, quam moralem doctrinam & informationẽ. Ita Ludolphus, Dionyſ. Hugo Cardin. Titelm. Inſtituit enim Dauid docere, quod ſit Deus inuocandus in tribulationibus, ſacrificijs bonorũ operũ promerendus,

Digitized by Google

& in ipſo fides collocanda; quod ſint vanitates præſentis vitæ contemnendæ, virtus ſequenda, obtemperandumq; diuinæ legi, à natura ipſa animis noſtris inſitæ, vnde vera lætitia hominibus promanat, & rerum omnium abundantia, pax & ſecuritas ſumma; & cum Dauid (vt ait Hugo Cardin.) in præcedẽti Pſal. docuerit, quo pacto ſit Dei promiſsis fides adhibenda, ſpeſq; in eo conſtituẽda; in Pſalmo præſenti agit de bonis operibus, & obſeruantia diuinorum mandatorum. Rupert. lib. de gloria Trinitatis. cap. 13. totum Pſalmum refert ad miſsionẽ Spiritus Sancti, factam in die Pentecoſtes, cum orarent diſcipuli, oratioque eorum exaudita eſt, accepta donorum cœleſtium plenitudine, qua roborati obiurgare auſi ſunt Chriſti interfectores, & de eo illuſtriſsimum teſtimonium exhibere, vt refert Lucas Act. cap. 1. & 2. Sed iam æquum eſt, vt ad Pſalmi interpretationem accedamus.

VERSVS SECVNDVS.

CVM inuocarẽ exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.

QVI ſcribunt Pſalmum hunc editum à Dauide in gratiarum actionẽ, legũt hunc verſum per verba de præterito tempore, quo pacto habent Græca Editio, & noſtra Vulgata; Eamque ſequuntur omnes fere Patres, & D. Hieron. transferens ex Hebræo. Vt ſit ſenſus: Non poſsum nõ miris laudibus prædicare diuinam potẽtiam, & bonitatem tuam; quia cum eſſem in extremo periculo, & anguſtia

guſtia poſitus,ad te clamaui tuumq́; implorau auxiliũ. Tu verò pro tua immenſa clementia,me exaudire dignatus es; & tamquam ex arctiſsimo loco in campum ſpatioſiſsimum eduxiſti, & cor meum lætitia perfuſum dilataſti.

¶ Perpendit Euthym. quod Propheta ad maiorem oſtenſionẽ diuinæ bonitatis dixit: *Cum inuocarem*, vel *inuocante me*. Quod denotat inchoatum orationis actũ; & ſtatim ſubiũgit: *Et exaudiuit me*. Vt intelligamus vix orationem incepiſse, cum extemplò à Deo fuit exauditus, & voti compos effectus, iuxta diuinã promiſsionem apud Iſai. cap. 58. 9. *Tunc inuocabis, & Dñs exaudiet: Clamabis, & dicet: Ecce adſum*. Docet etiam, quod non verborum copia,& externa vociferatio ſola, valet apud Deum; ſed pia mentis affectio. Quamobrẽ annotat Origenes, vim verbi; *Cum inuocarem*, ita ſcribens: Cernere dignũ videtur, quid ſit inuocare, cum qui legem diuinam probe non callent, non alicuius,ſed omnium munus eſſe arbitrentur ad inuocandum accedere: Nam non in voce nomen Domini invocare,ſed in ipſo nuntiantis affectu, & ſtabili fide, iudicatur.] Sic ille. Cui accedunt Hugo Card. Ludolph. Dionyſ.& alij explicantes ethymõ verbi, *Inuocare*, hoc eſt, intus vocare; Multi enim extra vocant Deum, qui, vel non eum vocant interno affectu,vel vocant propter bona terrena, & temporalia, vt eis pro libito abutantur; tales ſiquidem non exaudiuntur, Iacobi. cap. 4. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis*. Quamquam verbum Hebræum KARA, nihil tale in ſua ſignificatione includit,cum ſolũ ſignificet vocare, clamare,prædicare,incitare; Verũ tamen eſt,orationẽ ad Deũ debere eſſe affectuoſam,ex intimo cordis ſenſu profectam. Sunt verò plurimi expoſitores,

Iſai. 58. 9.

Iacobi. 4. 3.

legentes Verſum hunc per tempus præſens, & modum imperandi: *Cum inuocem exaudi me Deus iuſtitiæ meæ.* Sic legunt Pagnin. Vatabl. Kampenſis, Eugubin. & alij linguæ Hebraicæ periti. Similiter Chald. *In tempore orationis meæ, recipe à me Deus iuſtitiæ meæ.* Nam in Hebræo ita habetur, BEKORI GHANENI ELOHAI TSIDKI, *In inuocando me exaudi me Deus iuſtitiæ meæ.* Vbi verbum GHANAH, quod eſt exaudire cum PATAH in prima littera, & TSERE, in ſecunda, iuxta Maſſoretas, imperatiuum facit, Quamquam cum duplici KAMETS deſeruiat præterito tempori, vt interpretati ſunt LXX. abſque punctis legentes. Quare ſi ſecundam hanc lectionem ſequamur erit ſenſus: Ne ceſſes à me exaudiendo Domine Deus, cum ego non deſiſtam à te inuocando.

¶ *EXAVDIVIT me.)*

HVgo Cardinal. vim facit in hoc verbo. Quaſi voluerit ſignificare Dauid, plus ſe à Deo accepiſſe, quam petierat ſua oratione, & clamore; Sic enim interpretatur: Exaudiuit, hoc eſt, extra petitũ audiuit. Tam effuſa eſt Dei in homines liberalitas, vt videre eſt in Salomone poſtulãte ſapientiam ad Regnum adminiſtrandum, cui conceſsit etiã diuitias, & gloriam, quibus Reges omnes longo interuallo ſuperauit. Pari modo Dauid cum à Deo efflagitaſſet liberari à periculo vitæ, in quo verſabatur propter Abſalomi ſæuitiam, & potentiam: non modo iſtud accepit, ſed etiam illuſtriſsimam victoriam, & priſtinam dignitatem. Verbum Hebræum GHANAH, multiplices habet ſignificationes, latiſsimè patentes: quæ videri poſsunt in Theſauro linguæ ſanctæ. Sed ad rem noſtram, ſignificat, reſpondere, exaudire,

Digitized by Google

audire, teſtificari, verbo, vel opere. Vt hoc loco diuina reſponſio, ſiue exauditio, fuit liberante Deo, Prophetam ex diſcrimine: Tum etiã dictum verbum ſignificat alternatim loqui, vel canere, vt fit inter choros pſallentium, qui ſibi mutuo reſpondentes, alternis cantant, vt apud Maronem Ecloga 7.

Et cantare pares, & reſpondere parati.

¶ Ita quodammodo, inter iuſtum, & Deum quædam eſt alternatiua melodia, in qua iuſtus in afflictione, lugubri cantu Dei aures pulſat; Deus vero illi reſpondet lætiſsimo miſerationis ſuæ concentu.

¶ *DEVS iuſtitiæ meæ.)*

VAriè exponunt Patres, Origen. ſic: Deus Dñi mei Ieſu Chriſti. Nam cum teſte Apoſtolo, Chriſtus factus nobis ſit à Deo ſanctificatio, ſapientia, iuſtitia, atque redẽptio, perinde erit dicere, Deus iuſtitiæ meæ, atque Deus Domini mei. Quem loquendi modum ſœpè vſurpat idem Apoſtol. 2. Cor. 1. 3. *Deus & Pater Domini mei Ieſu Chriſti.* Theodorus, cui adhęret Paul. Burgenſis, iuſtitiam, interpretatur iuſtam petitionem: iuſtũ enim videbatur liberari Dauidem à tam dira, & iniqua perſequutione, cum peccata ſua defleuerit, ſibique dimiſsa eſſe cognouerit. Quarè non ſuam iactat iuſtitiam & ſanctitatem, cum eſſet vir humilis, & prudens, ſed celebrat Dei benignitatem, exaudientis iuſtiſsimam petitionem; qua non vltionem de inimicis, ſed liberationẽ ſuam poſtulabat. Gloſ. Interlin. iuſtitiam accipit propriè pro ſanctitate, & iuſtificatione, qua homo Deo fit gratus; & hanc Dauid nõ ſibi arrogat, ſed Deo acceptam referens, dicit: *Deus iuſtitiæ meæ*; ideſt, largitor meæ iuſtitiæ, & ſanctitatis.

Paul. Roman. 15. & 2. Corin. 1. 3.

Hanc expoſitionem ſequuntur Lyranus, Ludolphus, Dionyſius. Tandem, & magis propriè iuxta recentiores omnes, Hebraici ſermonis proprietatem ſcrutantes, poteſt exponi, *iuſtitia* pro cauſa iuſta: Quaſi dicat: Exaudiſti me Deus, qui cauſam meam iuſtam fuiſſe, teſtatus es: Victoriam mihi contra inimicos præbens. Vt
Pſal. 9. 5. Pſal. 9. 5. *Sediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* Et
Iſai. 42. Pſal. 42. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meã, de gen-*
1. *te non ſancta.* Plurima id genus teſtimonia ſuppetunt in lib. Pſalmor. quibus S. Propheta Deum orat, vt cauſæ ſuæ iuſtitiam, tamquam iudex æquiſsimus dijudicet. Quare hoc loco, & ſimilibus ponitur nomẽ ELOHIM, quod Deo, tamquam iudici vniuerſorum, & gubernatori tribuitur.

¶ *IN tribulatione dilataſti mihi.)*

HEſichius, Didym. Auguſt. Hanc cordis dilatationem dicunt eſſe conſolationem diuinam, & peculiarem charitatis affectum, quo Dei ſeruus Dauid in afflictione poſitus, confortabatur, & lætitia perfundebatur in laboribus pro Deo perferendis, iuxta illud
2. Corin. Apoſtoli 2. Corin. 4. *In omnibus tribulationem patimur,*
4. 8. *ſed non anguſtiamur, &c.* Act. 5. 41. *Ibant Apoſtoli gau-*
Act. 5. 41 *dentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Hic enim eſt admirabilis charitatis effectus, vt Dei famuli, nihil iucundius, nihil pretioſius, aut glorioſius ducant, quã pro Chriſto perpeti tormenta, & perſequutiones; vt de ſe teſtatur idem
Roman. 5 Paul. Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, quia charitas*
5. *Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũ Sãctũ, qui datus eſt nobis.* Quemadmodũ ergo temporalis tribulatio, cor hominis coarctat, contriſtat, deprimit; ita è conuerſo

Digitized by Google

uerſo tamquã antidotũ,diuina conſolatio illud dilatat, lætificat, corroborat. Chryſoſt. explicat appoſitiſsimo exemplo: Quemadmodum olim tres pueros in ardentem fornacem iniectos, non eduxit Deus, neque flammam extinxit, ſed ipſis immiſit cœleſtem quandam auram, roris inſtar, qua recreati nullatenus ab igne læderentur, vel affligerentur: Ita iuſtos, in tribulatione nõ ab ipſa liberare ſolet, ſed rore ſuæ conſolationis refocillat, & confirmat, vt non modo poſsint, ſed etiã gaudeant tribulationes perferre. Hunc charitatis effectum Euthym. & Remig. magnanimitatem appellant, qua nõ ſolum amici, ſed etiam inimici diliguntur.

¶ D. Gregor. lib. 29. moral. cap. 8. per tribulationem intelligit vitium, per dilatationẽ, virtutem. Sciendum (inquit) quia omne vitium anguſtiat, & omnis virtus animam dilatat, niſi enim virtus animam dilataret, nequaquam Paul. Corinthijs diceret: Dilatamini, & vos.] Nam peccata, tenebræ ſpirituales ſunt, & idcirco non poſsunt non animũ contriſtare, & anguſtia premere; virtus autem cum ſit lux ſuperna, cor hominis amplificat, & gaudio perfundit. Vnde dicebat idẽ Propheta, Pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Et latum mandatum tuum nimis.* Diuina ſi quidem lex latiſsimus eſt virtutum campus, quibus animus dilatatur, ac ſpatiatur. Aliam expoſitionẽ affert Chryſoſt. dicens: Multi quamdiu manent in rebus ſecundis, grauiſsimis, ac turpiſsimis tenentur amoribus, qui affligunt animam, ſed poſtquam in afflictionem inciderunt, liberantur ab illis omnibus, & in liberum, & apertum campum euadunt.] Tentationes, & afflictiones ſtimuli quidam ſunt, quibus homo concitatur, & ad Deum confugere compellitur. Rupert. de Trinitate, & operibus eius lib. 2. cap. 23. Tribulationem interpre-

Pſal. 118

tatur, omnia mundana, & caduca, in quibus iuſtus velit nolit verſatur, & in maximas cordis anguſtias redigitur: dilatationem verò contemplationem, & deſideriũ rerum æternarum ad quas anhelat. Qua propter merito palmæ comparatur, quæ in trunco anguſta eſt, in ramis latiſsima, & lætiſsima fructus pulchritudine. D. Thomas hãc dilatationem aſserit ſignificare, maiorem dignitatis, & potentiæ acceſsionem; iuxta illud Geneſ. 9.
Geneſ. 9. 27. 27. *Dilatet Deus Iapheth*, hoc eſt, multiplicet, & magnificet eius prolem, atque potentiam. Quare ſenſus Dauidis eſſet: Ex hac tribulatione, quã mihi ingerunt hoſtes euaſi te auctore, in maiorem dignitatis amplitudinem. S. Bruno, refert ad iuſtitiæ Dauidis incrementum; Quaſi dicat: Cum tribulantes me, anguſtam velint, & exiguam facere iuſtitiam meam, feciſti è contrario magnam, & dilatatam.

¶ Denique magis litteræ conſentanea videtur expoſitio Hebræor. quam amplectuntur Lyran. Kampen. Vatabl. Ianſen. Montanus. Quod Dauid prædicet diuinam erga ſe clementiam; cum ex perſequutionis anguſtia eductus ſit in latum, & ſpatioſum campum lætitiæ, ob libertatẽ à tanto periculo, vt alibi in hanc eamdem ſententiam dixit. Pſal. 17. 20. *Et eduxit me in latitudinem ſaluum me fecit, quoniam voluit me.* Et ibidem; *Dilataſti greſsus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea.* Sũpta metaphora ab eo, qui ex itinere quodam anguſto, prærupto, & anfractibus pleno, in campum euadit latiſsimum, & planiſsimum dici nõ poteſt, quantopere hilareſcat, & reliquum viæ percurrat: Eodem modo fatetur Dauid ſe ingreſsum iter quoddam difficile, & præcipitijs circumdatum, tot tantarumque afflictionum ab eis diuina ope liberatum, tandem in latiſsimam, & lætiſsimam planitiem deductum fuiſſe. Baſilius

Pſal. 17. 20. *Pſalm. num. 37.*

Digitized by Google

ſilius in Scholijs dicit, duplicem fuiſſe hanc dilatationem; Tum quia fuit exauditus; Tum quia ſtatim abſque mora voti compos factus fuit; Quo nihil ipſi in tanta cordis ſui mœſtitudine, & perturbatione poterat accidere iucundius.

¶ *DILATASTI mihi.)*

HEbraiſmus, pro *Dilataſti me*, vt habet Pſalterium Romanum,& Græca Editio. Noſter interpres retinuit phraſim Hebraicam, HIRHHABTHALI, nam LI, deſeruit dãdi caſui: vel poſſumus vertere, Dilatari me feciſti. R. Dauid, dicit poni præteritum pro futuro; Cum inuocauero exaudies me, dilatabis me. Dilatatio hæc cordis, nonnumquam in Sacra Scriptura ſumitur in deteriorem partem. Prouerb. cap. 21. 4. *Exaltatio oculorũ eſt dilatatio cordis.* Quamquam in Hebræo pro *eſt*, ponitur, *Et*, Senſus eſt, ex ſuperbia, quæ ſignificatur per extollentiam oculorum naſcitur ambitio,qua peccatores,& impij ducuntur in diuitijs,& honoribus procurãdis. In Textu Græco aliter legitur,ſed fere idem eſt ſenſus: *Magnanimus,in iniuria audax.* Tãta enim eſt hominum elatorum audacia, vt in omne facinus ruant, dummodo inſatiabili deſiderio ſuo ſatisfaciant. Chald. *Exaltatio oculorum, & tumor cordis.* Aptè quidem,nam ſuperbos,& ambitioſos homines ſolemus Hiſpanicè appellare *hinchados.* Tumor eſt quædam dilatatio, hoc idem explicuit Dauid Pſal. 100. 5. *Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* Pro inſatiabili, habetur Hebraicè, VREHHAB, & dilatato corde. Explicauit optimè noſter interpres vim vocis, nam inſatiabilis plane eſt, ambitioſorum cupiditas; de qua dicit Propheta Habacuc. 2. 5. *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam,* (ideſt deſiderium ſuum.)

Prouerb. 21. 4.

Cordis dilatatio, pro ſuperbia.

Pſal. 100 5.

Habacuc. 2. 5.

Et ipſe

Et ipſe quaſi mors, & non adimpletur. Comparat inexplebilem ſuperborum appetitum, cum inferno, vel ſepulchro, & morte, quæ numquam exſaturantur.

VERSVS TERTIVS.

¶ *Miſerere mei, & exaudi orationem meam.*

QVI interpretantur ſuperiorē Verſum per imperādi modum præſentis temporis, cenſent, Dauidem adhuc periculis circumuentum, expoſcere inſtantius, verbis ſæpè repetitis. Cæteri vero per præteritum exponentes, dicunt Prophetam, qui paulò ante Deo propoſuerat iuſtitiam, & innocentiam ſuam, hoc verſiculo oſtendere voluiſſe, ſe non proprijs inniti meritis, ſed Dei miſerationi; ex qua bona omnia promanāt. Nō geſsit ſe (vt annotat Chryſoſtom.) inſtar Phariſæi illius, qui orans Deum, & gratias illi agens, virtutes, ac ſanctitatem adeò arroganter oſtentabat, vt quaſi à ſe bona illa haberet, vniuerſos homines contemnebat.

¶ Hebraicè hoc loco habetur, HHANENI VSEMAGH THEPHILLATHI, quę verba, diuerſa à ſuperioribus ſunt, etiā ſi in eumdē ſcopū tēdāt, HHANAN, ſignificat miſereri, parcere, donare. SAMAGH, audire, exaudire, obedire; Quo innuitur Dauidem cum agnoſceret ſe peccatorem, & peccandi pronitati obnoxium, Dei miſericordiam implorare, vt, & peccata remittat, & poſtulare gratiam concomitantem, ad vitanda quælibet delicta. Quare optimè D. Thom. ita hæc verba

verba explanat: Miſerere mei, peccata condonans, & exaudi orationem meam, gratiæ augmentum, & conſeruationem tribuens. Vide Chryſoſtom. hoc loco.

¶ Senſus allegoricus facilè erui poteſt, cum Chriſtus præ omnibus iuſtis, potuit dicere; Inuocantem me exaudiuit Deus; cum ſemper à Patre fuerit exauditus pro ſua reuerentia. Præterea nemo mortalium potuit iuſtitiam, & innocentiam vt Chriſtus, proponere, quia peccatum nõ fecit, nec facere potuit, quia erat impeccabilis, & omnis fons ſalutis; petit Patrem, vt ſui miſereatur, non propter ſe, quia erat *ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens*: Sed propter homines, quibus morte ſua, reconciliationem, & peccatorum remiſſionem, merebatur. Ita exponunt Patres. Hebr. 1. 3.

VERSVS QVARTVS.

¶ *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.)*

APoſtrophe ad oppugnantes, & perſequentes, quorum ſæuitiam, & proteruiam vehementer redarguit. Quaſi dicat: Cum preces meæ ad Deum numquam irritæ ſint, ſed ſemper exaudiantur; tantum ne viri nobiles, & Primarij corda veſtra odium inuaſit, vt veſtris viribus, & potentia abutentes obſtinatiſsimis animis me perſequamini, nullumque finem, aut modum veſtræ audaciæ, & malitiæ ſtatuatis?

¶ In

¶ In quos Propheta inuehatur, nõ eſt exploratum. Hebræi, quibus adhærent Aſterius, Eugubin. Vatabl. putant, ſermonem dirigi ad eos,qui ſequebantur Abſalom. Lyranus, & Incognit. ad eos,qui Sauli fauebant. Euthym. ad ſocios, & amicos, qui calamitatibus oppreſsi ſtudebãt præſentibus, ac temporarijs auxilijs de diuina ope parum, aut nihil cogitantes. Ad hos ergo Dauid inquit: Vſquequo cor veſtrum ad Deum nõ extollitis? Vſquequo animum humanis rationibus grauabitis? Et vanis diſtrahemini ſollicitudinibus? Caſsiodo. Remig. Haymo, & alij, ſermonem eſſe ad Idololatras, qui relicta veri Dei luce, falſorũ Deorum vanitatem conſectantur. Innocent. Papa in ſerm. de die Paraſceues, Alcuinus, Gloſ. Interlin. ad Iudæos; quorum tanta fuit cordis duritia, & cæcitas, vt in crucem agentes Chriſtum, Meſsiam ſuum, Barabbæ latroni nequiſsimo prætulerint. Aſterius etiam inducit bonũ latronem, his verbis Dauidis ex cruce obiurgantem, tantam Iudæorum nequitiam, & impietatem contra Chriſtum. Demũ alij, vt Auguſt. Ludolph. Dionyſ. ad omnes peccatores generatim; cum peccatum quodlibet pondus ſit grauiſsimum, cor deprimens, & ad cæleſtia diligenda inhabile reddens. Sed iſtæ expoſitiones magis videntur myſticæ, quam hiſtoricæ. Præſertim tres poſteriores.

¶ *Filij hominum.)*

Diſcrimẽ inter virum, & hominem

HEbr. BENEIS, *Filij viri.* Sic etiam trãsfert D. Hieron. Pagnin. Vatabl. Genebrar. Ianſen. Qui Hebræos ſequuti, diſcrimen conſtituunt inter has duas voces, *Adam*, & *is*, quæ hominẽ denotant; quod Adam non ſolum eſt nomen proprium primi parentis, ſed etiã appellativum; conueniens omnibus eius poſteris. Primus

mus autem homo, ita dictus, propterea quod formatus fuit ex terra rubra, nam verbum *Adam*, ſignificat rubeſcere, rufum eſſe; Vnde Exod. 28. *Odem*, appellatur lapis pretioſus Sardus, quod valde rubrum colorem referat; & ita *Adam*, ſeu terreus, idem quod homo, & *Adamah*, terra nũcupatur. IS, nomen eſt magis ſingulare, & contractum, ſignificans hominem potentem, principem, illuſtrem, robuſtum ſeu fortem. Colligitur diſcrimen hoc multis ex locis S. Scripturæ, in quibus quando de miſeris, & abiectis hominibus agitur, vſurpari ſolet nomen *Adam* vel *Enos*; quãdo de aliquo illuſtri primario, & potente verba fiunt ponitur nomen *Is*, vt Geneſ. 6. *Videntes filij Dei filias hominum.* Hebr. *Filias Adam.* Singulare pro plurali. Filios Dei, ſiue Deorum, appellat iuſtos, & Dei cultores; ex proſapia Seth: filias hominũ, perditas mulieres, ex Caino nequiſsimo progenitas. Pſ. 8. 5. *Quid eſt homo, quod memor es eius? aut filius hominis quoniam viſitas eum.* Filius hominis dicitur per contẽptum; eſtq; elegans antitheſis, nam in priore parte verſus, ponitur nomen *Enos*, hoc eſt, immemor, obliuioſus: in ſecunda parte ponitur, *filius Adam.* Quaſi dicat: Sicine, ò Deus, tanta eſt tua bonitas, atque miſeratio, vt cum ſint homines tuorum beneficiorum obliuiſcentes, tu, ipſorum nihilominus es memor? Et cum ſint miſeri, terreni, ignobiles, viliſsimi, ipſos viſitas, magnificas, ingentibus muneribus cumulas? Eadem ſententia, ac iiſdem ferè verbis habetur Iob. 7. 17. *Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Vbi ponitur vox *Enos.* Geneſ. 11. 5. *Deſcendit autẽ Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Ideſt, homines terreni, & abiecti.

Exod. 28

Gen. 6. 2.

Iob. 7. 17

Geneſ. 11. 5.

¶ IS) pro forti, ſeu potente, tàm virtutibus, quàm opibus. Plurima etiã ſunt loca, vt Geneſ. 7. ad deſcribendam

bendam

bẽdam ſummam Noe ſanctimoniam, & perfectionem, ſic dicitur: *Noe, vir* (IS) *iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, ambulauitq́; cum Deo.* Ruth. 2. Cũ eſſet depingenda maxima Booz virtus, & opulentia, dicitur.
Ruth. 2. 1. *Erat autem viro Elimelech conſanguineus, homo potens, & magnarum opum.* Hebraic. (IS.) Tandem, horum duorũ nominum diſcrimen, perſpicitur vnico verſiculo Pſal.
Pſal. 48. 3. 48. 3. *Quique terrigenæ, & filij hominũ*, Hebraic. GAM BENE ADAM GAM BENE IS. Etiam filij Adã. Etiam filij IS. Hoc eſt, tàm nobiles, & potentes, quàm pauperes, & ignobiles: Quod magis explicans ſubdit; Simul in vnum diues, & pauper. Vnde etiam apud Latinos diſcrimen conſtituitur inter virum, & hominem. Vir enim à virtute, & potentia dicitur, qui ea præſtat, ſiue clarus eſt. Hominis nomine, quicumque vulgaris, & infimo loco natus nuncupari conſueuit. Quamobrẽ Herodotus in Polyhimnia dixit: Multos eſſe homines, paucos viros. Ita etiam aſſerunt nonnulli. Ezechielem Prophetam paſsim in ſuo libro, vocitari à Deo filium hominis *Ben Adam*, cõtemptus cauſa. Quaſi huiuſmodi probro voluerit Deus ipſum deijcere, ne magnitudine reuelationum extolleretur: ſed fragilitatis, & conditionis ſuæ memor, ſe humiliaret ſub potenti manu Dei. R. Dauid aliam cauſam aſsignat magis honorificã: Quod cũ quatuor facies in animalibus viderit, hominis, leonis, bouis, & Aquilæ: Vocetur filius hominis à præcipua
Ezechiel quare filius hominis dicatur. ſimilitudine viſionis, Quaſi, vir videns hominem, idcirco non vocatur filius leonis, aut bouis, aut Aquilæ: ſicut Daniel ex deſiderio, quo tenebatur, *Vir deſideriorum* appellatus eſt. Daniel. 9. D. Hier. in 2. Ezechiel. Crebro (inquit) ad Ezechielem dicitur, filij hominis, & ad Danielem raro; quorum vterque in perſona eius, qui dixerat: Filius autem hominis, non habet vbi caput

ſuum

Digitized by Google

ſuum reclinet, captivum populum conſolatur, & retrahit ad pœnitentiam.] Origen. animaduertit Danieli, & Ezechieli in captiuitate tributum eſſe hoc epitheton in laudem, & decus, comparatione reliquorum, qui diuinæ legis obliti, in Idololatriam, & alia peccata irrueb ant; cum Daniel, & Ezechiel Deum ex toto corde coluerint, eiuſque legem obſeruauerint, idcirco merito, filij hominis cognominati ſunt, quod excellentiam naturæ hominis, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, creati conſeruarunt; cæteri vero peccatis implicati, ac ſimiles iumentis inſipientibus effecti, indigni hominis appellatione extiterunt. Et in hoc ſenſu non ineptè dici poteſt, Chriſtum per anthonomaſiam appellari filium hominis, non modo, quia verus filius fuit Adam, licet non ſecundum ſeminalem generationem, vt loquitur Auguſt. ſed etiam, quia innocens, iuſtus, & gratię donis in quantum homo cumulatiſsimus extitit, ab inſtanti ſuæ cõceptionis, vt ille ab inſtanti ſuæ creationis, quo fœliciſsimum innocentiæ ſtatum ſortitus virtutum, ac donorum ſupernaturalium infuſione locupletatus fuit. Quamquam Chriſtus incomparabiliter perfectius, cum ſolus mereatur hanc nomen claturam, tamquam ſecundus Adam, prioris ruinam inſtaurans. Sed de hac Chriſti Seruatoris noſtri cognominatione, videri poteſt inter alios Ioannes Lorinus in cap. 7. Act. verſ. 56. Origenes, Euſteuchius, Vatablus, & alij cum Hebræis dicunt, hoc loco, & alijs ſimilibus, eſſe Hebraiſmum, poniquc filios hominum, pro hominibus; Qua phraſi, etiam primus homo dici poteſt filius hominis; hoc eſt, verus homo; licet non ab alio homine genitus, vt appellantur filij pacis, pacifici, filij perditionis, perditi, filij Heth, Hethæi, &c. Geneſ. 23.

Chriſtus filius hominis quare dicitur.

Geneſ. 23.

¶ Præte-

PRæterea, *Is*, paſsim accipitur pro marito, cuius correlatiuum eſt, *Iſah*, vxor; & ſæpè etiã ſumi ſolet pro nomine collectiuo, vnuſquiſq; quilibet;& coniungitur verbo pluralis numeri. Geneſ. cap. 11. *Dixitq́ alter ad proximum ſuum.* Hebr. *Dixerunt vir*, pro dixerunt vnuſquiſque,&c. Ionæ cap. 1. *Et clamauerunt viri ad Deum ſuum.* Hebr. *Clamauerunt vir. Is*, ideſt, quilibet,&c. Deniq; non raro hæc duo nomina *Is*,& *Adam*, promiſcuè pro eodem vſurpantur. Quare Chald. hic vertit. *Filij hominis* Græci vnico verbo ad vtrumq; ſignificandum vtuntur, videlicet, *Anthropos.* Fœlix Pratenſis per *filios*, cenſet intelligi Iudæos, & per *virum*, Abraham, cuius ſe eſſe filios gloriabãtur. Quaſi voluerit Dauid ipſis in memoriam reuocare, & quaſi ob oculos ponere, virum illum præclariſsimum, à quo genus ducentes, tantopere degenerabant. Sed hæc expoſitio non placet Eugubino, quamuis fuerit etiam R. Selomonis, quod lõge petita videatur. Lyranus etiam eamdem interpretationem ſequitur, niſi quod nomen, *Is*, legit in plurali, hoc eſt, virorum, ſeu hominũ, vt in noſtra Vulgata,& Græca, per *viros*, intelligens Abraham, Iſaac, Iacob, & alios ſanctos Patriarchas, ex quibus Saul, & eius proceres deſcenderunt, æquumque erat, ſimiles ſe præbere.

Geneſ. 11. 3.
Ionæ 1. 5.

¶ *VSQVEQVO graui corde.)*

MAGNA eſt tranſlationum varietas. D. Hieron. *Vſquequo inclyti mei ignominioſe?* Hebr. *Vſquequo gloriam meam ad ignominiam, ſeu pudorem?* Ita Pagnin. Vatabl. Kampenſ. Ianſen. Montan. & omnes, qui Editionem ſequuntur Hebraicam. Eodem modo Chald. *Vſquequo honor meus ad vituperiũ?* Reliquæ Græcæ Editiones, præter LXX. *Vſquequo glorioſi mei?* Omnis hæc diuerſi-

diuerſitas orta eſt,ex varia lectione textus Hebraici,quę ſic habet: GHAD MEH CHE BODI LICHLIMAH, Ideſt, ſecundũ præſentem punctuationẽ: *Vſquequo gloriam meã ad pudorẽ, ſeu dedecus?* LXX. cum abſq; punctis, quæ multis poſt ſæculis ab Hebræis Rabbinis fuerunt excogitata, legiſse cõſtet,& verbũ CHABAD, multa ſignificet,mirandum non eſt,quod verterint; *Vſquequo graui corde?* Nam verbum Hebr. ſignificat grauare, aggrauare, honorare, glorificare, vnde nomen, CHABED, grauis,locuples,diues. Et CHABOD,gloria, honor; quamobrem LXX. legiſse potuerũt CHEBODE, *Graues*; ac D. Hieron. forſan legit CHEBODAI, ideſt, *glorioſi*, aut *inclyti mei*: Quam lectionem etiam tenent Biblia Regia. Præterea cũ litteræ BETH, & CAPH, tantam habeãt ſimilitudinem, vt ſœpè inter ſe permutentur,alteraq; pro altera accipiatur,facillimè potuit dictio LICHLIMAH, diuidi; & pro BETH, legi CAPH, & ita LEB, ſignificauit cor, & LIMAH, *Quare*, ſiue,*Vt quid*; optimèque cohærebit LXX. tranſlatio; *Graues corde*, *vt quid*, *&c.* Quam lectionem quis non videt optimã eſſe,cum LXX. & correctiora exemplaria,& maiorem in interpretãdo peritiam habuerint. Quamquam omnes translationes eundem ferè reddunt ſenſum. Quare iuxta Vulgatam noſtram, quæ eſt LXX. ſacri expoſitores per *Graues corde*, quidam intelligunt, animi duritiam,& væſaniam,in qua hoſtes perſiſtebant. Cor lapideum in Scriptura Sacra dicitur voluntas obſtinata in malo propoſito.Vnde dicunt huiuſmodi cordis grauedinem, eſſe peccatorum ſarcinam, voluntatẽ humanã ita deprimentẽ, vt eleuari ad amãda, & procuranda cœleſtia bona nequeat. Iniquitas enim apud Zachar.5.7. ſedens ſuper talentum plumbi deſcribitur,ad indicandum peccati pondus. Exod.15.10. Idcirco de Pharao- *Zacha.5. num. 7.* *Exod.15*

R

Exod. 15 10. Pharaone, & Ægyptijs legitur, quod, *Demerſi ſunt ſicut plumbum in aquis vehementibus.* Et in perſona peccatoris
Pſal. 37. 5. dicit Pſalmographus Pſal. 37. *Quoniã iniquitates meæ, ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.* Quare hoc loco is erit ſenſus: Filij viri, ideſt, viri clari, & inclyti: Quouſque cæca, & ferina, quadam cupiditate quaſi mole grauiſsima cor veſtrum aggrauari permittetis? Cõſiderate quæſo, vos eſſe homines ratione vtẽtes, ad ea quæ rationabilia ſunt ſectanda, effictos: Nolite veſtræ naturæ, & conditionis obliuiſci. Creauit namque Deus hominem rectum, & ad cœleſtia contemplanda, non ſolum corpore, ſed etiam mente erectum. Quare contra Dei propoſitum fit cum homo peccatorum pondere, cor ſuum deprimit, & terrena diligit, *Graues corde* (ait Chiſoſt.) ſunt qui ſunt craſſo corde, carnales, affixi terræ, libidine, & voluptate corupti ac marcidi, nihil enim facit cor adeò graue, vt libido, & ad ea, quæ ad hanc vitam pertinent affectio; Quod tale eſt nõ errauerit, qui cor luteum appellauerit.] Ita Chryſoſtom. Et poſt nonnulla appoſitiſsima exempla ſubdit: Quid ergo poteſt leuem animam efficere? vita admirabilis, ad nihil eorum, quæ hic ſunt aſpirare, nec pedibus ſuis quidquam alligare eorum, quę deorſum, & feruntur, & ferunt, poteſt. Ex corporibus enim alia deorſum ferri ſolent, vt lapides, & ligna, & quæ ſunt eiuſmodi; Alia verò ſurſum, vt ignis, ſpiritus, & alarum natura. Si quid ergo eorum, quæ deorſum feruntur, ei quod leue eſt, alligaueris, nulla eſt alarum, nec ſpiritus vtilitas, cum excedat, ſuperet, & vincat grauitas: Si autem hoc eſt in corporibus, multo magis in corde; Ne faciamus ergo id quod graue; ne quemadmodum nauigia, quæ multum habent ſaburræ demergatur, &c.] Hactenus Chryſoſto. & egregiè quidem vt ſolet.

¶ Qui

¶ Qui cum Hebræis legũt : *Vſquequo gloriam meam ad ignominiam?* Hunc ſenſum adhibent. Quouſque totis viribus, & odio obſtinato enitemini, vt me ex Regiæ dignitatis faſtigio in maximum dedecus, ac ignominiam deturbetis? Gloriam ſuam aiunt vocare Dauidem, Regium honorem, & poteſtatem: Vel vt notat Genebrardus, Deum ipſum, quem eodem epitheto, ſuperiore Pſalmo, compellauerat. Quaſi dicat: Vſquequo Deum, qui meus eſt honor, & decus ignominioſe veſtris iniquitatibus tractabitis?

¶ Tertia lectio Divi Hieronymi: *Vſquequo inclyti mei, ſiue glorioſi mei, ignominioſe, &c.* Hanc ſententiam continet: Quouſque ò viri proceres, & magnates mei, cum ſitis inclyti virtute, & nobilitate clariſsimi, tantam nomini atque gloriæ veſtræ, contumeliam irrogabitis, vt Regem veſtrum per ſcelus infandum perſequamini? Particula *Vſquequo*, admirationem, & exaggerationem innuit.

¶ *VT quid diligitis vanitatem, &c.)*

OSTENDIT cauſam, & rationem, tantæ grauedinis; amorem, ſcilicet, & affectionem rerum temporalium, & terrenarum, quæ vanæ fluxæ, atque fallaces ſunt prorſus, & nihil aliud præſtant, quam moleſtiam pondus, & afflictionem ſpiritus. Qui ad Idololatras, & Gentiles, ſermonem referunt, per vanitatem, & mendacium, Idola, & falſos Deos intelligunt, in quibus nulla eſt vita, nulla veritas, nulla diuinitas, ſed vanitas, & falſitas. Ex huiuſmodi expoſitoribus vnum audiamus D. Baſilium: Videtur (inquit) mihi hoc loco, de Idolorum cultu, & vita, quæ in malitia ducatur, loqui, vanum enim id quod vacuum eſt, dicitur, quod ne-

men quidem habet, rem ipſam vero non habet; apud Gẽtiles multa ſunt deorum nomina, at res ipſæ nuſquã inueniuntur.] Chryſoſt. ſimiliter exponens hæc, & de veris Idolis, à Gentilibus pro dijs habitis, & de metaphoricis Idolis, hoc eſt, vitijs, in quibus homines improbi ſuam ſpem omnem, atque fœlicitatem collocãt.

Ad Gala. 4. 20. *Philip.* 3. 19. In quo ſenſu Paul. auaritiam, Idolorum cultum appellauit, & ventrem, epulonum Deum. Vanitatem, & mendacium, idololatriam vocari in ſacris litteris, multa teſtimonia demoſtrant; quale illud eſt Ierem. cap. 16. *Ierẽ.* 16. *num.* 19. *Ad te gentes venient ab extremis terra, & dicent; Verè mendacium poſſederunt Patres noſtri, vanitatem, qua eis non profuit.* Per mendacium, & vanitatẽ intelligi Idola, patet apertè. Vndè L X X. tranſtulerunt: *Quomodo falſa poſſederunt patres noſtri Idola, & non eſt in eis vtilitas.* *Pſal.* 30. 7. Pſal. 30. *Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacue.* Et eadẽ eſt ſententia Ionæ cap. 2. *Iona.* 2. 9 *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtra.* Vbi per vanitates communiter intelligũtur Idola. *4. Regum* 17. 15. Vt etiam 4. Reg. 17. *Secutiq́; ſunt vanitates, & vanè egerunt*, Ideſt, falſos deos coluerunt, nihil inde vtilitatis reportantes.

¶ Alij aliter verba hæc interpretãtur. Sed magis ad litteram, & Dauidis inſtitutum videtur. Quam afferunt Euthym. Vatabl. Ianſen. Kampenſ. Montan. per vanitatem, & mendacium, ſignificari, iniqua hoſtium conſilia, & ſtudia: Quæ futilia, & inania nulloque veritatis fundamento nixa, ſuo fine erant fruſtranda. Eſt namq; in eodem ſenſu accipienda dictio Hebraica R I K, quæ hoc loco ponitur, ſicut in 2. Pſ. verſ. 2. Vbi ſimiliter ſermo fit, de huiuſmodi conatibus, & ſtudijs impiorũ contra Dauidẽ, ſeu Chriſtum: in alijs verò locis S. Scripturæ, ad denotandum Idolorum falſitatem, & vanitatẽ, non ponitur R I K, ſed H E B E L, vt paſsim videre eſt.

¶ Vt

Digitized by Google

¶ *VT quid diligitis, &c.)*

IN Hebræo eſt futuri temporis. *Vt quid diligetis vanitatem, & quæretis mendacium?* Et ita vertunt Pagnin. Tiguri. Kampen. Chald. Paraphr. Quo magis obſtinatus animus inimicorum oſtenditur. Quamobrē additur vox Hebræa SELAH, quam D. Hierony. Aquilā ſequutus, transfert, *Semper*, de cuius notæ ſignificatione ſuperius fuſe diximsu. Et hoc loco poteſt ſignificare animaduerſionem maximam. Quaſi dicat; O indignum facinus! D. Hier. in cōmentar. putat SELAH, vbicumque ponitur, non ſolum ad præſens tempus, verum ad æternum, vel quod præceſsit, vel quod ſequitur pertinere. Vnde non male dixerimus hìc poni ob magnam in obſtinatione futuram, inimicorum Dauidis durationem.

VERSVS QVINTVS.

¶ *Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dn̄s exaudiet me cum clamauero ad eum.*

DIVVS Hierony. *Et cognoſcite, Quoniam mirabilem reddidit Dominus ſanctum ſuum.* Duas alias hoc verſu rationes aſsignat Propheta, ad hoſtes ſuos à nefario inſtituto reuocādos: Alteram, quod notum illis eſſe debebat, ſe illuſtriſsimum nomen, & ſtatum à Deo fuiſſe cōſequutum, innumeris ingentibuſque donis, & beneficijs decoratum: ac ſemper luculentiſsimis argumentis apparuiſse, quam eſſet

Digitized by Google

Deo charus, vt conſtare potuit ex mirifica electione, facta, Deo reuelante, per Samuelem, cum ex paſtore ouium ad regnum ſublimatus fuit. Deinde ex celeberrima, mirabilique victoria, quam in ſingulari certamine, de fortiſsimo Goliath reportauit, ob quam ouans à toto Ieroſolymitano populo acceptus, cum maximo triumpho, victor acclamatus fuit. Tertio, ex alijs victorijs multis, quas ex Philiſtæis retulit. Quarto, ex varijs perſequutionibus, quas ab inimico Rege Saule pertulit, & Deo manifeſtè illi fauente, euaſit liber. Tandem ex vltione, quam in Saule Deus exercuit, dum eum miſerrimè, in bello perire permiſsit: Ipſeque Dauid pacificè regni gubernacula obtinuit. Quæ omnia fusè in 1. & 2. Reg. libris recenſentur. Altera ratio, Quod experimento ſciebat, certuſque erat, ſe in quocumque diſcrimine, à Domino exauditũ iri; & idcirco in præſenti, pacato eſſe animo, & nihil mali ſibi ab hoſtibus pertimeſcere. Senſus ergo eſt: Quam ſint fallacia, & vana omnia veſtra conſilia, & ſtudia cõtra me, vel hinc cognoſcere poteſtis, quod me Deus ſemper honorib' plurimis inſigniuit; victorem in omnibus bellis conſtituit; atque ſpem dedit certiſsimam in quacumq; afflictione clamorem meum ab eo eſſe exaudiendum. Quare, tantum abeſt, vt mihi veſtris conatibus noceatis, vt potius honoratior, illuſtriorq; euadam.

¶ *ET ſcitote.*)

CAſsiodor. Heſich. Remig. Ludolph. Hugo Cardinal. Iacob. de Valentia hunc verſum de Chriſto, nõ de Dauide, ad litteram interpretãtur. Nam Chriſtus eſt veriſsimè, & perfectiſsimè ſanctus, immo Sanctus ſanctorum; omnino impeccabilis, atque à ſe ipſo, & in ſe ipſo habens plenitudinẽ gratiæ, & ſanctitatis; & tamquam

quàm caput eam omnibus impertiens; quem Pater clariſsimum, admirabilemq́; effecit in omnibus operibus. Tum etiam nomen eius, tam illuſtre, ac potens eſt, vt per illud omnia bona conſequi valeamus, Patrem orantes. Quamobrem ſubdit Dauid; *Dominus exaudiet me cũ clamauero ad eum.* Ideſt, cum talem, ac tantum habeam iuxta Patrem aduocatũ, quid quid in nomine eius petiuero, proculdubio impetrabo. Sed communior, & verior ſententia eſt, ad Dauidem, iuxta ſenſum hiſtoricũ hunc verſum pertinere. Ipſum enim, vt diximus, miris, ampliſsimisque fauoribus, & amoris ſignificationibus, Deus clariſsimũ reddidit, & in culmine dignitatis collocauit. Quod autem ſe ſanctum appellet, non eſt ei vitio dandum: Nam præterquam quod, ſanctus, alias habet ſignificationes, vt videbimus, vult Dei erga ſe miſericordiam extollere, qui eum, peccatis cõdonatis, in gratiam ſuam iterum recepit, & ex peccatore ſanctũ effecerit. Et his verbis propulſat falſam inimicorũ calumniam, dicentium, eum iam propter peccata, Deo inuiſum eſſe: & idcirco nullam ſalutis ſpem habere poſſe.

¶ Allegoricè, dicimus, Chriſto proprius, & perfectius quam Dauidi, hæc omnia competere, vt patet.

¶ *ET ſcitote.)*

DIVVS Thom. annotat particulam, *Et*, cum ſit principium ſententiæ, & præceſſerit vox Hebræa SELAH; quam diximus eſſe notam quieſcentis vocis, continuari conceptui interno Prophetæ; iuxta doctrinam D. Gregorij ſuper cap. 1. Ezech. Quod etiam Auguſt. hoc loco obſeruat. *Quamquam* fateatur cum Origene, Oecumenio, & alijs linguæ ſanctæ peritis, plerumque apud Hebr. ſuperfluam eſſe; Nihilque ha-

Digitized by Google

bere ſignificationis,aut connexionis cum præcedentibus. De quo etiã nos in cap. 1. Ionæ egimus. Matthias Bredembach. docet hoc loco coniunctionem, *Et*, vt ſæpè apud Hebr. vim habere aduerbij eligẽdi,aut certè aduerſandi, illi,quod præceſsit. Nam ſenſus eſt: Quin potius ſcitote, quoniam, &c. Vatabl. aliquid eſſe ſubaudiendum ante hæc verba,vt: *Recipiſcite,& ſcitote,&c.*

¶ *Quoniam mirificauit Dominus.)*

CHald. Pagnin. Tiguri. Kampen. *Quoniam ſeparauit, ſeu ſegregauit Dñs.* Nam Hebraicè ita habetur H I P H L A H, verbum Hebræum PALAH, in cõiugatione H I P H I L aiunt ſignificare idem, quod diuidere, ſeligere, ſeparare aliquid tamquam excellens, & eximium, ad aliquod præſtantiſsimum opus, ſeu miniſterium. Quam ſignificationem ſequuti ſunt quoque Rabbini,teſte Eugubino,Aben Ezra dilucidat per verbum, H I B D I L, ideſt, diuiſit, ſegregauit. Kimhi,per verbum H I P H L A H, *ſeparauit.* Nec videtur incongrua huiuſmodi expoſitio, inſtituto Dauidis, qui in hoc valdè admirabilis extitit,quod ipſum,fratrum omnium ſuorum minimum,in agro deliteſcentẽ, oues paternas paſcentem, & nihil tale cogitantem, ſelegerit,& ſeparauerit Deus, in Regem populi ſui. Quod, idem

Pſal. 77. 70. prædicat ſummis laudibus Pſal. 77. 70. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum,& ſuſtulit eum de gregibus ouium,de poſt fœtantes accepit eum,paſcere Iacob ſeruũ ſuum,* &c. Et Paul.

Ad Gala. 1. 15. ad Galat. cap. 1. 15. Eodem modo diuinam erga ſe miſericordiã extollit. *Cum autẽ placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ,& vocauit per gratiã ſuam,&c.* Vnde

Roman. 1 Rom. 1. vocatſe, *Segregatum in Euangelium.* Sed melior, & ſignificantior eſt verſio LXX. *Mirificauit.* Inſignem, & celebrem me fecit, admirandis in me collatis beneficijs.

Digitized by Google

tijs. Nam H I P H L A H, etiam ſignificat, mirabilē facere, mirificare. Et littera, H E, ponitur pro A L E P H, ex conſuetudine linguæ Sanctæ, in qua litteræ H E, H E V I ſæpè permutantur. Præterquam quod verbum P A L A H, tam cum A L E P H, quam cum, HE, radicali, eaſdem habet ſignificationes. Et hoc eodem verbo in eadem ſignificatione alibi vtitur Pſalmographus Pſal. 16. 7. *Mirifica miſericordias tuas.* Pſal. 30. *Quoniā mirificauit miſericordiam ſuam mihi.* Vbi eſt P A L A H, hoc eſt, inſigniuit, mirabilem fecit; Aliqui interpretantur, *Segregauit miſericordiam ſuam.* Sed idem eſt ſenſus; Quia quod ſegregatur à cōmuni ordine, ſeu conſuetudine, mirabile dici ſolet. Pſalterium Romanū habet: *Quoniam magnificauit Dominus ſanctum ſuum.* Et eadem eſt vocis energia.

Pſal. 16. 7.
Pſal. 30.

¶ *SANCTVM ſuum.*)

HEbraic. H H A S I D L O, hoc eſt, *Miſericordem ſuum.* Ita Chald. *Miſericordē ſibi.* Tigurina, Pagnin. Kampen. Flāmi. *Bonum ſibi.* Hiero. *Sanctum ſuum.* Vox Hebr. HHASID, ſignificat miſericordem, beneficum, liberalē. Et H H E S E D, eſt miſericordia, pietas, liberalitas, ſanctitas. Hinc aſſerūt Hebraicæ linguę periti fieri nomen HHASDAH, quod ſignificat Ciconiam, quia pietatem, & beneficentiā erga parentes exercet. Pſal. 103. iuxta lectionem Hebraicam: *Ciconiæ abietes domus eius.* LXX. *Herodij.* D. Hieron. *Milui.* Et Iere. 8. 7. *Turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui.* Zachar. 5. *Quaſi alas Milui.* In Hebręo, *Ciconiæ*, Vbique eſt Hebraica vox, H H A S D A H, Ciconiæ. D. Hierony. ferè vbique Miluus albus transfert: Quia huic aui, innata eſt quædā pietas, & affectio erga ſocias, ſeu comites. Vide Theſaurū linguæ ſanctæ. Anno-

Pſal. 103
Ierem. 8. 7.
Zacha. 5.

Digitized by Google

Annotant aliqui à voce Hebræa HHASID, deriuari appellationem Aſsidæorum, qui ad religioſam ſectam inter Iudæos pertinebant. Et forſan eorum profeſsio, erat operibus pietatis, & miſericordiæ præcipuè incũbere. De quibus quamquam nulla ſit mentio in Euangelijs, ſcribunt Philo libro, quod ſapiens ſit liber. Ioſeph. lib. 13. antiq. cap. 9. & lib. 18. cap. 2. & lib. 2. de bell. cap. 7. Euſeb. lib. 2. hiſtor. cap. 16. & 8. de Præparat. cap. 4. Epiph. cont. hæreſ. 29. Chryſoſt. hom. 71. in Matth Ex recentioribus Baron. in Annal. anno Chriſti 64. Serarius in comment. Machab. tom. 2. pag. 728. & ſequentibus.

¶ Videtur Dauid proponere ante Dei oculos, ſuam in hoſtes pietatem, & dilectionem; quos perdere cum poſset, multis potius affecit beneficijs. Hæc certè in eo virtus enituit; charitas in eos, qui ipſum odio habebãt, & perſequebantur; vt teſtatur Pſal. 119. 6. *Cum ijs, qui oderunt pacem eram pacificus; cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Pſal. 7. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala decidã merito ab inimicis meis inanis.* Maximo enim iure pollet ad diuinam miſericordiam impetrãdam, qui in proximos ſuos, etiam inimicos miſericors eſt. Iuxta diuinam Chriſti promiſsionem, Matth. 5. 7. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Quo alluſit etiam Pſalmographus, Pſal. 17. 26. *Cum ſancto ſanctus eris.* Vbi in Hebræo, eſt eadem vox HHASID, *Cum miſericorde, miſericordiam facies.* Inſignia pietatis, & benignitatis exempla, atq; facinora, non ſolum in amicos, ſed etiam in inimicos à Dauide edita, manifeſta ſunt ex ſacris litteris, quibus tantopere diuinam miſericordiam promeruit, vt vir ſecundum cor Dei dicatur. Sicut enim diuinæ eſſentiæ præſtantia, atq; magnitudo, in hoc potiſsimum perſpicitur; quod miſericordia,

Pſal. 119 6. *Pſal. 7. 5.* *Matt. 5. 7.* *Pſal. 17. 26.*

dia,& clementia erga peccatores vtitur: *Solẽ ſuum oriri* Matt. 5.
faciens ſuper bonos,& malos,& pluens ſuper iuſtos,& iniu- 45.
ſtos; immo ipſos peccatores, ſimulatque ingemuerint, in gratiam admittens; ita nihil eſt,quod in nobis magis ipſi placeat, quã pietas, & amor erga proximos. Quare Chriſtus ad hoc nos vehemẽter adhortatur: *Eſtote ergo* Luca. 6.
miſericordes, ſicut & Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. 36.

¶ Quia etiam HHASID, ſignificat ſanctum, probũ; idcirco non ſolum hoc loco,ſed vbicumq́; in ſacris litteris ponitur, vertitur à LXX. & D. Hierony. per *ſanctum*. Quę vox ſignificantior eſt,& generalior,vt paſsim videre eſt. Sunt qui cum Caiet. per HHASID, *gratioſum*, interpretantur, hoc eſt,gratis benefacientem, ſiue gratia plenum, ad eam alijs communicandam. Quod in idem recidit. Relativum, *lo*, poteſt eſſe in dandi caſu, *ſibi*, vt vertit Chald. Hoc eſt; *in ſui gloriam,& clientelã*. Ita multi exponunt.

¶ *Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.)*

TAnto pignore exornatus (quanta erat, pietas, & miſericordia erga proximos:) Secure audet dicere, ſe exaudiẽdum à Deo miſericordiarum Patre, quotieſcumque ad eum clamauerit, implorauitq́; eius auxilium. Clamor, indicat præcipuè cordis affectum, nõ vocis contentionem, aut exteriorem vociferationem. Qualis erat Moſis oratio: cui Deus nihil ore proferẽti dixit Edod. 14. *Quid clamas ad me?* Quamquam etiam oretenus clamaſſe Dauidem, probabile exiſtimo. D. Exod. 14
Athanaſ. dicit poni hic futurũ pro præterito; *Exaudiet*, 15.
pro, *exaudiuit*. Sed præſtat futurum tempus, vt firma Dauidis ſpes oſtendatur, qui iam in principio Pſalmi ſe exauditum à Deo profitetur.

¶ VER-

VERSVS SEXTVS.

¶ *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris cōpungimini.*

ALTERVM Prophetæ documentum: *Quo* monet, iram malorum omnium radicem, & originem, eſſe comprimendam; enitendumq́; ne ea in lethalis culpę pręcipitiū trahat. Cum autem duobus modis aliquem iraſci abſque peccato contingat: Primo, Quando iniuria laceſsitus, ſiue quomodolibet læſus ab alio, in eum ira concitatur, ex quadam mentis perturbatione ſubita, ſeu impetu, quem, primum motum appellamus, cui voluntas poſtmodum non acquieſcit, ſed reprimit vel potius repellit: Secundo modo, Quādo quis in peccatores animaduertit, eos corripiendo, & puniendo, non appetitu vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ. Qui modus iraſcendi competit Iudicibus, & Prælatis, ad quorum munus ſpectat paci publicæ, & ſubditorum ſaluti proſpicere. Quo pacto etiā Deo, ſupremo iudici, ac Domino iram tribuimus, vt paſsim videre eſt in ſacris litteris: Non quod in Deum aliqua poſsit cadere mutatio, aut mētis perturbatio, ſed quod iuſte, peccatores puniat & caſtiget, & ita non affectiuè, ſed effectiuè à Theologis iraſci dicitur. Similiter legimus Exod. 16. Iratum Moyſem in eos Iſraelitas, qui cōtra Dei præceptum, Māna collectum in poſterum diem reſeruauerant. Et cap. 32. Idem Moyſes iracundia vehementi motus fuit cōtra populum Hebræum ob adorationē vituli aurei, cum proiectas è manibus tabulas,

Deus quomodo ireſcatur.

Exod. 16

Exod. 32

Dei

Dei digito exaratas, ad montis radicem alliſas, confregit: Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſsit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aqua; & dedit ex eo potum filijs Iſrael.] Sic Phinees Num. 25. Elias. 3. Reg. 18. Matatthias. 1. Machab. cap. 2. Petrus Apoſtol. Act. cap. 5. in peccatores, & Dei cōtemptores acriter irati, eos mortis ſupplicio affecerunt. Adhunc modū iræ, pertinet ille, quo peccatores verè pœnitentes contra ſeipſos commouentur; & peccata ſuà proprij corporis maceratione puniunt; pro Deique honore vlciſcuntur. De his iraſcendi modis, Dauidē hoc loco agere, Patres exiſtimant. Sed plurimi ad priorem potius inclinant, vt Origenes, Ambroſ. Auguſt. Theodoret. Euſebi. Caſsiodor. Euthym. Et perpendit Origenes verbum *Iraſcimini*, non eſſe imperātis modi, ſed indicantis: Abſurdum enim (inquit) eſſet Prophetam, vt turbaremur, imperare, ſed indicantis modus eſt, per inde, ac ſi dicat: Si vobis turbari aliquando contingat, ne peccetis.] Hunc ſenſum videtur ſequi D. Paul. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. Vbi adhortans eos ad pacem, & vnitatem ſeruādam, quam ſolet corrumpere nimia iracundia, omnium diſsidiorum mater; adducit hoc teſtimonium; *Iraſcimini, & nolite peccare. ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quaſi dicat: Si fortè accidat ex humana fragilitate vos iraſci in proximum; cauete ne per conſenſum, iram huiuſmodi foueatis; aut ſaltem ne ſi aliquis conſenſus acceſserit, diu illam retineatis, ſed ſtatim ex veſtris animis expellite, ita vt ante ſolis occaſum deponatis.

Num. 25
3. *Regum* 18.
1. *Mach.* 2.
Act. 5.
Epheſ. 4. 25.

¶ At verò, quia verbū, *Iraſcimini*, vt ex Textu Hebræo conſtat, eſt imperantis modi; nonnulli cenſent, intelligēdum eſſe, de ira iuſta, & licita, qualis eſt quam concipiunt, & excercent Iudices, Prælati, Domini, Patres,

tres, & magiſtri in ſubditos; atque etiam peccatores pœnitẽtes in ſe ipſos, propter Deum ſummè dilectum. Quam iram ita eſſe temperandam monet Regius Propheta, vt rationis, & iuſtitiæ metas non tranſgrediatur. Ita ſentiunt Auguſtin. Gregor. Beda, Theophylactus, Thom. Lyran. Idque Paulum aiunt ſignificare voluiſſe, cum ait: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Ideſt; Ne ſupra modum iracundia veſtra exardeſcat, ita vt rationis lumen in vobis extinguatur. Sed hæc, proprior, & germanior interpretatio videtur. Nec obſtat eſſe modi imperantis verbum, *Iraſcimini*, cum nõ propterea præcipiatur ira illicita, ſed permittatur motus primus, quẽ ratio impedire, aut anteuertere nequit. Eſtque figura Mimeſis, qua aliquid malum, ſeu inutile, aut indecens præcipimus, ſeu verius permittimus, quod fieri nollemus. Vt illud Didonis ad Æneam. 4. Æneid.

I, ſequere Italiam ventis, &c.

Ioan. 13. 27. Et Chriſti ad Iudam; *Quod facis fac citius.* Ioan. 13. 27. Et ad Phariſæos: *Implete menſuram patrum veſtrorum.*

Matt. 23 Matth. 23. Illi ſiquidem ad quos hæc verba facit Propheta, vidẽtur eſſe ſocij, & milites, qui eius partes tuebantur; quos cum ira excandeſcere, & concitari videret, contra perſequutores; conatur pro ſua eximia humanitate, & benignitate eiuſmodi iracundiam compeſcere, & moderari; ne in proximorum odium, & nocẽdi ſtudium prorumperent. Quaſi diceret: Permitto vobis iraſci contra hoſtes, quod naturæ eſt fragilis; ſed prohibeo odium, quod eſt contra charitatem. Vel erit ſenſus: Neceſſe eſt, vt iraſcamini contra peccatores, ſeu potius peccata, id tamen fiat zelo iuſtitiæ non appetitu vindictæ. Quamquam, vt aliqui putant poteſt hæc oratio dirigi ad inimicos, monendo, vt iram iniuſtam deponant

Digitized by Google

ponant; nec velint vlterius proferre; ſed per noctis otium, & quietem peccato ſuo agnito, & perpenſo, dũ cubantes in lectis, conſcientiæ ſtimulis agitantur, ad meliorem mentem redeant, compungantur, pœnitentiam agant.

¶ Paul. Burgenſ. (vt ſupra diximus) exiſtimat Pſalmum hunc fuiſſe compoſitũ cõtra idololatras, aſſeritq́; verſus huius verba, fieri ad philoſophos huius mundi; qui ratione naturali edocti, vnum tantũmodo eſſe Deũ profitebãtur;& ipſos monet noſter Vates: vt Gentilibus plurium deorum cultoribus, ſuccenſeant; quod naturalem Philoſophiam, per quam verus Deus cognoſcitur, deſpiciant. Perinde ac ſi diceret: O vos mundi ſapiẽtes, qui Dei vnius, ac veri notitiam, adepti eſtis: Iraſcimini contra idola colentes, quibus eadem cognitio cum vobis communis eſſe deberet: cauete tamẽ ne eorum peccati participes efficiamini, non audentes, ſeu negligentes veritatem palam, & libere confiteri. Hæc vero expoſitio Burgenſis longius petita videtur.

¶ *Iraſcimini, & nolite peccare, &c.)*

HEbraicè RIGZVVEAL THEHHETAV: *Contremiſcite, & non peccabitis* Aut: *Ne peccetis.* Chald. *Contremiſcite ab illo, & ne peccetis.* Quam interpretationem ſequuntur Rabbini ferè omnes, & etiam Tigurina, Kampenſ. Montanus, Pagnin. Caiet. Quaſi Dauidis inſtitutum fuerit, perſequutores ſuos, & peccatores quoslibet, diuinæ vltionis timore deterrere, & à peccatis reuocare: Attamen; quia verbum, RAGAZ, non ſolum ſignificat tremere, pauere, conturbari, commoveri, ſed etiam iraſci, excandeſcere; optimè Græca Editio transtulit ORGIS ESTE; *iraſcimini*; Qualiter etiam doctiſsimè vertit Divus Hiero. ex He-

Hebræo. Quamobrem omnes hos ſenſus, littera capit. Monemur enim ne iræ fræna laxemus; ſed eam, ſi illicita fuerit, ſtatim extinguamus, ne in aliquod peccatũ nos præcipites dedat: ſi licita, eã moderemur, ne æquitatis, & iuſtitiæ metam tranſiliat: ſemper ob oculos habentes terribile illud Dei tribunal, à quo ſumus iudicandi.

¶ *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris, compungimini.)*

TErtium valdè vtile documentum, quo monemur, quotidie conſcientiam noſtram conuenire, & ad trutinam expendere; vt cognoſcentes, qua in re à nobis peccatum ſit, ſtatim per veram pœnitentiam expietur. Hæc non ſolum vtilis, ſed neceſſaria ſemper viſa fuit exercitatio, ijs, qui ſpirituali ſaluti, & profectui ſtudent, ſæpius conſcientiam examinare, & piæ compunctionis, & pœnitentiæ lacrymis peccata eluere: exem-
Pſal. 6. 7. plo ipſiuſmet Dauidis de ſe teſtantis Pſal. 6. 7. *Laboraui in gemitu meo lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus.* Quibus innuit quàm acriter in ſua peccata animaduerteret, cum ſingulis noctibus ea expendens vehementi dolore transfixus frequentibus gemitibus indulgere, & profuſis lacrymis ſtratum ſuum madefa-
Pſal. 76. 7. cere cogeretur. Huc etiam ſpectat, quod ait Pſal. 76. *Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Quod de conſcientiæ diſcuſsione, & cordis compunctione ſacri expoſitores intelligunt. Nec à viris pijs, & ſanctis ſolum, ſed etiã ab ipſis Ethnicis auctoribus, hæc ſalutaris exercitatio edocta, & litterarum monumentis tradita fuit; vt videre eſt, apud Cice-

Ciceronem lib. de ſenectute, docentem: Veſpere cō-memorādum, quid interdiu feceris, audieris, dixeris.] De Pyrrhone Elienſi narrat Laërtius: Quod ſolus ſecū loquēs, & vitæ anteactæ à ſe rationē repoſcens, interrogatus, quid ageret, reſpōdit: Meditor, bonus vt ſim. Sextium, teſtatur Seneca, tranſacto die cum ſe quieti dare vellet, ſolitum, animum ſuum interrogare; Quidnam in virtute profeciſſet: quidvè à recto defeciſset. Hanc quotidianam conſcientiæ diſcuſsionē, iuxta Pythagoræ dogmata, docet egregium illud epigramma, cui titulus eſt; Vir bonus, inter opuſcula Virgilij collocatum, quo depinguntur boni viri ſtudia, & actiones, & inter alia ſic canitur.

Examen conſcientiæ valdè vtile.

NON prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei:
Quæ prætergreſſus, quid geſtū in tempore: quid nō
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit, miſeratus egentem
Cur aliquem fracta non ſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret, vtile honeſto
Cur malus antetuli? nunc dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit? ſic dicta & facta per omnia:
Ingrediens, ortoque à veſpere cuncta reuoluens
Offenſus prauis, dat palmam, & præmia rectis.

¶ Sic Virgil. ſeu quiſquis auctor eius Epigrammatis, extitit. Et quidem eleganter. Quamobrē noſter Poëta,

 ac Pro-

Digitized by Google

bere ſignificationis, aut connexionis cum præcedentibus. De quo etiã nos in cap. 1. Ionæ egimus. Matthias Bredembach. docet hoc loco coniunctionem, *Et*, vt ſæpè apud Hebr. vim habere aduerbij eligẽdi, aut certè aduerſandi, illi, quod præceſsit. Nam ſenſus eſt: Quin potius ſcitote, quoniam, &c. Vatabl. aliquid eſſe ſubaudiendum ante hæc verba, vt: *Recipiſcite, & ſcitote, &c.*

¶ *Quoniam mirificauit Dominus.)*

CHald. Pagnin. Tiguri. Kampen. *Quoniam ſeparauit, ſeu ſegregauit Dñs.* Nam Hebraicè ita habetur H I P H L A H, verbum Hebræum PALAH, in cõiugatione H I P H I L aiunt ſignificare idem, quod diuidere, ſeligere, ſeparare aliquid tamquam excellens, & eximium, ad aliquod præſtantiſsimum opus, ſeu miniſterium. Quam ſignificationem ſequuti ſunt quoque Rabbini, teſte Eugubino, Aben Ezra dilucidat per verbum, H I B D I L, ideſt, diuiſit, ſegregauit. Kimhi, per verbum H I P H L A H, *ſeparauit.* Nec videtur incongrua huiuſmodi expoſitio, inſtituto Dauidis, qui in hoc valdè admirabilis extitit, quod ipſum, fratrum omnium ſuorum minimum, in agro deliteſcentẽ, oues paternas paſcentem, & nihil tale cogitantem, ſelegerit, & ſeparauerit Deus, in Regem populi ſui. Quod, idem

Pſal. 77. 70. prædicat ſummis laudibus Pſal. 77. 70. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruũ ſuum,* &c. Et Paul.

Ad Gala. 1. 15. ad Galat. cap. 1. 15. Eodem modo diuinam erga ſe miſericordiã extollit. *Cum autẽ placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiã ſuam, &c.* Vnde

Roman. 1 Rom. 1. vocatſe, *Segregatum in Euangelium.* Sed melior, & ſignificantior eſt verſio LXX. *Mirificauit.* Inſignem, & celebrem me fecit, admirandis in me collatis beneficijs.

Digitized by Google

tijs. Nam H I P H L A H, etiam ſignificat, mirabilē facere, mirificare. Et littera, H E, ponitur pro ALEPH, ex conſuetudine linguæ Sanctæ, in qua litteræ H E, H E V I ſæpè permutantur. Præterquam quod verbum P A L A H, tam cum A L E P H, quam cum, HE, radicali, eaſdem habet ſignificationes. Et hoc eodem verbo in eadem ſignificatione alibi vtitur Pſalmographus Pſal. 16. 7. *Mirifica miſericordias tuas.* Pſal. 30. *Quoniā mirificauit miſericordiam ſuam mihi.* Vbi eſt P A L A H, hoc eſt, inſigniuit, mirabilem fecit; Aliqui interpretantur, *Segregauit miſericordiam ſuam.* Sed idem eſt ſenſus; Quia quod ſegregatur à cōmuni ordine, ſeu conſuetudine, mirabile dici ſolet. Pſalterium Romanū habet: *Quoniam magnificauit Dominus ſanctum ſuum.* Et eadem eſt vocis energia. Pſal. 16. 7. Pſal. 30.

¶ *SANCTVM ſuum.)*

HEbraic. H H A S I D L O, hoc eſt, *Miſericordem ſuum.* Ita Chald. *Miſericordē ſibi.* Tigurina, Pagnin. Kampen. Flāmi. *Bonum ſibi.* Hiero. *Sanctum ſuum.* Vox Hebr. HHASID, ſignificat miſericordem, beneficum, liberalē. Et H H E S E D, eſt miſericordia, pietas, liberalitas, ſanctitas. Hinc aſſerūt Hebraicæ linguę periti fieri nomen HHASDAH, quod ſignificat Ciconiam, quia pietatem, & beneficentiā erga parentes exercet. Pſal. 103. iuxta lectionem Hebraicam: *Ciconiæ abietes domus eius.* LXX. *Herodij.* D. Hieron. *Milui.* Et Iere. 8. 7. *Turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui.* Zachar. 5. *Quaſi alas Milui.* In Hebręo, *Ciconiæ*, Vbique eſt Hebraica vox, H H A S D A H, Ciconiæ. D. Hierony. ferè vbique Miluus albus tranſfert: *Quia huic aui, innata eſt quædā pietas, & affectio erga ſocias, ſeu comites.* Vide Theſaurū linguæ ſanctæ. Pſal. 103. Ierem. 8. 7. Zacha. 5.

Anno-

Digitized by Google

Annotant aliqui à voce Hebræa HHASID, deriuari appellationem Aſsidæorum, qui ad religioſam ſectam inter Iudæos pertinebant. Et forſan eorum profeſsio, erat operibus pietatis, & miſericordiæ præcipuè incũbere. De quibus quamquam nulla ſit mentio in Euangelijs, ſcribunt Philo libro, quod ſapiens ſit liber. Ioſeph. lib. 13. antiq. cap. 9. & lib. 18. cap. 2. & lib. 2. de bell. cap. 7. Euſeb. lib. 2. hiſtor. cap. 16. & 8. de Præparat. cap. 4. Epiph. cont. hæreſ. 29. Chryſoſt. hom. 71. in Matth Ex recentioribus Baron. in Annal. anno Chriſti 64. Serarius in comment. Machab. tom. 2. pag. 728. & ſequentibus.

¶ Videtur Dauid proponere ante Dei oculos, ſuam in hoſtes pietatem, & dilectionem; quos perdere cum poſſet, multis potius affecit beneficijs. Hæc certè in eo virtus enituit; charitas in eos, qui ipſum odio habebãt, *Pſal. 119 6.* & perſequebantur; vt teſtatur Pſal. 119. 6. *Cum ijs, qui oderunt pacem eram pacificus; cum loquebar illis impugnabant me gratis.* *Pſal. 7. 5.* Pſal. 7. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala decidã merito ab inimicis meis inanis.* Maximo enim iure pollet ad diuinam miſericordiam impetrãdam, qui in proximos ſuos, etiam inimicos miſericors eſt. Iuxta *Matt. 5. 7.* diuinam Chriſti promiſsionem, Matth. 5. 7. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Quo *Pſal. 17. 26.* alluſit etiam Pſalmographus, Pſal. 17. 26. *Cum ſancto ſanctus eris.* Vbi in Hebræo, eſt eadem vox HHASID, *Cum miſericorde, miſericordiam facies.* Inſignia pietatis, & benignitatis exempla, atq; facinora, non ſolum in amicos, ſed etiam in inimicos à Dauide edita, manifeſta ſunt ex ſacris litteris, quibus tantopere diuinam miſericordiam promeruit, vt vir ſecundum cor Dei dicatur. Sicut enim diuinæ eſſentiæ præſtantia, atq; magnitudo, in hoc potiſsimum perſpicitur; quod miſericordia,

Digitized by Google

dia,& clementia erga peccatores vtitur: *Solē ſuum oriri* Matt. 5.
faciens ſuper bonos,& malos,& pluens ſuper iuſtos,& iniu- 45.
ſtos; immo ipſos peccatores, ſimulatque ingemuerint, in gratiam admittens; ita nihil eſt,quod in nobis magis ipſi placeat, quā pietas, & amor erga proximos. Quare
Chriſtus ad hoc nos vehemēter adhortatur: *Eſtote ergo* Luca. 6.
miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt. 36.

¶ Quia etiam HHASID, ſignificat ſanctum, probū; idcirco non ſolum hoc loco,ſed vbicumq; in ſacris litteris ponitur, vertitur à LXX. & D. Hierony. per *ſanctum*. Quę vox ſignificantior eſt,& generalior,vt paſſim videre eſt. Sunt qui cūm Caiet. per H H A S I D, *gratioſum*, interpretantur, hoc eſt, gratis benefacientem, ſiue gratia plenum, ad eam alijs communicandam. Quod in idem recidit. Relativum, *lo*, poteſt eſſe in dandi caſu, *ſibi*, vt vertit Chald. Hoc eſt; *in ſui gloriam,& clientelā*. Ita multi exponunt.

¶ *Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.)*

TAnto pignore exornatus (quanta erat, pietas, & miſericordia erga proximos:) Secure audet dicere, ſe exaudiēdum à Deo miſericordiarum Patre, quotieſcumque ad eum clamauerit, implorauitq; eius auxilium. Clamor, indicat præcipuè cordis affectum, nō vocis contentionem, aut exteriorem vociferationem. Qualis erat Moſis oratio: cui Deus nihil ore proferēti dixit Edod. 14. *Quid clamas ad me?* Quamquam etiam
oretenus clamaſſe Dauidem, probabile exiſtimo. D. Exod. 14
Athanaſ. dicit poni hic futurū pro præterito; *Exaudiet*, 15.
pro, *exaudiuit*. Sed præſtat futurum tempus, vt firmā Dauidis ſpes oſtendatur, qui iam in principio Pſalmi ſe exauditum à Deo profitetur.

¶ VER-

VERSVS SEXTVS.

¶ *Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris cõpungimini.*

ALTERVM Prophetæ documentum: Quo monet, iram malorum omnium radicem, & originem, eſſe comprimendam; enitendumq; ne ea in lethalis culpę pręcipitiũ trahat. Cum autem duobus modis aliquem iraſci abſque peccato contingat: Primo, Quando iniuria laceſsitus, ſiue quomodolibet læſus ab alio, in eum ira concitatur, ex quadam mentis perturbatione ſubita, ſeu impetu, quem, primum motum appellamus, cui voluntas poſtmodum non acquieſcit, ſed reprimit vel potius repellit: Secundo modo, Quãdo quis in peccatores animaduertit, eos corripiendo, & puniendo, non appetitu vindictæ, ſed zelo iuſtitiæ. Qui modus iraſcendi competit Iudicibus, & Prælatis, ad quorum munus ſpectat paci publicæ, & ſubditorum ſaluti proſpicere. Quo pacto etiã Deo, ſupremo iudici, ac Domino iram tribuimus, vt paſsim videre eſt in ſacris litteris: Non quod in Deum aliqua poſsit cadere mutatio, aut mẽtis perturbatio, ſed quod iuſte, peccatores puniat & caſtiget, & ita non affectiuè, ſed effectiuè à Theologis iraſci dicitur. Similiter legimus Exod. 16. Iratum Moyſem in eos Iſraelitas, qui cõtra Dei præceptum, Mãna collectum in poſterum diem reſeruauerant. Et cap. 32. Idem Moyſes iracundia vehementi motus fuit cõtra populum Hebræum ob adorationẽ vituli aurei, cum proiectas è manibus tabulas, Dei

Deus quomodo iraſcatur.

Exod. 16

Exod. 32

Digitized by Google

Dei digito exaratas,ad montis radicem alliſas,confregit: Arripienſque vitulum, quem fecerant, combuſsit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aqua; & dedit ex eo potum filijs Iſrael.] Sic Phinees Num. 25. Elias.3.Reg.18. Matatthias.1. Machab. cap.2. Petrus Apoſtol. Act.cap.5. in peccatores,& Dei cõtemptores acriter irati, eos mortis ſupplicio affecerunt. Ad hunc modũ iræ, pertinet ille,quo peccatores verè pœnitentes contra ſeipſos commouentur; & peccata ſua proprij corporis maceratione puniunt;pro Deique honore vlciſcuntur. De his iraſcendi modis, Dauidẽ hoc loco agere, Patres exiſtimant. Sed plurimi ad priorem potius inclinant,vt Origenes,Ambroſ. Auguſt. Theodoret. Euſebi. Caſsiodor. Euthym. Et perpendit Origenes verbum *Iraſcimini*, non eſſe imperãtis modi, ſed indicantis: Abſurdum enim (inquit) eſſet Prophetam, vt turbaremur, imperare, ſed indicantis modus eſt, perinde,ac ſi dicat: Si vobis turbari aliquando contingat, ne pecceris.] Hunc ſenſum videtur ſequi D. Paul. in Epiſt. ad Epheſ. cap.4. Vbi adhortans eos ad pacem,& vnitatem ſeruãdam, quam ſolet corrumpere nimia iracundia, omnium diſsidiorum mater; adducit hoc teſtimonium; *Iraſcimini, & nolite peccare, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Quaſi dicat: Si fortè accidat ex humana fragilitate vos iraſci in proximum; cauete ne per conſenſum, iram huiuſmodi foueatis;aut ſaltem ne ſi aliquis conſenſus acceſserit, diu illam retineatis, ſed ſtatim ex veſtris animis expellite, ita vt ante ſolis occaſum deponatis.

Num. 25 — *3. Regum 18.* — *1. Mach. 2.* — *Act. 5.* — *Epheſ. 4. 25.*

¶ At verò, quia verbũ, *Iraſcimini*, vt ex Textu Hebræo conſtat, eſt imperantis modi; nonnulli cenſent, intelligẽdum eſſe, de ira iuſta,& licita,qualis eſt quam concipiunt,& excercent Iudices,Prælati, Domini, Patres,

tres, & magiſtri in ſubditos; atque etiam peccatores pœnitẽtes in ſe ipſos, propter Deum ſummè dilectum. Quam iram ita eſſe temperandam monet Regius Propheta, vt rationis, & iuſtitiæ metas non tranſgrediatur. Ita ſentiunt Auguſtin. Gregor. Beda, Theophylactus, Thom. Lyran. Idque Paulum aiunt ſignificare voluiſſe, cum ait: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Ideſt; Ne ſupra modum iracundia veſtra exardeſcat, ita vt rationis lumen in vobis extinguatur. Sed hæc, proprior, & germanior interpretatio videtur. Nec obſtat eſſe modi imperantis verbum, *Iraſcimini*, cum nõ propterea præcipiatur ira illicita, ſed permittatur motus primus, quẽ ratio impedire, aut antevertere nequit. Eſtque figura Mimeſis, qua aliquid malum, ſeu invtile, aut indecens præcipimus, ſeu verius permittimus, quod fieri nollemus. Vt illud Didonis ad Æneam. 4. Æneid.

I, ſequere Italiam ventis, &c.

Ioan. 13. 27. Et Chriſti ad Iudam; *Quod facis fac citius.* Ioan. 13. 27. Et ad Phariſæos: *Implete menſuram patrum veſtrorum.* *Matt. 23* Matth. 23. Illi ſiquidem ad quos hæc verba facit Propheta, videtur eſſe ſocij, & milites, qui eius partes tuebantur; quos cum ira excandeſcere, & concitari videret, contra perſequutores; conatur pro ſua eximia humanitate, & benignitate eiuſmodi iracundiam compeſcere, & moderari; ne in proximorum odium, & nocẽdi ſtudium prorumperent. Quaſi diceret: Permitto vobis iraſci contra hoſtes, quod naturæ eſt fragilis; ſed prohibeo odium, quod eſt contra charitatem. Vel erit ſenſus: Neceſſe eſt, vt iraſcamini contra peccatores, ſeu potius peccata, id tamen fiat zelo iuſtitiæ non appetitu vindictæ. Quamquam, vt aliqui putant poteſt hæc oratio dirigi ad inimicos, monendo, vt iram iniuſtam deponant

Digitized by Google

ponant; nec velint vlterius proferre; ſed per noctis otium, & quietem peccato ſuo agnito, & perpenſo, dũ cubantes in lectis, conſcientiæ ſtimulis agitantur, ad meliorem mentem redeant, compungantur, pœnitentiam agant.

¶ Paul. Burgenſ. (vt ſupra diximus) exiſtimat Pſalmum hunc fuiſſe compoſitũ cõtra idololatras, aſſeritq́; verſus huius verba, fieri ad philoſophos huius mundi; qui ratione naturali edocti, vnum tantũmodo eſſe Deũ profitebãtur;& ipſos monet noſter Vates: vt Gentilibus plurium deorum cultoribus, ſuccenſeant; quod naturalem Philoſophiam, per quam verus Deus cognoſcitur, deſpiciant. Perinde ac ſi diceret: O vos mundi ſapiẽtes, qui Dei vnius, ac veri notitiam, adepti eſtis: Iraſcimini contra idola colentes, quibus eadem cognitio cum vobis communis eſſe deberet: cauete tamẽ ne eorum peccati participes efficiamini, non audentes, ſeu negligentes veritatem palam, & libere confiteri. Hæc vero expoſitio Burgenſis longius petita videtur.

¶ *Iraſcimini, & nolite peccare, &c.*)

HEbraicè RIGZVVEAL THEHHETAV: *Contremiſcite, & non peccabitis* Aut: *Ne peccetis.* Chald. *Contremiſcite ab illo, & ne peccetis.* Quam interpretationem ſequuntur Rabbini ferè omnes, & etiam Tigurina, Kampenſ. Montanus, Pagnin. Caiet. Quaſi Dauidis inſtitutum fuerit, perſequutores ſuos, & peccatores quoslibet, diuinæ vltionis timore deterrere, & à peccatis reuocare: Attamen; quia verbum, RAGAZ, non ſolum ſignificat tremere, pauere, conturbari, commoveri, ſed etiam iraſci, excandeſcere; optimè Græca Editio tranſtulit ORGIS ESTE; *iraſcimini*, Qualiter etiam doctiſsimè vertit Divus Hiero. ex He-

Ciceronem lib. de ſenectute, docentem : Veſpere cō-memorādum, quid interdiu feceris, audieris, dixeris.] De Pyrrhone Elienſi narrat Laërtius: Quod ſolus ſecū loquēs, & vitæ anteactæ à ſe rationē repoſcens, interrogatus, quid ageret, reſpōdit: Meditor, bonus vt ſim. Sextium, teſtatur Seneca, tranſacto die cum ſe quieti dare vellet, ſolitum, animum ſuum interrogare; Quidnam in virtute profeciſſet: quidvè à recto defeciſset. Hanc quotidianam conſcientiæ diſcuſsionē, iuxta Pythagoræ dogmata, docet egregium illud epigramma, cui titulus eſt; Vir bonus, inter opuſcula Virgilij collocatum, quo depinguntur boni viri ſtudia, & actiones, & inter alia ſic canitur.

Examen conſcientiæ valde vtile.

NON prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei:
Quæ prætergreſſus, quid geſtū in tempore: quid nō
Cur iſti facto decus abſuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit, miſeratus egentem
Cur aliquem fracta non ſenſi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret, vtile honeſto
Cur malus antetuli? nunc dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit? ſic dicta & facta per omnia:
Ingrediens, ortoque à veſpere cuncta reuoluens
Offenſus prauis, dat palmam, & præmia rectis.

¶ Sic Virgil. ſeu quiſquis auctor eius Epigrammatis, extitit. Et quidem eleganter. Quamobrē noſter Poëta,

Digitized by Google

ac Propheta Regius, ad hoc ſtudium excitat: ſiue hoſtes ſuos ſuadens, vt quidquid per inſanam iracundiam contra Deum peccarunt, ad meliorem mentem traducti, in nocturnum conſcientiarum examen, & diuini timoris conſiderationem incumbentes, compungantur: vel ſuos amicos, & ſocios commonet, vt ſiquid nimis irati contra perſequutores fuerint, odium ſtatim deponant, omnemque vindictæ appetitum; atque noctu in ſtratis iacentes pœnitentiam agant.

¶ *QVÆ dicitis in cordibus veſtris.)*

IN Hebræo eſt imperantis modi, IMRV, *Loquimini in cordibus veſtris*. Sic transfert Hieron. ex Hebræo, Pagnin. Tigurina, Kampenſ. Montan. & eamdem ſequuntur lectionem D. Auguſt. Cyprian. Fœlix Pratenſ, Vatabl, Eugubinus. Quapropter Caiet. docet hoc verſu tria præſcribi ad ſalutem apprime neceſſaria. Primum Deum eſſe timendum, ad hoc vt peccata vitentur; nihil enim eſt, quod hominem vehementius à peccatis auocet, quã defixus in animo Dei timor. Idcirco dicitur, contremiſcite, & non peccabitis. Secundum, meditationi diuinarum rerum nauandam eſſe operam aſsiduam, præſertim noctu, cum per otium, & vacationem à diurnis curis, & negotijs fas eſt: Conducit maximè, ad ſpiritualem profectum, myſteriorum, & magnalium Dei cõtemplatio; & ita dicitur: loquimini in cordibus veſtris ſuper cubilia veſtra. Tertium, linguæ lubricitatem eſſe vitandam, & ſilentio coercendã; & propterea ſubiungitur: & ſilete. Sic enim habetur in Hebræo, V E D O M M V. Nam (vt Diuus inquit Iacobus;) *Lingua eſt inquietum malum, vniuerſitas iniquitatis, plena veneno mortifero, &c.* (Iacob. 3.) Quia nihil peſtilentius, niſi ſilentij fræno conſtringatur. Poteſt etiam legi, A M E-

R V,

RV, *dicitis*. Supplendo dictionem ASSER, ideſt, *Quæ*. Et hoc pacto exiſtimo legiſse LXX. transferentes. *Quæ dicitis*, vel, *Quæ dixiſtis*.

¶ Sed ſi ſequamur communem Patrum lectionem, ita poſitum eſt. *Dicite in cordibus veſtris*. Vt, *iraſcimini*, in hunc ſenſum: Si fortè ex iracundiæ vehementia in aliquod odium prolapſi eſtis, illudque in cordibus veſtris agitatis, protinus ab animis veſtris exterminate per compunctionem, & pœnitudinem, pacemque, ac beneuolentiam complectimini: Nec Hebræa lectio ab hoc ſenſu valdè diſcedit. *Et ſilete, ſeu tacete*. Hoc eſt, vt exponit Vatablus: *Ceßate, aut quieſcite à bello inferendo*. Quod autem *ſilere* in ſacris litteris, idem ſignificet, quod ceſsare à pugna, pacem, & quietem habere, multis teſtimonijs ex Sacra Scriptura côſtare poteſt: Quale illud eſt Iſai. 14. 7. *Conquieuit, & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt, & exultauit*. Loquitur de tẽpore Meſsiæ fortunatiſsimo, quo totus mundus ſumma erat pace, & tranquillitate potiturus, & 1. Macha. 1. *Et ſiluit terra, in conſpectu eius*. Hoc eſt, maxima pax viguit, toto orbe ab Alexandro Magno ſubiugato, nullus erat armorũ ſtrepitus, nulla bellorum perturbatio 1. Mach. cap. 7. 50. *Siluit terra Iuda dies paucos*, & cap. 9. *Siluit terra Iuda duobus annis*, ideſt, filij Iſrael, non ſumpſerunt arma, neque bellum geſſerunt, ſed totum illud tempus in pace tranſegerunt. Sic hoc loco ſenſus eſſe poteſt: Silere, ideſt, arma deponite, paci ſtudete.

Silere in ſacris litteris.

Iſai. 14. 7.

1. *Mach.* 1. 3.

1. *Mach.* 7. 50.

NOnnulli Hebræi cenſent, *ſilere*, ſumi propriè pro nõ loqui. Quaſi dicat perſequutoribus; Cogitate vobiſcum diligenter in cubilibus veſtris antequam ſopor vos occupet, & cognoſcite, quam ſint iniqua, quæ contra meam dignitatem, & honorem obloquuti eſtis;

¶ *IN cubilibus veſtris.)*

MErito in Biblijs Vulgatis correctis, expuncta fuit coniunctio, *Et*, quæ antea legebatur, cum non habeatur in Editionibus Hebraicis, neque Græcis, & ſenſum valdè perturbet. Quamquam in Textu Hebræo legatur; *Poſt cubilibus veſtris.* Cũ dicitur VEDOMMV, *Et tacete.* Quo pacto benè poteſt ſenſus elici, ſi *Quæ dicitis.* Legatur, per imperandi modum vt in Hebræo eſt: Alioquin legendo, vt eſt in Editione Vulgata, nullibi collocanda eſt particula (*Et.*)

¶ Per cubilia, aliqui, vt Aymo, & Guerricus Abbas, intelligunt, intima cordis penetralia, in quæ anima, veluti ſe abdere ſolet atque colligere, & quæ ſuæ ſaluti conducunt perſpicere atque contemplari; iuxta illud Matth. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum &c.* Gloſ. exponit; cordis ſecretum D. Auguſt. per cubilia intelligit, carnis delectationes; in qua captiua detinetur ratio, vt fera in cubili. Corda autem peccatorum ſunt dæmonum receptacula; ſecundum illud Iſai. cap. 35. 7. *Incubilibus, inquibus prius habitabant dracones*, (ideſt, dæmones per peccata) *Orietur viror calami, & iunci*: Hoc eſt, nitor, & pulchritudo gratiæ, & virtutum. Sed hæ expoſitiones myſticæ potius ſunt, quam litterales.

Matt. 6. 9.

Iſai. 35. 7.

C*Ompungimini.*] Variæ admodum ſunt interpretationes, vt diximus. Nam ex Hebræo, omnes vertunt: *Tacete.* L X X. *Compungimini.* Aquila, *Quieſcite.* Chald. *Mementote diei mortis.* D. Auguſt. narrat, nonnullos exiſtimaſse debere legi: *Aperimini.* Deriuantes, à verbo Græco, quod eſt aperire. Poteſt etiam ex Hebræo verti: *Expectate.* Nam, D A M A M, ſignificat

etiam expectare, ſuſtinere, vt patet multis in locis Sacræ Scripturæ. Et hic adhortatur Propheta ſocios, ad patienter ſuſtinendum, & expectandum, vſque dum diuini fauoris lumen, ipſis affulgeat.

D. Cyprian. in expoſit. orationis Dominicæ legit: *Transſpungimini.* Et quidem poſſunt omnes interpretationes Textui congruere. Nam non quieſcit peccator, nec diſcedit à peccando, niſi per veram pœnitentiam: Non pœnitet niſi compungatur; Non compungitur niſi per cordis apertionem, & ſciſsionem; vt Deus præcipit

Ioël 2. 13 per Ioëlem cap. 2. 13. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*; Qui autem cõtrito, & compuncto eſt corde, nouiſsima ſua, & præcipuè diem mortis memorari, & ob oculos habere ſolet.

¶ In fine huius Verſus ponitur dictio SELAH, ſeu Diapſalma, quam ſuperius diſcuſsimus, & hoc loco aiunt animaduerſionem eſſe, & notam grauiſsimæ, ac notatu digniſsimæ ſententiæ.

VERSVS SEPTIMVS.

¶ *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?)*

QVONIAM ad benè beatèque viuendum, duo ſunt præcipuè neceſſaria, videlicet; Vitare peccata, & bona opera exequi. Propheta poſtquã præcedenti verſu hortatus fuit ad commiſsa peccata per pœnitentiam expianda; hoc verſu docet, debere ad Deum conuerſos, virtutũ operibus

nibus incumbere. Iuxta illud, quod idem docuit Pſal. 33. 13. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos. Prohibe*, &c. *Declina à malo, & fac bonum inquire pacem, & perſequere eam.* Invitat ergo nunc ad ſacrificium iuſtitiæ Deo immolandum, & ſpem viuam in ipſum concipiendam; vt oſtendat ſummatim quænam ſint bona opera excercenda, à viro ſalutis ſpiritualis ſtudioſo.

Pſal. 33. 13.

¶ *SACRIFICIVM iuſtitiæ.)*

HEbraicè, ZIBHHE TSEDEK, *Sacrificia iuſtitiæ.* Et ita vertunt Hierony. Pagnin. Tigurina, Vatabl. Kampenſ. & Chald. Quid per iſta ſacrificia ſit intelligendum, non conuenit inter omnes, quamquam ipſorum expoſitiones, ſint aptæ, & piæ: Prima expoſitio eſt Hebræorum, quos ſequuntur Euſebius, Vatabl. Bredembach. Montan. Kampenſ. Flammin. & ferè omnes recentiores: Sacrificia propriè accipienda eſſe, pro ſacrificijs externis, & victimis, quæ Deo immolabantur in lege naturæ, & ſcripta: à Deo præceptas in lib. Leuitic. præcipuè. Quæ quidem ſacrificia, cum nullá ſuaptè natura iuſtitiam internam, aut ſanctitatem conferrent; ſed ipſorum vtilitas, ex offerentis gratia, & deuotione dependebat; opus erat (vt Deo accepta eſſent) iuſtè, & ſanctè immolari. Hinc factum eſt, quod cum Iſraëlitæ, eo impietatis proceſsiſsent, vt nulla habita internę ſanctitatis, & iuſtitiæ ratione, totam ſpem ſuam in offerendis victimis collocarent; Deus per Prophetas ſuos ſæpè conteſtatus ſit; nullius apud ſe meriti, nec momēti eſſe, tot ſacrificia. Vt videre eſt apud Iſai. cap. 1. vbi multis verbis inuehitur in eos, qui omnium ſcelerum inquinamentis imbuti, ſacrificijs immolandis vehementer ſtudebant. *Quo* (inquit) *mihi multitudinem victimarum*

Digitized by Google

veſtrarum? Plenus ſum holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, &c. Et rationem reddens ob quam, tàm exoſas haberet victimas, oblationes, orationes, & corporis excruciationes, ſubdit: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Hoc eſt, vt Patres interpretantur: Omnium vitiorũ genere infecti eſtis, nec ceſſatis à perpetrandis flagitijs, & inferendis damnis, atque iniurijs. Tandem commonẽs eos ad veram pœnitentiam, & opera charitatis, ac iuſtitiæ exercenda, ſi ſacrificia ſibi accepta eſſe velint, ita concludit: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis; quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus.* Quaſi dicat: Hæc ſi ſectati fueritis, proculdubio veſtras victimas probabo; voſque exaudiam,
Pſal. 50. ac beneficijs cumulabo. Item Pſal. 50. inquit Dauid. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificiũ dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Senſus eſt; ſi vlla ineſſet vis ſacrificijs, & holocauſtis, ad delicta mea expianda, innumera tibi obtuliſsem: Scio vero te, ſolis victimis externis abſque interna animi iuſtitia, & deuotione non placari: Nam nullum eſt tibi ſacrificiũ corde humili, & contrito gratius. Et Pſalmum concludens ait: *Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta; tunc imponẽt ſuper altare tuum vitulos.* Tunc, ſcilicet, cum benignitatem clementiæ tuæ effuderis in Sionis incolas, cum Templo extructo, te ex toto corde venerabuntur, accepta tibi erunt ſacrificia, & oblationes. Quamquam plerique hoc, ad tempus Euangelicæ legis referunt: Et per Sionem, Eccleſiam Catholicam

acci-

accipiunt. Prætereа Pſal.49. ita inducit Deum loquen- *Pſal. 49.*
tem: *Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua* *8. & 9.*
in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam mea ſunt omnes feræ ſiluarum: iumenta in montibus, & boues. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſsimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Quaſi dicat: Numquid egeo ego tuis cruentis ſacrificijs, vt ipſorum multitudine me delectari putes? Nam nec eſurire poſsum, nec egeſtatem pati, cum ſim ipſamet fœlicitas, & omnium fons diuitiarum: ſolummodo à te requiro pietatem, & dilectionem, qua me proſequi debes; & hoc pacto, ſi me in tribulatione inuocaueris, eruam te, & tu honorificabis me; gratias pro acceptis beneficijs agens; & nuncupata vota perſoluens.
Huc ſpectat illud Oſeæ cap. 6. 7. *Quia miſericordiam* *Oſea 6.7.*
volui, & non ſacrificium. Quem locum allegauit Chriſtus Dominus, Matthæi. 9. 13. ad redarguendam per- *Matt. 9.*
uerſam Scribarum, & Phariſæorum hypocriſim, qui *13.*
falſo diuini cultus prætextu, opera charitatis, & pietatis contemnebant, & ſacrificijs immolandis dabant operam: in quos ita Chriſtus inuehitur: *Euntes, dicite, quid eſt, quia miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Vbi per miſericordiam intelligunt, Theophylactus, & Divus Auguſtin. lib. 10. de ciuitate. cap. 5. Opera beneficentiæ, & charitatis erga proximos; quæ Deus pluris facit, quam quæcumque ſacrificia: cum abſque illis nullius apud Deum ſint hoſtiæ, & oblationes momenti: *Qui* enim crudelis eſt in proximos ſuos, nullo modo in eo eſt vera charitas.

¶ Obiter hic animadvertendum, Deum his, & alijs ſimilibus locis, dicere, ſe improbare illa legalia ſacrificia;

cia;non quod mala eſſent:nam populo illi,eã iniunxit,
tamquam quædam externa opera , ad diuinum cultum
pertinentia : *Qua* propter nullo modo mala eſſe pote-
rant : ſed , quod non ſanctè & innocenter offerrentur.
Tum etiam, quia ſolum erant figuræ veri ſacrificij , &
Agni immaculati Chriſti,in crucis ara, pro humani ge-
Pſal. 39. neris redemptione immolati. Vnde Pſal. 39. inducitur
ipſemet Chriſtus,ita Patrẽ alloquens;(vt exponit Paul.
ad Hebr.cap.10.) *Sacrificium & oblationem noluiſti: holo-*
cauſtum & pro peccato non poſtulaſti.Tunc dixi,Ecce venio,
&c. Senſus eſt : illa omnia ſacrificia , cum ſolummodo
eſſent figuræ & typi paſsionis meæ, non poterant tibi
placere,ita vt pro humano genere ſatisfacerent; idcir-
co,Ecce ego ab ipſo mundi exordio , toties promiſſus,
& prænuntiatus,iã adſum: vt tibi pro ſalute totius mun
di faciam ſatis , atque perfectè. Hinc intelligere licet,
Ezechie. quare Ezech. cap.20. 25. ſacrificia veteris legis vocat
20. 25. præcepta non bona,ideſt, non perfecta; quia nec ex ſe
conferebant gratiam, nec erant aliud quam imago , &
repræſentatio ſacroſancti legis Euangelicæ ſacrificij.
Iam ergo,vt ad inſtitutum reuertamur , hoc loco, Pſal-
mographus,per ſacrificium iuſtitiæ, intelligit ſacrificia,
Pſal. 23. iuſte & innocenter oblata iuxta illud Pſal. 23. *Quis aſ-*
5. *cẽdet in montem Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto eius?*
loquitur de monte, Sion,& ſancto Templo Domini,in
ipſo conſtructo;vbi ſacrificijs,& oblationibus coleba-
tur.Et ſtatim reſpõdet: *Innocens manibus, & mundo cor-*
*de,qui non accepit in vano animam ſuam,&c.*Et ſimiliter,
Pſal. 14. Pſal.14. *Domine,quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis*
1. *requieſcet in monte ſancto tuo ? Qui ingreditur ſine macula*
*& operatur iuſtitiam,&c.*Quibus locis indicat , nihil ſa-
crificia, & oblationes externas prodeſſe , quibus deeſt
pietas,& iuſtitia.

Matthias

¶ Matthias Bredembachius exiſtimat Dauidem cũ hoſtibus ſuis agentem, alludere ad ſacrificium illud, quod Abſalom obtulerat in Hebrom, quando coniurationem cõtra patrem ſuum cõflauit, vt narratur. 2.Reg. 15. Quod quidem magis erat impietatis ſymbolum, quam diuini cultus obſequium: & idcirco nullatenus Deo acceptabile. Monet igitur aduerſarios ſuos, vt abiectis tam iniquis conſilijs, iuſtitiæ darent operam, cum qua victimæ coniungi deberent, vt Deo eſſent gratæ. 2.Reg.15.

¶ Altera expoſitio, magis communis, & recepta eſt; *Sacrificia* non ſumi propriè, & ſtrictè, ſed impropriè, & metaphoricè pro quibuſcumque bonis operibus, à charitate, & iuſtitiæ profectis, quibus vere Deus colitur, & honoratur. Iuxta illud Matth. 6. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* In hac ſignificatione Paulus dixit ad Rom. cap. 12. *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, &c.* Loquitur de ieiunio, & alijs pœnitentię operibus. Et ad Philip. cap. 4. agens de eleemoſyna ad ipſis erogata: *Accepi* (inquit) *quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Quaſi dicat: Veſtram eleemoſynam iudicaui tamquam ſacrificium Deo gratiſsimũ. Et ad Hebr. c. 13. ait: *Beneficiẽtiæ autẽ, & cõmunionis, nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* D. etiam Petr. Epiſt. 1. cap. 25. exhortans Chriſti fideles ad iuſtitiæ, & charitatis opera ſectanda, ſic ſcribit; *Et ipſi tamquã lapides viui, ſuper ædificamini, domos ſpirituales, ſacerdotium ſanctũ, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, per Ieſum Chriſtum* Cum vero bona opera huiuſmodi, tamquam ſpirituales hoſtiæ, Deo valdè placeant, à cunctis Chriſticolis oblatæ, omnes vocat D. Petr. ſacerdotes metaphoricè, & lato modo. Nam paulò inferius ſubdit: *Vos autem*

Matth. 5. 16.
Rom. 12.
Philp. 4. 16.
Heb. 13. 16.
1. Petr. 2. 5.

genus

genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.

¶ Sed quãuis, omnes ferè ſacri expoſitores, ad hanc intelligentiam accedant, differunt tamen plurimi, legentes: *Sacrificium iuſtitiæ.* In ſingulari, vt habetur in Editione LXX. & Vulgata; non in plurali, vt eſt in Hebræa, & Chaldæa. Quare Origen. per *Sacrificium iuſtitiæ*, intelligit eleemoſynã, pauperibus ex charitate cõferendam, quam vt ſibimet, Chriſtus oblatam teſtatur,

Mat. 25. 40. dicens: *Quod vni ex minimis iſtis meis feciſtis, mihi feciſtis.* D. Ambroſ. in Apolog. Dauid cap. 17. cenſet ſacrificium iuſtitiæ accipi pro martyrio, quod eſt, tamquam holocauſtum perfectę charitatis igne cõbuſtũ, Deoq; gratiſsimũ, quo ſancti pro Chriſti fide ſeſe offerunt. D. Aug. docet pro ſacrificio iuſtitiæ, deſignari cordis cõ-

Pſal. 50. tritionem; ſecundum illud Dauidis Pſal. 50. iam ſuperius citato; *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor cõtritum, & humiliatum, &.* Quid enim iuſtius (ait Auguſt.) quam vel ſuis, vnuſquiſque peccatis, quam alienis potius iraſcatur? Sequè ipſum puniens, mactet Deo? vbi *Iuſtitiam* ſtrictè accipit Auguſt. pro virtute cardinali, ſecundum quam, vnicuique quod ſuum eſt tribuitur. Iuſtiſsimum vero eſt, vt quiſque ob peccata contra Deũ commiſſa, ſe ipſum puniat; Deique honori ſatisfaciat. Huic expoſitioni fauet Chald. ſic vertens: *Domate concupiſcentias veſtras, & reputabitur vobis ſicut ſacrificium iuſtitiæ.*

¶ Tertia expoſitio, quam amplectuntur Iacobus de Valentia, Genebrard. & alij; *Sacrificium iuſtitiæ*, ſignificare diuiniſsimum Euchariſtiæ ſacrificium, in lege noua à Chriſto inſtitutum, quo ipſemet Chriſtus, qui in Altari crucis Deo Patri cruente fuit immolatus, quotidie offertur incruente à Sacerdotibus. Quod ſane ſacrifi-

crificium,merito iuſtitiæ appellatur, cum in ipſo totius noſtræ iuſtitiæ auctor,& fons cõtineatur, & per ipſum nobis bona omnia ſpiritualia conferantur. Hæc tamen expoſitio myſtica eſt,non litteralis.Hugo de ſancto Victore iuxta tres ſtatus vitæ ſpiritualis , tria ſacrificia vult à Propheta deſignari,quæDeo in odorẽ ſuauitatis ſunt offerẽda.Nã primus ſtatus eſt pœnitẽtiæ : ſecũdus iuſtitiæ.Tertius perfectionis.Et ſecũdũ hos tres ſtatus, tria debemus offerre ſacrificia:in primo ſtatu,ſacrificiũ compunctionis:in ſecundo,bonæ operationis : in tertio,laudis,& iubilationis.Initium enim iuſtitiæ eſt cõpunctio;profectus eius,operatio bona;cõſũmatio,laus vitæ æternæ.

¶ SacrificiumGræce,vt diximus,in ſingulari,&Hebraicè in plurali:ſed quoad ſenſum nihil intereſt , cum paſsim in ſacra Scriptura huiuſmodi, numerorum permutationes fiant.Aliqui exiſtimant,nõ ſine diuini Spiritus inſtinctu,àLXX.poſitum fuiſſe,*Sacrificium*,in ſingulari:vt denotarent,Chriſtum vnicũ ſacrificium pro nobis oblatum;in quem referebantur omnia,tam legis naturæ,quam ſcriptæ,ſacrificia. Qua de re vide accuratam allegoriam apudD.Tho.1.2.quæſt.102.ar.3.Quare iuxta hũc ſenſum, *Sacrificium iuſtitiæ*,idem eſt quod iuſtificans; vt in 1. verſu huius Pſal.dixit, *Deus iuſtitiæ meæ*.Ideſt,me iuſtificans. Poſſumus etiam dicere LXX. in ſuo vetuſtiſsimo exemplari, ſeu Authographo Hebraico,legiſſe Z E B A T,abſque *iod*,plurificatiuo ; & idcirco vertiſſe in ſingulari,non in plurali.

¶ *Et ſperate in Domino.*

THeodoret.ait,hunc eſſe fructum ſiue effectum veræ iuſtitiæ ac ſanctitatis, ſpem certam,& viuã vitæ æternæ, cœleſtiumque bonorum; qua ſpe deſtituti

omni-

omnino degunt, omnes hæretici, & infideles. *Qui tametſi* aliqua bona opera exercere valeāt, cū tamen careant fide, quæ radix eſt totius iuſtitiæ, prorſus carent ſpei virtute. Dionyſ. Carth. ita interpretatur: *Et ſperate in Domino*, hoc eſt; ſpē veſtram collocate in Dei miſericordia, & nō in iuſtitia veſtra. Ab eo enim eſt omnis ſufficientia veſtra. Ricard. Ne fiduciam veſtram in diuitijs, aut mūdanis rebus, fluxis, & fugacibus collocetis; ſed in Deo, qui poteſt vos vere beatos, & fœlices efficere. Vatab. Dauidis ſermonē eſſe, ad hoſtes ſuos, in hunc ſenſum: Peccatum veſtrum agnoſcite, & in illius expiationē offerte gratum ſacrificiū Deo; & ſperate vos conſequuturos veniā. Poteſt etiam ſermo eſſe ad ſocios, & cōmilitones, quos cum videret præ anguſtiæ magnitudine, animū iam deſpondere, confortat, erigitque ſalubri hoc cōſilio veluti epitima quadā, exhortans ad fortiter ſubeūda pericula, & charitatis opera exercēda vnde maxima ipſis ſpes mortis euadendę, oriri poterat. Quia vero ſub nomine ſacrificij iuſtitiæ, ſermo fit de iuſtis, & bonis operibus, gratiæ augmē tum merentibus, conſequenter agitur de actu ſpei virtutis Theologicæ, per quā tenditur in Deum, & æternā vitā, ex affectu charitatis; nec cōfunditur ea præditus, vt Paul. ait, *Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c.*

Paul.

¶ *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?*)

Hemiſtichium dimidium verſus.

HOc hemiſtichium apud Hebræos pertinet ad ſequentem verſum, in quo, quæſtioni reſpondetur. Hebræi Doctores, vt Rabbi Dauid Aben Ezra, quos ſequitur Vatabl. cenſent, verba eſſe Abſalom, & aliorum Dauidis hoſtium, vehemēter optantium eius interitū, & perditionem, inquam anhelantes, ita exclamabant: vtinam

vtinam detur nobis, vt Dauidẽ extinctum videamus;& bonis eius, ac diuitijs perfruamur. Rabbi Selemoh exiſtimat querelam eſſe vulgarem Iſraëlitici populi, qui cum videret, Gẽtiles diuitijs multis, boniſque alijs externis, affluentes, ſe verò premi inopia, in has voces erumpit; Quis nobis tribuat, vt diuites ſimus, voluptates capiamus, vt finitimæ gentes. Nonnulli opinantur his verbis notari à Propheta homines impios, & ſceleſtiſſimos, qui diuinam opem deſperantes, ac veluti eius prouidentiam abnegantes, ſpem omnem ſuam in humanis præſidijs ſitam habebant; nec vllum à Deo auxiliũ ſperandum eſſe affirmabant. Quales illi erant apud Iobum cap. 22. dicentes, *Deum circa cæli cardines ambulãtem, nullatenus noſtra conſiderare.* Tales forſitan erant multi ex Iſraëlitica plebe, videntes Dauidem in tanto periculo conſtitutum, & in Deum ſperantem, prædicãtemque eius erga, ſe aſsiduam benignitatẽ, exclamant his verbis: *Quis oſtendit nobis bona?* Ac ſi dicant: Nõ eſt, quod tam audacter aſſeras, te à Deo eſſe eruendum, cũ nullum eius auxilij, aut fauoris ſignum appareat. Origẽ Didym. Ambroſ. Aug. & communiter Patres per hæc bona intelligũt, bona ſpiritualia, & ſupernaturalia quæ promiſsit Deus diligentibus ſe. Hæc cum peccatores, & terrenis rebus addicti, nec percipiant, nec ſe aſſequi vllo modo confidant, deſperantes interrogant: *Quis oſtendit nobis bona?* Hoc eſt; Quis nouit ſi vera, ſunt; aut quis venit ab inferis, vt illa nuntiaret? Alij Doctores per *hæc bona* interpretantur, opera moraliter bona, quæ natura duce, poteſt homo aſſequi, atque exequi. Nam à natura eſt omni homini rerum ſequendarum & fugiendarum innata cognitio; & idcirco nullus ſuorum ſcelerum, poteſt excuſationem prætexere. Sed magis ad hiſtoriam videtur accedere illa expoſitio

Iob 22. 14.

Digitized by Google

tio, quæ aſſerit hanc interrogationem fieri ab ijs, qui Dauidis cauſam pro deſperata habentes; proculdubio exiſtimabant ipſum in manus hoſtium, traditũ iri: propterea dicebant. *Quis* oſtendit nobis bona. Quaſi dicãt Nullus eſt, qui poſsit illum è poteſtate Abſalom liberare actum iam de illo eſt.

¶ *QVIS oſtendit nobis?*)

IN fonte eſt futuri temporis MIIA R ENN V, *Quis oſtendet*, ſeu, *Quis nos videre faciet*. Ita transferunt D. Hieron. Pagn. Tigurina, & Chald. Græca etiam Editio futurum tempus indicat; videturque hæc lectio magis congruere ſenſui litterali. Cum enim nihil aliud in ore haberet Dauid, quam ſpem omnem eſſe collocãdam in Deum ſolum; peſsimi homines, qui de diuina bonitate non bene ſentiebant, huiuſmodi verba impietatis, & diffidentiæ plena, proferebant. Quaſi Dauidem irridentes, & in deſperationem, adducere cogitantes.

Quis, vox quomodo accipiatur in Sacra Scriptura.

QVIS.] Annotat Hieron. accipi pro, *Nullo*, vt ſæpè in ſacris litteris Rom, 10.6. *Quis aſcendit in cælum*, id eſt *Chriſtum deducere*. Nonnumquam etiam denotat vehementem appetentiam, vt obſeruat Euthym. & tunc iungitur verbo dandi, vel tribuendi, vt Pſalm. 13.7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael*. Pſal. 54.7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Ierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, &c.* Aliquando denotat, quod rarum, & difficile eſt, vt Pſalm. 106 43. *Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc* Pſal. 14. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo*. Matth. 24 45. *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, &c.* Hoc eſt, raro inuenitur.

Rom. 10. *Pſal.* 13. *Pſal.* 54. *Ier.* 9.1. *Pſal.* 106 *Pſal.* 14. *Mat.* 24.

OStendere bona.] Accipitur hoc loco pro afficere beneficijs, tam perſpicicuis vt cerni cognoſcique

Digitized by Google

que publicè poſsint: Hac Phraſi vſus eſt Christus Ioan. 10. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo*, & Dauid Pſal. 84. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam*, & è conuerſo Pſal. 59. 5. *Oſtēdiſti populo tuo dura*. Pſalm. 70. 20. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & mala*, ideſt, me afflictionibus, & calamitatibus affeciſti, populum tuum dure tractaſti. Quibus in locis eſt idem verbum Hebraicū RAAH, in cōiungatione, Hiphil; Tum etiam D. Paul. 2. ad Timot. cap. 4. 14. eodem modo loquitur: *Alexander faber ærarius multa mihi mala oſtendit*, hoc eſt pluribus malis me affecit.

Ioan. 10. 32.
Pſal. 84.
Pſal. 59.
Pſal. 70.
2. *Tim.* 4. 14.

BONA.] Hebrai. TOB, *Bonum*, in ſingulari. Vt habent omnes verſiones. Sed Græcus interpres in plurali, TA AGATHA; numerus ponitur pro numero. Communiter in ſacris litteris ſumitur TOB, pro opulentia, & diuitiarum copia; vt videri poteſt in Theſauro linguę ſanctæ, & hoc loco ad litteram exponunt Hebræi: Quibus adhærent Vatabl. Kāpenſ. Mōtan. de terrenis diuitijs, & opibus; Quamquam ſancti Patres ad diuitias ſpirituales, & cœleſtes referunt. Iuxta illud Pſal. 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, & Pſal. 64. 6. *Replebimur in bonis domus tuæ*. Quod ſi legamus, *Bonum* in ſingulari, docet D. Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 12. indicare vnum illud ſummum bonum, omnia bona comprehendens; æternamque beatitudinem conferens. Ambroſij verba hæc ſunt cum Deo loquens: Pande illud tuum bonum, quod videre deſiderabat Dauid inhabitans in domo Domini, Deoque dicebat, Quis oſtendit nobis bona? & alibi: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Ibi enim ſunt bona vbi vita perpetua eſt; pande ergo illud verè bonum tuum, illud diuinum, in quo, & viuimus,

Pſal. 26.
Pſal. 64.

mus,& ſumus, & mouemur: mouemur,quaſi in via, ſumus quaſi in veritate,viuimus quaſi in vita æterna,&c. Hæc Ambroſius.

VERSVS OCTAVVS.

¶ *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.)*

PRIORA huius Verſus verba reſpondent propoſitæ interrogationi; quæ ſicut varias habet, vt vidimus, expoſitiones: ita reſponſio diuerſimodè explicatur. Nam Origen. intelligit de ſuperna quadam diuinæ ſcientiæ irradiatione, qua Deo per ſimiles homines efficiuntur; humanaque omnia ſuperuecti,ad admirabile diuinæ naturę conſortium, extolluntur. Qualis in Moyſis facie viſa eſt; qua præditus Dauid, & alij ſerui Dei in medijs calamitatibus adeo tuti degunt, ac ſi nihil mali patiantur. Et hoc ſibi voluiſſe,Thau,impreſſum in Dei ſeruorum frontibus,quo ab irruentibus malis protecti, liberique euadunt. Rupert. accipit, *Lumen vultus diuini*, pro dono Spiritus Sancti in die Pentecoſtes ſuper Eccleſiam deſcendentis; omniumque ſuorum Chariſmatum munera conferentis. Vultus enim Dei Filius eſt, cum ſit eius expreſſa imago,per quam Pater ipſe cognoſcitur, vt per vultum homo. Lumen autem Spiritus eſt Sanctus, à Patre & Filio procedens: Quemadmodum ex capite,& vultu pulcherrimo,luminoſa quædam venuſtas, ſeu claritas egredi-

egreditur, qua gratiſsimus fit homo intuentibus. Diuus Cyrill. Arnob. & alij, ad eumdem fere modum per vultum Dei, Chriſtum accipiunt; cuius lumen ſignatum eſt ſuper eos, qui in ipſum credunt; cum ad eius ſimilitudinem conformantur in baptiſmo, Spiritus Sã̃cti ſignaculo, accepto; ſicut in impreſſo ſigillo, Regis imago perſpicitur. Quod eſt ergo (inquit Ambroſ.) lumen ſignatum, Niſi illius ſignaculi ſpiritualis, in quo omnes credentes ſignati ſunt? Signati, inquit, eſtis Spiritu promiſsionis Sancto. Beda Rabanus, Caſsiodorus ſimiliter; *Lumen diuini vultus*, crucis ſignaculum appellant, quo Chriſti Domini fideles inſigniti ſunt in baptiſmo, & quotidie ſe ſignant, vt ab inimicorum inſidijs *Exod.* liberentur; vti Hebræorum domus agni paſchalis ſanguine ſignatæ fuerunt, ſicque à percutientis Angeli plaga immunes euaſerunt.

¶ Auguſtin. & maior pars interpretum, referunt ad inſitum nobis à natura, & impreſſum rationis lumen; Quo quid faciendum, quid fugiendum ſit naturaliter cognoſcimus; vocaturque merito, lumen vultus Dei, quia per illud in Dei cognitionem ducimur; eſtque in nobis ſignatum, quia deleri nequit, cum ſit impreſſum in animis noſtris. D. Hieron. hanc obſignationem diuini vultus, ad Chriſti Incarnationem accommodat; per quam Verbum Diuinum, quod eſt lumen vultus æterni Patris, hominibus innotuit; vt canit Eccleſia in præfat. *Quia per incarnati Verbi myſteriũ noua mentis noſtræ oculis lux tua claritatis infulsit*, *&c.* Tandem Chryſoſt. & Euthym. quos ſequuntur recentiores fere omnes, ſcribunt, *Lumen vultus Dei*, eſſe defenſionem, fauorem, & prouidentiam luculentiſsimam, qua Deus Dauidem

proſequebatur: omniumque oculis conſpicuam, atque illuſtrem reddebat: Vnde cor ipſius lætitia perfundebatur, & ſecuritate maxima perfruebatur: Sicut enim lux iſta corporea oculis mortalium quam gratiſsima eſt, ita afflictos, incredibili afficit gaudio diuini fauoris, & benignitatis lux. Paſsim certe, in Sacra Scriptura, *Lumen Dei ſeu, lumen vultus Dei*, accipitur pro eius fauore ſeu
Pſal. 66. 1. protectione, vt Pſal. 66. 1. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, &c.* Pſalm.
Pſal. 36. 6. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ nō confundentur*. Quaſi dicat: Qui eſtis in ærumnis poſiti, ad Deum confugite, & eius protectionis præſidio pro-
Pſal. 118 culdubio potiemini. Pſal. 118. *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*, ideſt; Præbe mihi lumen protectionis,
Pſal. 88. 16. ſeu, conſolationis tuæ. Pſal. 88. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, &c.* Quin etiam lumen abſolute, ſumi,
Pſal. 111 4. ſolet pro eodem, vt Pſalm. 111. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde*, ideſt, iuſtis afflictis, illuxit diuinæ cōſolationis benignitas. Hinc illuminatio vultus Dei pro
Pſal. 43. 4. eius fauore. Pſalm 43. *Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachiū eorum nō ſaluauit eos; ſed dextra tua, & illuminatio vultus tui.* Nam vt tenebræ, ſignificant tribulationes, & calamitates; ita lux pro diuina conſolatione
Iſai. 50. 10. vſurpatur. Iſai. cap. 50. 10. *Quis ex vobis timens Dominū, qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper Deū ſuum.* Locus eſt aptiſsimus; licet aliter ab alijs exponatur. Dauidis ergo in hoc verſu ſentētia eſt; Vt quid hoſtes, vel etiam amici mei, diuinæ prouidentiæ detrectare audent, dicentes: nullum eſſe à Deo ſperandum auxilium; cum manifeſtiſsimis ſignis declarauerit, ſuam erga nos beneuolentiam, atque protectionem.

¶ SIG-

¶ *SIGNATVM est ſuper nos*)

HEbraic. ita habetur, NESAH GHALENV: *Leua ſiue, exalta ſuper nos tamquam ſignum*; Quo pacto trāſfert Aquila D. Hiero. Pagn. Tigurina, Chald. *Eleua ſuper nos iucunditatem ſplendoris tui*. Symmach: *Inſigne fac ſuper nos lumen*, Verbum enim NASAS ſignificat eleuare vexillum. Et hic poſitum eſt, *He*, loco, *Samech*, ad idem ſignificandum. Quamquam hæc lectio non placet Genebrardo, aſſerenti legendum eſſe NISSAH in præterito NIPHAL, ita tamen vt redoleat ſignificationem vexilli, quod dicitur NES. Et hæc lectio eo eſt præſtantior, quo magis ad lectionem LXX. accedit: quos credibile eſt hoc modo legiſſe, tranferētes; *Signatum eſt*, ideſt; ſigni, aut vexilli inſtar, eleuatum eſt, &c. Tum etiam, quia aliter, non eſſet reſponſio ad propoſitam interrogationem, ſed oratio ad Deum. Sed quouis legamus modo, ſenſus erit: Exalta, ſiue exaltatū eſt ſuper nos, tamquam vexillum omnibus conſpicuū, auxilium tuum; quod intueri facile poſſunt, quicumque de tua eximia bonitate, & miſericordie erga me, non benè ſentiunt, & ex eo cognoſcere, te bonorum omnium largitorem, & autorem eſſe. Quare impij atq; ſtupidi admodū ſunt, qui in ſplendidiſsimo prouidētiæ tuæ lumine adeo cæcutiunt, vt poſtulēt oſtendi ſibi aliquam ſignificationem beneuolentiæ tuæ. Alterum ſenſum huic non valdè diſsimilem, (teſte Eugubino) addunt Hebræi Rabbini, dicentes; Prophetam agere cōtra eos, qui diligunt, vanitatem, & quærunt mendaciū. Quaſi dicat: O Deus noſter, attolle ſuper nos ſplendorem vultus tui, Non bonum, quod illi, cupimus, ſed te ipſum volumus. Tu noſtra voluptas, tu ſummum bonum, modo nobis lucem tuæ claritatis oſtendas. ¶

Digitized by Google

Poſtulat igitur diuinus Vates, iuxta Hebræorum ſenten tiam oſtendi ſupra ſe, ſuumque populum, ſupernaturalem diuinæ cognitionis lucem; quam intuentes, Deo Opt. Max. vt ſummo bono ſemper inhærere valeant; eiuſque voluntati audientes eſſe. Caiet. de hoc diuini vultus lumine ſuper nos eleuato, in hunc modum philoſophatur: Ad ſimilitudinem lucis ſolaris, cum eleuatur ad hemiſphærium ſuper nos oriente ſole, petit Dauid, quod Deus leuet ſuperſe, & ſuos, lumen vultus ſui, ex quibus infertur quod Dauid deſcribit ſe, & ſuos, eſſe tunc velut in nocte, mœroris ſcilicet, & afflictionis: & expectare, velut eleuationem, lucis diuini fauoris, & conſolationis, ſuper ſuum hemiſphærium, quæ abſcondita cũ eſſet, quaſi in alio hemiſphærio poſita videbatur. Arias Montanus docet Prophetam, Deum orare, vt ſigno aliquo conſpicuo, veluti erecto vexillo oſtendat, quæ partes ſint potiores; Dauidis; an aduerſariorum. Multi enim vitio animi, cœci, id ſcire cupientes, dicebant: *Quis oſtendet nobis bona? Q*uemadmodum ergo in bello, poſtquam vtrinque acriter pugnatum eſt; vexilli erectio, victoriam altervtrius partis deſignat; ita petit Dauid, vt leuet Deus vexillũ fauoris ſui, quo oſtendatur à Dauidis parte ſtare victoriam. Hinc colligitur, eas expoſitiones, quæ verbum, *ſignatum eſt*, accipiunt pro interna impreſſione, ſeu ſigillatione naturali, vel ſupernaturali, facta à Deo in animis noſtris, non eſſe ſatis litterali ſenſui conſentaneas: ſed poſſe per quamdam accommodationem conuenire. Nam etiam LXX. Hebraicam ſententiam obſeruarunt, vertentes E S Y M I O T H Y hoc eſt; ſignificatum eſt, vel ſigno oſtenſum eſt. Et Aloyſius Lipomã. auctor cathenæ in Pſalmos annotat LXX. viros doctos N E S A H, accepiſſe pro nomine NES. Littera He, addita, hoc eſt pro

vexillo

vexillo ſeu ſigno, à verbo N A S A H, inde vt ſenſus ederetur clarior, vertiſſe, ſignatum. Nam ſignum imprimitur, & vexillum defigitur. Ad ſententiam ergo magis inſpexerunt, quam ad verbum.] Hæc Lipomanus.

¶ *Super nos.*] G H A L E N V. *Qui* de lumine ſupernaturali locum interpretantur, ex his dictionibus anſam arripiunt. Sed G H A L, apud Hebræos, non modo *Super*, ſignificat, ſed etiam, *Iuxta*; *apud*, *ſecus*, vt liquet multis Sacræ Scripturæ exemplis. Qui vero, *Lumen vultus Dei*, accipiunt pro lumine rationis naturalis, verba (*Super nos*) exponunt in ſuperiori parte animæ noſtræ, ſecundum quam ratiocinamur. Nam in anima duas partes cōſtituimus; inferiorem, qua viuimus, & mouemur, & communem habemus cum cæteris animantibus: Superiorem, qua intelligimus, & diſtamus à beſtijs. *Quare* Hugonis Victorini annotatio, non ſatis ad inſtitutum facit, ſcribentis: ideo dictum eſſe, ſuper, & non ſubter, quia in ſuperiori natura tria ſunt, ſignans, ſignaculum, & ſignatum. Signans (inquit) eſt Deus, qui ſuam imaginem, primo Angelicæ naturæ, deinde humanę impreſſit; vt Angelica eſſet, quaſi ſignaculum; humana, quaſi ſignatum. Vnde primo Angelo dicitur; Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in paradiſo Dei fuiſti. Homo autem dicit de ſe, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, &c. Inſtar cuius in ſignaculo, vel ſigillo, primo figura Regis inſculpitur, & poſt ſubiectæ rei imprimitur; imago primo naturæ impreſſa eſt Angelicæ, inde quaſi ſecundum eum humanę inſignita. Sed, & alijs rebus modo ſuo, quia eorū miniſterio formantur, & reguntur.] Huc vſque Hugo. Qui huiuſmodi interpretationē quod duriuſcula ſit aduerbio, *Quaſi*, videtur temperaſſe. Nam (vt animaduertit Lorinus) nec præpoſitio ſuper, hunc innuit ſenſum, vt

nuper diximus, nec humanæ naturæ ſignaculo Angelicæ, impreſſa eſt diuini vultus ſimilitudo, cū Deus animas rationales per ſe ſolū creet, & infundat, nulla Angelorum interueniente opera; & lumen intellectuale, diuerſum valdè ſit in Angelo, atque in homine; quia ille nullo diſcurſu res percipit; hic verò per diſcurſum in rerum cognitionem deuenit. Quin etiam vox ſignaculi, homini nonnunquam tribuitur, vt Cantic. 8. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Et Agg. 2. 24. *Ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.*

Cant. 8. 6

Agg. 2. 24.

¶ *LVMEN vultus tui.*)

HEbr. ORPANECHA, ad verbum, *Lumen faciērum tuarum.* Notat Caiet. duos eſſe vultus in Deo, quantum ad effectum; alterum, quo reſpicit bonos, & iuſtos, eos adiuuando, atque beneficijs proſequendo. De quo idem Propheta loquitur Pſalm. 24. 16. *Reſpice in me, & miſerere mei.* Alterum, quo ad iracundiam prouocatus, malos punit. Iuxta illud Pſal. 33. 17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Prior vultus merito luci confertur, quoniam lucida facies, beneuola, gratioſaque eſt; ſicut è conuerſo, iratus ſeu indignatus vultus vindicatiuus eſt.] Lumen vultus, ſumitur, pro vultu luminoſo, ex phraſi Hebraica.

¶ *Dediſti lætitiam in corde meo.*)

IN Hebræa, & Chaldaica Editione verba hæc ad ſequentem verſum pertinent, in eum ſenſum, quem mox explicabimus. Sed in Editione LXX. quam Græci, & Latini Patres communiter ſequuntur cum præcedenti-

Digitized by Google

dentibus cohærent, indicatque iſtis Propheta ingenti cor ſuum perfuſum eſſe lætitia; vel ex euidenti diuini fauoris, & beneuolentiæ ſignificatione; vel ex impreſſione, & infuſione diuinæ cognitionis, tàm naturalis, quam ſupernaturalis. Quæ omnia non poſſunt homini, veritatis ſtudioſo, qualis erat Dauid, non maximam afferre iucunditatem. Notandumque eſt, quod cum dixerit: *Signatum eſt ſuper nos lumẽ vultus tui Domine*, numero multitudinis, addit in ſingulari; *Dediſti lætitiam in corde meo*. Vt doceat nō omnes diuinis beneficijs æque vti, atque oporteat: ſe verò superni luminis irradiatione fuiſſe vehementer exhilaratum, & in cœleſtium bonorum cupiditatem incenſum. Quare licet lumẽ rationis ſit omnibus cõmune; gaudium vero ex diuina gratia proueniens non omnibus confertur; quæ ſola poteſt corda noſtra vero gaudio cumulare. Vnde in hanc ſententiam ſcribit Hugo de Sancto Victore: Signatum eſt lumen, per naturam; dediſti lætitiam, per gratiam. Ideo ait ſuper nos, non ſuper me, quia communis eſt natura; & poſtea, in corde meo, non noſtro; quia ſingularis eſt gratia.] Sed vt videbimus recentiores hebraizantes, diuerſimodè explicant, connectentes hæc verba cum ſequentibus.

¶ VER-

VERSVS NONVS.

¶ *A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.*

HEbraicè ita habetur: *A tempore frumẽtum ipſorum, & vinum nouum ipſorum multiplicati ſunt.* D. Hierony. ex Hebræo transfert: *In tempore frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata ſunt.* Chaldæus: *A tempore, quo frumentũ eorum, & vinum eorum, multiplicata ſunt*: Similiter transferunt Pagnin. & Tigurina, & eamdem lectionem ſequuntur Vatablus, Eugubinus, Ianſenius, Montanus, Kampenſis, & cæteri hebraizantes. Quare Verſus hic intelligentiam habet valdè intricatam, ac multiplices admittit explanationes. Prima eſt D. Chryſoſtomi, Theodoreti, Euthymij, Dauidem hoc argumento conuincere eos, qui dicentes, quis oſtendit nobis bona? Diuinam videbantur negare prouidentiam, & communem curam, qua omnia creata, & præſertim homines, amplectitur; eis omnia ad vitam neceſſaria abundè ſuppeditans. Quapropter, inquit diuinus Vates, ipſos ingratos, & impios homines, ſtatis temporibus à Deo Opt. Max. frumenti, vini, & olei vbertatem maximam, omniumque bonorum temporalium copiam percipere; quo ſatis cognoſcere deberent, quanta ſit ſummi Numinis erga omnes prouidentia, atque benignitas: cum ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos, & malos, & pluat ſuper iuſtos, & iniuſtos. Hoc eodem argumẽto vſus eſt D. Paulus aduerſus Lyſtrorum incolas, Idolorũ cultores, ad probãdum vnicum eſſe Deum verum, cœli, & terræ creatorem, atque

Matth.

Act. 14.

atque gubernatorē; Act. 14. 17. dicens: *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* Per hæc tria, frumentum, vinum, & oleum, quæ præcipua bona ſunt ad vitam hanc tranſigendam, aiũt non modo prædicti, ſed cæteri omnes Patres, intelligi omnes temporales diuitias, quibus congerendis homines vehementer incumbunt. Secunda expoſitio eſt D. Auguſtini, Alcuini, Haymonis, Gloſſæ Interlin. & aliorum plurimorum dicentium, Prophetam his verbis oſtendere cauſam cur multi, verum illud, & ſummum bonum, quod in æterna beatitudine confertur, ignorent, & conſequi negligant; vt ſit ſenſus: Quid mirum ſi homines mali, & terrenarum rerum cupiditatibus implicati, Te Deus optime, qui ſummum es bonum, & bonorum omnium auctor, non agnoſcant non cupiant, non totis præcordijs diligant, cum bonorum temporalium affluentia, & curis, ſint maximopere diſtracti, nec corda ſua erigere valeant ad quærenda, & contemplanda cœleſtia? Perpendunt auctores præfati, nō vacare myſterio, quod non dixit; A fructu frumenti, vini, & olei tui, ſed ſui. Vt intelligamus, primum, terrenos homines, ita in diuitijs, & voluptatibus huius ſæculi fælicitatem ſuam ponere, vt eas tamquam idola colant, vt Paul. ait; & ipſis abundantes, beatos appellent. Iuxta illud Pſal. 143. 15. *Beatum dixerunt populũ cui hæc ſunt.* Deinde innuitur habere Deum aliud frumentum, vinum, & oleũ, quo abundant, & fruuntur viri iuſti, & rerum æternarũ ſtudioſi. Hoc aiunt Nicolaus, Dionyſ. Titelm. & alij eſſe Sacroſanctam Euchariſtiam, in qua totus Chriſtus nobis, ſub ſpeciebus panis, & vini in cibum animarum confertur, & oleo gratiæ, rite ſumentes impinguantur, & multiplici virtutum genere augentur. Vnde Eccleſia

Pſal. 143 15.

ſia canit in officio corporis Christi: *A fructu frumenti, & vini multiplicati fideles, in pace Christi requieſcunt.* Nõ facit mentionem de oleo, quia ſolum viſibiliter oſtenduntur, panis, & vini ſpecies: Oleum auté cum ſpectet ad internos effectus huius diuiniſsimi Sacramenti, non meminit Eccleſia. Præterquamquod in Textu Hebræo non eſt vox, *Olei*, vt videbimus poſtea. Vel per *frumentum* innuitur (vt docent Remig. Alcuinus) Chriſtus Dominus, qui ſe appellat granum frumenti, per paſsioné mortuum, ſed per reſurrectioné adeo multiplicatum, vt ipſius fructu, repleta ſint horrea vniuerſa, tam militantis, quam triumphantis Eccleſiæ: *Vinum*, denotat Spiritus Sancti gaudium, & eius efficacitatem, qua inebriati ſancti viri, & præſertim martyres, indicibilia pro Chriſto tormenta alacriter pertulerunt. De quo vino dicebat Dauid Pſal. 22. 5. *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt!* In hoc ſi quidem calice propinatur vinũ illud quod verè lætificat cor hominis, & germinat virgines. Per *oleum*, tandem omnium diuinorum chariſmatũ pinguedo ſignificatur; qua imbuuntur iuſtorũ capita, hoc eſt, partes ſuperiores animæ. Iuxta Dauidis dictum eodem Pſal. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Tertia explicatio eſt Nicolai de Lyra connectentis ſuperiora verba: *Dediſti lætitiam in corde meo*, cum ijs, quæ hoc verſu cõtinentur. Vt ſit ſenſus: Dediſti lætiam in corde meo, nõ ſolum de liberatione mea ex manu Saul, ſed etiam de liberatione populi Iſrael, ab infeſtatione Philiſtinorũ, qui venerunt ad occidendum, & deprædandum, & vaſtandum bona eorum. Quibus per Saulem debellatis, & fugatis, populus Iſrael collegit pacificè fructus ſuos. Ideo ſubditur: *A fructu frumenti, & vini, &c.* Et per iſta tria intelliguntur alia terræ naſcentia.

Pſal. 22. 5. — *Pſal. 22.*

¶ Quartam expoſitionem affert Paulus Burgenſ. qui cum

Digitized by Google

cum aſſerat Dauidē hoc Pſalmo inuehi in Idololatras, quos adhortatur, vt falſo Idolorum cultu relicto, vero Deo ſacrificium iuſtitiæ offerant; cenſet hunc verſum ad litteram loqui de ſacrificio Altaris, quod eſt ſummū & verum ſacrificium, ſub ſpeciebus frumenti, & vini, per Chriſtum ſacerdotem, ſecundum ordinem Melchiſedech conſecratum. Qui ſenſus propriè applicatur ſic litteræ. Nam cum Pſalmiſta ita inuitaſset idololatras ad ſacrificandum Deo in generali, in hac particula reuertitur ad commendādum fructum huius ſummi ſacrificij in ſpeciali, Deo regratiando, & alloquendo ſic: Dediſti lætitiam in corde meo dum per ſpiritum video ex infidelibus, ſeu Idololatris, qui modo ſacrificare Deo refugiunt, fideles multiplicari de fructu frumenti, & vini conſecrati. Tunc enim incæpit fidelium multiplicatio, cum hoc ſacrificium divulgari incæpit, vt patet Act. 2.) Huc vſque Burgēſis. Quem ſequitur Lipomanus in ſua Cathena ſuper Pſalmos, affirmans verſum hunc continere propheriam Dauidis de florentiſsimo ſtatu Eccleſiæ, in quo fideles ex omnibus gentibus augēdi, & omnibus ſpiritualibus donis replendi erant à Communione ſacratiſsimi corporis, & ſanguinis Chriſti: Nec non digna Sacræ Confirmationis, atque Extremæ vnctionis ſuſceptione; Quibus duobus poſtremis Sacramētis, materiam, oleum conſecratum, ſeu benedictum ſubminiſtrat. Sed huiuſmodi expoſitio, alijs myſtica potius, quam hiſtorica videtur. Quapropter antiqui Hebræi, quibus adhærent plurimi ex recentioribus catholicis, cenſent Dauidem ad litteram, loqui de temporali abūdantia, ſeu opulentia frumenti, vini, & olei, cæterarumquè diuitiarum. Et ſenſus erit iuxta Hebræos, vt teſtatur Eugubinus: Dediſti mihi, Deus, eam mentem, vt lætus eſſem in eorum bonis, quo tempore maxima capiebant

bant ex fructibus frumenti, vini, & olei bonorum incrementa, nec illis proſperitatem inuidebam, aut tyrannicè auferebam; ſecus atque illi, qui mihi vitam, & regnum eripere conabantur. Sed victi tuis beneficijs fortaſſe agnoſcent, quam ſcelerate coniurarint aduerſum me, quem in regem inaugurasti. Hoc autem, dono tuo habeo, vt eorum fœlicitate gaudeam, non doleã. Hoc etiam modo interpretantur Vatablus, Kampenſ. Bredenbachius, Genebrardus: *Quia vero præpoſitio*, MIN, *ab*, vel, *à*, ſæpè comparationem denotat, alij vt Arias Montanus, Matthias Bredenbachius, Kampenſ. in ſua verſione ita explanant: Quod me optimè Deus, fauoris tui lumine, tamquam fortiſsimo præſidio contegas, atque tuearis, tantopere cor meum oblectaſti, vt maius mihi ſit gaudium, quam hoſtibus meis, qui cunctis opibus, & fructibus frumenti, vini, & olei affluunt, quo tempore ego his omnibus, propter perſequutionem ſum deſtitutus: Idcirco longè iucundiorem, atque beatiorem vitam ago, quam illi.] Et hæ duæ expoſitiones videntur magis litterali ſenſui congruere. Quas affert etiam Ianſenius.

A *Fructu.*] Dixi in Hebræo eſſe MEGHET, *A tempore.* Quomodo legunt Chaldæus, & cæteri interpretes. Et eamdem lectionem ſequuntur D. Auguſtinus, Caſsiodorus, Arnobius, Divus tamen Hierony. transfert: *In tempore.* Quod eumdem ſenſum efficit. LXX. magis ſenſum, quã verba ſpectãtes verterunt; APO KARPV, *A fructu.* Quam interpretationem, adeò eſſe perſpicuam contendit Lipomanus, vt ad eam intelligendam nullo modo recurrere oporteat ad Codices Hebraicos, nec quidquam addere, vel mutare. Indicat enim Dauid, hoſtes ſuos ingenti vbertate, & prouentu

Digitized by Google

uentu frumenti, vini, & olei, maximopere lucupletatos fuiſſe, in quo ſuam ſpem, & fœlicitatem conſtituere videbantur: ſe vero totum à diuina ope, & prouidentia pendere. Sed ſi præcedentis verſus verba vltima, cũ hoc verſu coniungamus, vt volunt Hebræi, neceſſario videtur aliqua particula ſupplenda, vt clarior fiat ſenſus. Quapropter Chald. Pagnin. & Tigurina addunt pronomẽ, Quo, hoc modo: *Dediſti lætitiam in corde meo, à tempore quo frumentum eorum, & vinum eorum multiplicata ſunt.* Quia (vt notat Matthias Bredembachius) eſt vſitatiſsimum cum cæteris Hebræis, tum noſtro huic Prophetæ, relativum ASSER, quod ſignificat, Qui, quæ, quod, non exprimere, ſed ſub intelligendum relinquere.

¶ *FRVMENTI, vini.)*

HEbraicè; *Frumentum eorum, & vinum nouum; ſeu muſtum eorum.* DAGAN autem, nõ modo triticum, ex quo panis communis efficitur ſignificat, ſed etiam omne genus farris, & leguminum. TIROSC, ſignificat novum vinum, ſeu muſtum. Quo maior indicatur abundantia, dum plenis adhuc horreis, & cellarijs frumenti, ac vini veteris, noua ſuccedunt frumenta, & vina, quibus mirũ inmodum, opes multiplicantur.

¶ *ET olei ſui.)*

IN fonte, non habetur, neque in Chaldaica Paraphraſi, neque in Divo Hieronymo, & cæteris tranſlationibus, quæ ante, & poſt eum ex Hebræo factæ ſunt. Quare idem Hieronym. in Commenrarijs affirmat, prædictas dictiones, ſe neque in vetuſto Origenis exemplo pſalterij emendato, neque in Hebræo, neq; in cæteris Editionibus, neq; apud ipſos LXX. interpretes reperiſſe

reperiſse. Cum autem in emendatioribus Codicibus Vulgatæ Editionis, tam Græcæ, quam Latinæ, quam veteres omnes Patres ſequuti ſunt, habeantur; exiſtimant nonnulli, vel in Hebræo Exemplari, ex quo LXX. viri tranſtulerunt, ea verba extitiſse: Vel ipſos diuino inſtinctu addidiſſe, ad manifeſtãdam omnimodam bonorum temporalium copiã, ex more Sacræ Scripturæ, quæ hæc tria coniunctim, numerare ſolet. Vt Num. 18.
Num. 18 Deut. 12. 12. *Omnem medullam vini, olei, ac frumenti, &c.* Deuter.
12. 17. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, &c.* 2. Paralip. 31. 5. *Plurimas*
2. Paral. 31. 5. *obtulere primitias filij Iſrael, frumenti, vini, & olei, &c.*
Ioël. 2. 19. Ioël. 2. 19. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis, &c.*

¶ Richardus Cenomanus exiſtimat probabile eſſe in quibuſdam Codicibus dictioni THIROSCAM, additam litteram *Nun*, hoc modo THIROSCAMEN, ſicq; oleum etiã exprimi, quod Hebraicè dicitur SCEMEN. Sed hæc coniectura nõ eſt veroſimilis, cum duæ litteræ deſint, quas neceſſe erat reponere in dictione, SCEMEN, & MEM, in fine ad poſseſsionem denotandam. Nec quod nobis non ſit ſatis exploratum, quo pacto, verba; *Olei ſui*, in Textum irrepſerint, ſunt ab eo expungenda, vt vult Faber; ſed communi Eccleſiæ cõſenſu retinenda. Genebrad. ex Diuo Dionyſio Areopagita, & Arnobio aſserit addita propheticè à LXX. propter myſterium, ad innuendam materiam Sacramẽtorum nouæ Legis, quibus Chriſti fideles ſpiritualiter proficiunt, & multiplicantur. Quamobrem non ſolum exprimuntur frumentum, & vinum, quæ ſunt materia Euchariſtiæ, ſed etiam oleum, ſeu chriſma conſecratũ, quod deſeruit nonnullis alijs Sacramentis. Quidquod cum Iudea oliuis, & oliuetis abundaret, decuit etiam

olei,

Digitized by Google

olei, hoc loco, vbi de illius regionis abundantia legitur, fieri mentionem.

¶ *MVLTIPLICATI ſunt.)*

HEbr. RABBV. Quod & ad res ipſas referri poteſt, vt transferunt omnes ex Hebræo, & ad homines, vt habet noſter interpres, eritque ſenſus: Tum frumentum, vinũ, & oleum, maxima cum vbertate prouenisſe: Tum ipſos Dauidis aduerſarios, ex ſumma fructuum terræ copia, in eximium numerum, & dignitatem excreuisſe. Nam verbum RABAB, ſignificat augeri, multiplicari, magnificari. Forſan Dauid innuere voluit, ex tanta annonæ, & commeatus abundantia Abſalomi exercitum, mirum inmodum auctum fuiſſe, ingenteſq; ſpiritus ſibi arrogasſe; Nec propterea Dauidem mœrore contabuisſe, ſed potius exultasſe vehementer; cum certisſimè ſperaret victorem ſe tandem euaſurum.

VERSVS DECIMVS.

¶ *IN pace in idipſum dormiam, & requieſcam.)*

HVIVS etiam Verſus multiplex eſt intelligẽtia. Euſebius, & Didymus, dicunt huiuſmodi ſomnum, & requietẽ, eſſe remisſionem quãdam, & ceſſationem ab intenta diuinarum rerum contemplatione; per quã in præſenti vita, mens in ſinu ſpiritualis conſolationis, veluti dormiens, atq; requieſcens, reaſsumptis viribus ad ſupernam meditationem accingatur: Quemadmodũ corpus aſsiduis actionibus, & laboribus incumbens, indiget interdũ ſomno, & quiete, vt posſit denuo ſuis occupationibus operam nauare. Quare iuxta hanc expoſitionem ſenſus erit: In

pace interna nullo interueniente curarum ſtrepitu,ceſſabo à diuinis myſterijs ſpeculandis,quo ardentius valeam, in idipſum reuerti.

¶ D. Auguſt. ait: Dauidē prophetice agere de perfectiſsima requie,& dormitione,qua potiturum ſe ſperabat; cum ab omnibus ſæcularium rerum curis, atque cupiditatibus liber, æternarum rerum cōſiderationi,& amori, totum ſe, addicturus erat. Hanc enim mortaliū miſeriarum obliuionem, optimè vocat ſomnum, *& requietem animæ*;quæ nō obtingit,niſi ijs,qui contemptis rebus ſæcularibus, interna pace perfruuntur. Cum autem hæc requies, perfectè in hac vita poſsideri nequeat: Ideo de futuro loquitur Propheta dicens: *Dormiam, & requieſcam*; Tunc ſane cum corruptibile hoc induetur incorruptione, & mortale hoc induetur immortalitate. Per, *In idipſum*,ſignificari docet idem Auguſtinus, diuinam eſſentiam; in cuius viſione, & contemplatione, hæc perfecta requies,& pax æterna conſiſtit. D.Chryſoſtomo,& Caſsiodoro placet loqui Dauidem de quiete,& trāquillitate, quam iuſti in hac vita poſsident: orta ex pace interna, ſecundum quam pia mens vitia deteſtans,ac fugiens, Deique voluntati pro viribus inhærens, inteſtina deſsidia carnis, & ſpiritus, compoſita habet; carnem ſpiritui obedire compellens. Hac qui pace perfruitur,non poteſt non ſumma iucunditate, & tranquillitate perfrui; quaſi in vtramque aurem dormiens,conquieſcere. Quod nullatenus competit impio; cui nulla eſt pax, nulla interior requies; cum peccatorum conſcientia,eum aſsidue exterreat; quamuis exterius ingēti pace,& lætitia potiri videatur.Hanc ſpiritualem pacem Dominus nobis detulit,dicens; *Pacem meam do vobis*.Quæ cum ſit durabilis,permanens,& æterna; Idcirco inquit Dauid: *In pace in idipſum*, hoc
Ioan. 14. 27.

eſt,

Digitized by Google

eſt, in ipſam veram entitatem numquam defecturam, ſemper inſiſtam.

¶ Plures Patres per *ſomnum*, intelligunt mortẽ corporalem, quæ ſomnus, ſeu dormitio, in ſacris litteris appellari ſolet: Et per *requietem*, æternam beatitudinẽ, in qua eſt perfecta,& inuariabilis requies. Hanc Dauid ſe conſequuturum aſſerit per Chriſti paſsionem, & reſurrectionem; quæ pacem hominibus attulerunt, cæliq́; ianuas reſerarunt. Aliqui vt Bruno,& Richard.de Sancto Victore ita interpretantur: In pace animi, à gratia tua proueniente, dormiam in hac vita, per obliuionem rerum ſæcularium;& requieſcã in futura vita per adeptionem æternæ fœlicitatis. D. Thomas, ſingula expendens verba, ſcribit, Prophetam oſtendere, in quibus ſita ſit cordis ſui vera lætitia. Primo, quia bonũ, quod ipſe inquirebat eſt æternum; cum hoſtes ſui, bona fluxa huius ſæculi appeterẽt. Deinde, quia eſt vnum,& ſimplex cumulatiſsime ſufficiens, cum mundana bona multiplicia ſint, atq́; deficientia. In hac vero vita dicitur iuſtus in bono ſtare,& requieſcere quadruplici ex cauſa: Prima, Quia nõ impeditur exterius. Et ideo dicit, in pace. Secunda, Quia illud bonum, eſt immutabile; & idcirco dicit, in idipſum. Tertia, Quia ſine ſollicitudine habetur,& propterea dicit: Dormiã. Quarta, Quia requieſcit à labore conquirendi. Et ita dicit: Et requieſcam. Quod tametſi in hac vita habere poſsint, ſecundum inchoationẽ, omnia tamen perfectiſsima erunt in patria.

¶ Paulus Burgenſis perſiſtens in ſua expoſitione, quã vocat litteralem aſſerit, quod quia ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini, eſt vnionis, & charitatis, per quam fideles in pace Chriſti, & Eccleſiæ, requieſcunt; ideo inquit Dauid: In pace in idipſum,&c. Quaſi dicat: Et ſi corporaliter non attingam hoc Sacramentum, in

pace, ideſt, in vnitate, in idipſum,per fidem,dormiam, in præſenti,& in futuro requieſcã, firmiter expectando diuina circa hoc promiſſa.] At vero recẽtiores interpretes, vt Vatabl. Ianſen. Kampenſ. Eugubin. Montã. Bredembach. & alij Hebræos ſequuti, cenſent Dauidẽ ad litteram loqui non modo de interna pace, & requie, ac ſomno ſpirituali, ſed etiam de externo,& corporeo, in hanc ſententiam: *Quantumvis illi iniuſtiſsimo me odio,& bello perſequantur, ego tamen cum ipſis ſemper optaui,& opto pacem habere, & recõciliari. Quod ſpero futurum,& tunc vna cum illis,ſecurus, quietuſq; cubabo,atque in vtramque aurem dormiam, cum nihil ſit, quod ſomnum meum interturbare poſsit.* Hæc expoſitio iuxta hiſtoriam,Dauidi quadrat apertiſsimè. Is enim ſemper præ ſe tulit,atque declarauit,quam ex animo bene precaretur,etiam hoſtibus ſuis;& quantoperè deſideraret cum illis redire in gratiam, & pacem componere; nec voti compos non eſt factus, vt conſtat ex
2.Regum 19. 2. Reg. 19. Genebrardus, Kampenſis, & Montanus ita exponunt: Quidquid illi contra me perſtrepant, & tumultuentur, maximo comparato exercitu, & commeatu, bellicisque inſtrumentis; ego nihilominus multò quam ipſis melius,dormiam,ac requieſcam ſumma cum tranquillitate, & ſecuritate; cum tua me ſemper tueatur benignitas, atque prouidentia. Sed prior expoſitio videtur magis conueniens litteræ. Iuxta myſterium verò Chriſto Domino (cuius Dauid typus fuit) cõpetit quam maximè, qui nihil magis verbis, ac geſtis docuit,quam pacem, & charitatem exercere, etiam erga inimicos: illos nõ modo ex animo diligendo,ſed etiam bene ipſis faciendo,& pro eis orando: Quod & in cru-
Luc. 23. 34. ce pendens abundè præſtitit, pro crucifixoribus orans, dum dixit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.*

Quæ

Digitized by Google

Quæ etiã ipſe optimè dicere potuit; *In pace in id ipſum dormiam,&c. Nam in ipſo*, vt Paul.ait, Col.1.19.*Complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Quare, pace hac parta, dormiuit per crucis mortem, cum inclinato capite emiſit ſpiritum; & requieuit per glorioſiſsimam corporis ſui reſurrectionem. *Nam reſurgens ex mortuis iam non moriturus eſt, mors illi vltra non dominabitur.* Colo. 1. Paul.Roma.6.9.

IN *id ipſum.*] D. Hierony. Chaldæus, & Tigurina vertunt, *Simul.* Pagninus, *Pariter.* Nã Hebr.eſt IAHHDAV, Quod ſignificat, vna, ſimul, pariter. Græce ΕΠΥΤΟΑΥΤΟ. *In idem*, ſeu, *in id ipſum.* Quod referri poteſt, vel ad perſonas, quemadmodum aliqui exiſtimant, propter litteram *Vau*, quæ ſolet perſonam denotare. Vt ſit ſenſus: Pace habita cum grege, & populo meo, vna cum ipſo tanta ſecuritate potiturus ſum, vt abſque metu, vel ſolicitudine, tranquillus degam. Poteſt referri etiã, *Ad dormiam, & requieſcam.* Quaſi dicat: Simul dormiam, & requieſcam; quia vſu venire ſolet, vt quis ſomno opprimatur, tametſi anxietatibus diſtentus, non tamen quieſcere poteſt, curis eum interturbantibus, & euigilare cogentibus. Nec littera *Vau*, aliquid denotat, nam IAHHDAV, cum *Iod*, & ſine eo eamdem habet ſignificationem cum IAHHAD, vt patet Pſalm.33.4. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipſum.* Pſalm.121.3. *Cuius participatio eius, in idipſum.* Vbi ponitur dictio IAHHDAV, hoc eſt, vna, pariter, ſimul. Gen.13.5. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul, erat quippe ſubſtantia multa eorum, & nequiebant habitare cõmuniter.* Pro, ſimul, & cõmuniter, eſt idem aduerbium IAHHDAV. Quare cũ ſemper in ſacris litteris ad vnionem, & cõiũctionem Pſal. 33. Gen. 13.

perſonarum ſignificandá, collocetur; exiſtimarim, hoc loco referri ad perſonas, non ad ſequentia verba.

¶ *Dormiam, & requieſcam.)*

HEbrai. ASCHEBAH VE ISCAN. Quod Chaldæus, & Pagnin. transferunt; *Accubabo, & dormiam.* Tigurina: *Iacebo, & dormiam.* Quam interpretationem ſequuntur Kampenſ. Ianſen. Vatabl. *& alij.* D. Hieronymus: *Requieſcam, & dormiam.* Verba enim Hebræa LASSAN, & SACAB, promiſcue accipiuntur pro iacere, cubare, dormire, requieſcere. Vt accepiſse videtur D. Hieronymus. Caietanus priorem lectionem magis probans, docet duo hæc poni, à Dauide; *Iacebo, & dormiam,* ad deſcribēdam omnimodam, & omnibus ſuis numeris abſolutam quietem, & tranquillitatem, quam in ſuo regno adepturus erat. Nam, & iacere ſine dormitione, inquietudinis eſt; & dormire abſque cubitu ſollicitudinis eſt; vtrumque autem habere ſine pace, timentis eſt. ‖ Sed placet maximè noſtræ Vulgatæ lectio; Quia Reges, & potentes viri non dormiunt, niſi in lectis cubantes; nec requieſcere ſolent niſi pace fruentes. Quapropter dicens: *Dormiam, & requieſcam,* perfectam tranquillitatē deſignauit. Præterea hæc lectio myſtico ſenſui magis congruit: Dormitionem enim mortis ſequitur requies æterna. De qua Eccleſia in Officio defunctorum pro defunctis orat: *Requiem æternam dona eis Domine, &c.*

✠

VERSVS

VERSVS VLTIMVS.

¶ *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.)*

VERSICVLVM hunc cum præcedenti cõiungunt Hebræi. In quo, cauſam reddit Propheta, cur tantam pacem, requiem, & tranquillitatem ſibi polliceatur. Qui cenſent (vt Origen. Didym. Heſychius, Bernard. Alcuinus, & alij) per *ſomnum* intelligi, corpoream mortem, & per *requiem*, æternam fœlicitatem; docent, hanc ſpem, eſſe Theologicã virtutem; quam Dei ſerui habent de futura beatitudine, & ipſius bonis. Quæ ſpes, cum ſit ſupernaturalis, à ſolo Deo in anima infunditur. Eſtque adeo infallibilis, vt numquam eam habentes, confundat, aut fruſtret, vt inquit Paulus ad Rom. 5. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Euthymius docet, ſignanter hic ſermonem eſſe de ſpe reſurrectionis ad gloriam, & immortalitatem; ita vt Beatus Dauid ex perſona ſui corporis, hæc dixiſſe in hunc modũ videatur: Tu Domine, habitare me feciſti in ſepultura, & cõſtituiſti me ſolitarium, ac ſingularem illic eſſe, à ſocia mihi anima diſiunctum: verum hoc nõ ſimpliciter, ſed in ſpe reſurrectionis: Quandoquidem iterum animam ſuſcepturum ſperem.] Haymo, & D. Thom. dictionẽ, *Singulariter*, ita explicant: Singulariter in ſpe; ſcilicet, habita de te ſolo, quia nihil niſi te ſolum deſidero. Vel ſingulariter, id eſt, diuerſo modo, à multiplicatis, hoc eſt, amatoribus terrenorum.] D. Ambroſ. hæc interpreta-

Roman. 5. 5.

pretatur de eo, qui à iuventute ſua, iugum Dominicæ legis, ita portauit, vt nullorum ſibi conſcius delictorũ, certiſsima ſpe promiſsi præmij potitur. Sunt autẽ Ambroſij in obitu Theodoſij verba hæc: Qui iugum graue portauit à iuventute, requieſcit: poſtea remotus à turba præcipuum locum quietis ſuæ poſsidet; portauit iugum graue à iuventute ſua Lazarus pauper, ideo ſingulariter in ſinu Abrahæ requieſcit.] Idem ſcribit ſuper Pſalm. 118.

¶ Myſticè vero, vt notant Origenes, & Dionyſius, potuit hæc dicere Chriſtus multo excellentius, quam noſter Propheta. Ille enim in quantũ homo ſingularis eſt, cum ſit etiam Deus ſingulari modo, hoc eſt, Spiritus Sancti virtute conceptus, nullius peccati particeps, ſegregatus à peccatoribus, &c. Quod autem attinet ad ſpem, Theologice loquendo, in ipſo nec fides, nec ſpes propriè fuit, cum eſſet beatus, & comprehenſor ab inſtanti conceptionis: Sed in quantum ſpes dicit expectationẽ alicuius boni futuri, ſic Chriſtus habuit ſpem: expectabat enim reſurrectionem à mortuis, & corporis ſui glorificationem. Quæ ſpes adeò in ipſo ſingularis fuit, vt nulli alteri iuſto competere valeat, cum ſeipſum diuina qua pollebat potentia, reſuſcitauerit; & noſtræ cauſa ſit, non modo exemplaris, ſed efficiens etiã, reſurrectionis futurę. Nam ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, vt ipſe teſtatur Ioan. 6. 40. *Hac eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.*

In Chriſto quomodo fuerit ſpes.

Ioan. 6. 40.

¶ Hebræi, quibus ſubſcribunt Ianſenius, Vatablus, Eugubin. Kampenſ. Montanus, & ſimiles hebraizantes, cenſent ad litteram loqui Dauidem, non modo de ſpe futuræ beatitudinis: ſed etiam pacis, & quietis, qua deuictis,

uictis, & pacatis hoſtibus, fruiturus erat in regno ſuo, vt in præcedentibus verſiculis vidimus. In qua ſpe ſe ſingulariter conſtitutum aſserit: Vel, Quia cæteris ſuis cõmilitonibus de victoria, & quiete huiuſmodi deſperantibus; aut ſaltem dubitantibus, ipſe ſolus, Deo reuelãte, ſpem certiſsimam hanc cõceperit: Vel quia deſperatis, & deficientibus rebus omnibus, quæ ad ſalutẽ conducere poterant, in ſolum Deum, ita ſpem ſuam defixerat, vt proculdubio, ſe victorem euaſurum cognoſceret.

Q*Voniam.*] Hebr. CHI, Euthy. opinatur, hanc dictionem ſuperuacaneam eſſe hoc loco; vt ſæpè alibi in S. Scriptura, iuxta Hebraici idiomatis proprietatem, vel poni pro aduerbio confirmandi. Nam ſæpè numero apud Hebræos idẽ ſignificat quod, *Vere, certe.* Verum cum in omnibus Editionibus per cauſalem dictionem explicetur: potius videtur dicendum, eſſe hoc Æthiologiam, hoc eſt, cauſæ redditionem.

S*Ingulariter.*) In fonte LIBADAD, *Solitarie, ſeorſum.* Græcè, *Kata monas.* D. Hier. vertit: *Specialiter.* Dauid Chimi dicit referri ad Deũ, hoc ſenſu: Tu ſolus es, qui hanc ſpem mihi præſtare potuiſti, vt in regno meo ſecure, & tuto degere valeam. Sed poteſt etiã (vt paulò ſuperius attigimus) referri ad Dauidẽ: qui ſolus hac ſpe inter omnes ſibi ſubditos, fuit confirmatus. Et hæc interpretatio videtur magis Textui congruere. Nam vt oſtendat Dauid, eximiam ſecuritatis ſuę confidentiam, dicit ſe ad ſolitudinem, vel ſolitariè, Deo auctore, eſſe habitaturum; iuxta ſpem maximam, quam in Deum habebat. Qui enim ſolitarie, vel in ſolitudine degunt; ſecuri ſunt, & nihil ſibi timent. Iuxta illud Deute. 33. 28. *Deut.* 33
Et habitabit Iſrael confidenter ſolus. Et Mich. 7. 14. *Habitantes ſolos in ſaltu, &c.* Ideſt, tuto, & ſecurè. *Mich.* 7. 14.

¶ *IN ſpe conſtituiſti me.*)

IN Hebræo Textu eſt futuri temporis, THOSCIBENI. *Habitare facies me.* Sic Pagnin. Kampenſ. Eugubinus vertunt. Child. D. Hierony. vt LXX. per præteritum hic: *Habitare feciſti me.* Ille: *Sedere feciſti me.* More prophetico quod futurum erat, tamquam iam præteritum enarrando. Vatabl. cum Tigurina per præſens explicat: *Habitare facis me.* Diximus ſœpè poni tempus, pro tempore; ſed præſtat noſtra Vulgata Editio, præterito vtens; vt etiam transfert Aquila. Nam Propheta voluit oſtendere, ſingulari hac diuini fauoris ſpe, ita fuiſſe tranquillo animo effectum, vt in maxima ſecuritate conſtitutus degeret, atque habitaret. *In ſpe.* Hebr. LABETAHH, *Confidenter*, vt Pagnin. vel *Secure*, vt Chaldæus, & D. Hieron. nam *Lamed*, ſeruit efformando aduerbio, vt LEBADAD, hoc eodem verſu, cum idē valeat his locis *Lamed*, quod, Ad; Vnde, ad ſolitudinem, ſignificat ſolitarie, vel ſeorſum: Ad fiduciam, fiducialiter. BATAHH verò ſignificat fiduciam habere, confidere, ſperare. Aquila: *Ad fiduciam*, hoc eſt, fiducialiter. Vt paulò ante dixi.

In Pſalm. Quartum Carmen Elegiacum.

VIX, Deus Alme, tuam pulſo clamoribus aulam,
Cum grata voces percipis aure meas.
Nam que meam iuſtè, vitam cauſamque tueris.

Qui

Qui mentem puram, geſtaque munda probas.
Et cum dira premant tot me diſcrimina mortis
Dilatas animum, lætificasque meum.
Né tua, Summe Deus, pietas me deſerat vnquam;
Nec mea deſtituas vota, fauore tuo.
At vos, ó homines clari, vos inclyta proles,
Cur veſtra afficitis pondere corda graui.
Cur ſtudia, heu cæci, vana, ac fallacia amantes
Mi vultis vitam tollere, & omne decus?
Res nota eſt, Dominus quod me pietatis amantem
Mirificans, regni ſceptra tenere iubet.
Ad quem vim patiens, quoties clamauero, iuſtas
Audiet é cœlo, protinus ipſe preces.
Vos iræ, ſi fortè, furor percellit iniquus,
Ingenuis ne diu, mentibus inſideat.
Tempore ſed potius, quæ ſunt iactata diurno,
Sub noctem, ſomnus cum capiendus erit,
Diſcutite; & ſcelerū memores, ſtratiſque cubātes;
Crimina vos lacrymis tergite veſtra pijs,
Sic decet innocuis animis manibusque litare,
Vt placeat ſancto victima veſtra Deo.
In quo ſpem ſolo, ſemper defigite veſtram,
Largiri ſolus, qui bona cuncta valet.
Non deſunt multi, impietas quos occupat ingens,
Dicentes; Quis nos hæc bona habere docet?
Tu Deus, extollens victo velut hoſte trophæum
Oſtenta vultus lumen, opemque tui.

Tali

Tali ſæpè meum perfuſum lumine pectus
Exultat, laudes concelebratque tuas.
Diuitias quare ingrati ſibi deeſſe queruntur
Seque habuiſſe Dei munera multa negant?
Cum ſint plena nouo, ipſorum cellaria vino,
Vix triticum capiant horrea magna ſuum.
Non ſortem inuideo: cupio ſed tempus adeſſe,
Cum dabit amplexus pax, & amica quies.
Tunc potero tutus placido dare membra ſopori
Integras noctes, atque iacere ſimul.
Nam te, Magne Pater, ſocijs me præ omnibus vnum
Hac in ſpe firmum, conſtituiſſe ſcio.

FINIS.

QVONIAM horum Commentariorum excuſsioni, impoſitus fuit finis in profeſto die, ſeu vigilia Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, quam abſque labe Originalis peccati fuiſſe, pijſsime credo, atque profiteor; eiuſque deuotioni, ac defenſioni me non ſemel iureiurando obſtrinxi, idcirco viſum eſt hoc loco ſequens Epigramma venerationis ergo ſubijcere.

¶ AD



Digitized by Google

¶ AD SANCTISSIMAM DEI genitricem ſemper Virginem MARIAM, abſque peccato originali conceptam.

Auctoris Carmen ex voto.

VIRGO PARENS, hominum columen, ſpes vnica mundi,
Inventrix Vitæ, fulgida STELLA maris,
Plena Deo, Sanctæ TRIADI gratiſsima ſemper,
Immaculata, omni crimine ſola carens,
Diuini vultus SPECVLVM; PORTA inclyta Cœli,
FONS Sophiæ, PVTEVS viuificantis aquæ,
Vt SOL electa, vt rutilans pulcherrima LVNA,
VRBS fundata ſuper montibus alma ſacris,
TVRRIS, PALMA, CEDRVS, PLATANVS, CYPRESSVS, OLIVA,
MYRRHA fragrans, NARDVS, BALSAMA cuncta ſimul,
Spinoſas inter vernans ROSA candida, ſentes,
HORTVS clauſus, dans vndique delitias,
Tu, prius ex nihilo fieret quam machina mundi,
Et Cœlos mira conderet arte Deus,
Anteq; quam ſtabilis libraret pondera terræ,
Componens aptis cuncta elementa locis,
Ante maris vaſtas quam refrænaret Abyſsos,
Littoribus vallans (carceris inſtar) aquas.
Prima priuſquam lux tenebris ex orbe fugatis,

Princi-

Principium ſæclis, temporibuſque daret:
Cum nondum ſolido radiarent ſydera cœlo:
Nec geminus firmo ſtaret in axe Polus
Ante graui poſsent, quam mole exiſtere montes,
Ac varias Tellus promere poſset opes,
Iam TRINI fueras decreto NVMINIS alto,
Electa vt GENITRIX efficerere Dei.
Hinc eſt quod tibi non nocuere piacula ADAMI
Fœdauit mentem nec macula illa tuam,
Incurrit merito quam tota humana propago
Immunduſque ideo naſcitur omnis homo.
Primus enim Pomum, male ſuadi Dæmonis aſtu,
Deguſtans vetitum ſe dedit vltro neci.
Ac ſimul in Natos virus diffudit abunde,
*Q*uo genus infecit (proh dolor) omne ſuum.
Te tamen, ò hominum fortunatiſsima PHOENIX,
Damna veneniferi non tetigere cibi.
Læſit originei nec te vis criminis ingens
Munitam auxilio, præſidioque Dei.
Aurea nam fauſti venit cum temporis ætas,
*Q*uo tua compleuit viſcera caſta, Dei.
FILIVS, & noſtros mortales induit artus,
Vt ſæuæ mortem poſset obire Crucis,
Noſque ſuo largè profuſo ſanguine, gratos.
Reddens, æterno conſiliare Patri.
Te ſimul atque vtero ſterilis conceperat ANNA,
Cum tua mox eſſet viuificanda caro,
Illico præuenit diuina potentia culpam,
Arcuit, & colubri noxia iura feri.
Naturam altimodè præcedere gratia viſa eſt,
Cum maculæ in te non ſiuerit eſſe locum,
Immo tuam donis animam ſublimibus implens,
Fecit vt eſſet par fœmina nulla tibi.

Tu

Digitized by Google

Tu ſuperas quicquid cœlo, terraque creatum eſt,
Poſt CHRISTVM nihil te ſanctius eſſe valet.
Tu caput ignivomi quaſsaſti ſola DRACONIS,
Et pedibus victus ſubiacet ille tuis.
Inferni armipotens pepuliſti ſceptra Tyranni,
Qui nos ſubdiderat fraude doliſque ſibi.
Tu velut inſtructis acies fortiſsima caſtris,
Signa, triumphatis hoſtibus, ampla geris:
Et facta es nobis ſicut DAVIDICA TVRRIS,
Arma vbi pendebant fortia quæque virum,
Infandum virtute tua ſuperamus Auernum,
Auxilio aſsequimur magna trophæa tuo.
Te ſine nihil confert homini diuina voluntas,
Te ſine mortali, non datur vlla ſalus.
Vt collum, Chriſto vt capiti, tu proxima ſummo,
Impertis ſanctis dona ſuparna viris,
Vt mare, cuncta capis virtutum flumina, magnum.
Nam ſe ſuæ ffudit gratia tota tibi.
Quæ cœlum, terramque rigans, floreſcere iuſtos.
Efficit, vt meritis poma beata ferant.
Vt ſpecioſa nitet tenebris Aurora remotis,
Et placidum toto ſpergit in orbe iubar:
Sic genita (ô VIRGO) primi ſine labe Parentis,
Immenſo mundum lumine clara reples.
Prændere te numquam triſtes potuere tenebræ:
Quæ tota eximio pulchra, decore micas,
Nam caput incedis ſtellis redimita coruſcis.
Eſt pedibus ſplendens ſubdita Luna tuis.
Pro palla, Solem geſtas ; mirabile viſu
Signum, quod vincit cætera ſigna Poli.
Tu nos (quando Deus iuſtas exardet in iras,
Puniat vt dignis crimina noſtra malis)
Protegis, oſtentaſque tuo chara hubera Nato,

Ipſe

Ipſe ſuo, vt monſtret vulnera ſacra, Patri:
Quo fit, vt ex Templo minitantia fulmina linquens,
Reddatur precibus mitior ille tuis.
O, Salue Cœli Regina, pijſsima Mater,
Lux, ſpes, dulcedo, gloria, vita, ſalus!
Salue; Clamores, gemitus, ſuſpiria noſtra
Suſcipe, quæ flentes nocte, dieque damus.
Dum procul à patria Cœleſti ob crimina pulſis,
Hac lachrymis plena degere valle licèt:
Eua Parens miſeros morti nos tradidit; At tu
Inverſo vitam nomine, reſtituis:
Eia ergo noſtros, miſerare Patrona, labores,
Et clemens ad nos lumina verte pia.
Denique, cum fati ſuprema acceſserit hora,
Et Lacheſis ſciderit ſtamina pulla ferox:
Tu IESVM, fructum nobis oſtende beatum;
Viſcera, nos propter, quem peperere tua.
AMEN.

AVCTORIS PROTESTATIO.

QVÆ ſunt his libris, à me conſcripta duobus,
Iudicio FIDEI cuncta ſubeſſe volo.
Credo animo prorſus, quæ ſunt credenda Fideli:
Sunt procul à ſenſu, dogmata falſa meo
Firmiter amplector SEDIS decreta ſupremæ,
Et veneror Sancti, quæ docuere Patres.

¶ *ORIOLÆ, Apud Ludouicum Beroſsium, Typographum. Die ſeptima Decembris, Anno Domini M. DC. XXIII.*

pretatur de eo, qui à iuventute ſua, iugum Dominicæ legis, ita portauit, vt nullorum ſibi conſcius delictorũ, certiſsima ſpe promiſsi præmij potitur. Sunt autẽ Ambroſij in obitu Theodoſij verba hæc: Qui iugum graue portauit à iuventute, requieſcit: poſtea remotus à turba præcipuum locum quietis ſuæ poſsidet; portauit iugum graue à iuventute ſua Lazarus pauper, ideo ſingulariter in ſinu Abrahæ requieſcit.] Idem ſcribit ſuper Pſalm. 118.

¶ Myſticè vero, vt notant Origenes, & Dionyſius, potuit hæc dicere Chriſtus multo excellentius, quam noſter Propheta. Ille enim in quantũ homo ſingularis eſt, cum ſit etiam Deus ſingulari modo, hoc eſt, Spiritus Sancti virtute conceptus, nullius peccati particeps, ſegregatus à peccatoribus, &c. Quod autem attinet ad ſpem, Theologice loquendo, in ipſo nec fides, nec ſpes propriè fuit, cum eſſet beatus, & comprehenſor ab inſtanti conceptionis: Sed in quantum ſpes dicit expectationẽ alicuius boni futuri, ſic Chriſtus habuit ſpem: expectabat enim reſurrectionem à mortuis, & corporis ſui glorificationem. Quæ ſpes adeò in ipſo ſingularis fuit, vt nulli alteri iuſto competere valeat, cum ſeipſum diuina qua pollebat potentia, reſuſcitauerit; & noſtræ cauſa ſit, non modo exemplaris, ſed efficiens etiã, reſurrectionis futurę. Nam ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, vt ipſe teſtatur Ioan. 6. 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me: vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die.*

In Chriſto quomodo fuerit ſpes.

Ioan. 6. 40.

¶ Hebræi, quibus ſubſcribunt Ianſenius, Vatablus, Eugubin. Kampenſ. Montanus, & ſimiles hebraizantes, cenſent ad litteram loqui Dauidem, non modo de ſpe futuræ beatitudinis: ſed etiam pacis, & quietis, qua de-

uictis,

Digitized by Google

uictis,& pacatis hoſtibus,fruiturus erat in regno ſuo,vt in præcedentibus verſiculis vidimus. In qua ſpe ſe ſingulariter conſtitutum aſserit: Vel, Quia cæteris ſuis cõmilitonibus de victoria,& quiete huiuſmodi deſperantibus;aut ſaltem dubitantibus,ipſe ſolus,Deo reuelãte, ſpem certiſsimam hanc cõceperit: Vel quia deſperatis, & deficientibus rebus omnibus, quæ ad ſalutẽ conducere poterant,in ſolum Deum,ita ſpem ſuam defixerat, vt proculdubio, ſe victorem euaſurum cognoſceret.

QVoniam.] Hebr. CHI, Euthy. opinatur, hanc dictionem ſuperuacaneam eſſe hoc loco; vt ſæpè alibi in S. Scriptura, iuxta Hebraici idiomatis proprietatem, vel poni pro aduerbio confirmandi. Nam ſæpè numero apud Hebræos idẽ ſignificat quod, *Vere, certe*. Verum cum in omnibus Editionibus per cauſalem dictionem explicetur: potius videtur dicendum,eſſe hoc Æthiologiam, hoc eſt, cauſæ redditionem.

S*ingulariter*.) In fonte LIBADAD, *Solitarie, ſeorſum*. Græcè, *Kata monas*. D.Hier. vertit: *Specialiter*. Dauid Chimi dicit referri ad Deũ,hoc ſenſu: Tu ſolus es, qui hanc ſpem mihi præſtare potuiſti, vt in regno meo ſecure,& tuto degere valeam. Sed poteſt etiã(vt paulò ſuperius attigimus)referri ad Dauidẽ: qui ſolus hac ſpe inter omnes ſibi ſubditos, fuit confirmatus. Et hæc interpretatio videtur magis Textui congruere. Nam vt oſtendat Dauid,eximiam ſecuritatis ſuę confidentiam, dicit ſe ad ſolitudinem, vel ſolitariè, Deo auctore, eſſe habitaturum; iuxta ſpem maximam,quam in Deum habebat. Qui enim ſolitarie,vel in ſolitudine degunt; ſecuri ſunt,& nihil ſibi timent. Iuxta illud Deute.33. 28. *Deut*. 33
Et habitabit Iſrael confidenter ſolus. Et Mich.7.14. *Habitantes ſolos in ſaltu,&c*. Ideſt, tuto, & ſecurè. *Mich*. 7. 14.

¶ IN

¶ *IN ſpe: conſtituiſti me.)*

IN Hebræo Textu eſt futuri temporis, THOSCIBENI. *Habitare facies me.* Sic Pagnin. Kampenſ. Eugubinus vertunt. Chald. D. Hierony. vt LXX. per præteritum hic: *Habitare feciſti me.* Ille: *Sedere feciſti me.* More prophetico quod futurum erat, tamquam iam præteritum enarrando. Vatabl. cum Tigurina per præſens explicat: *Habitare facis me.* Diximus ſœpè poni tempus, pro tempore; ſed præſtat noſtra Vulgata Editio, præterito vtens; vt etiam transfert Aquila. Nam Propheta voluit oſtendere, ſingulari hac diuini fauoris ſpe, ita fuiſſe tranquillo animo effectum, vt in maxima ſecuritate conſtitutus degeret, atque habitaret. *In ſpe.* Hebr. LABETAHH, *Confidenter*, vt Pagnin. vel *Secure*, vt Chaldæus, & D. Hieron. nam *Lamed*, ſeruit efformando aduerbio, vt LEBADAD, hoc eodem verſu, cum idẽ valeat his locis *Lamed*, quod, Ad; Vnde, ad ſolitudinem, ſignificat ſolitarie, vel ſeorſum: Ad fiduciam, fiducialiter. BATAHH verò ſignificat fiduciam habere, confidere, ſperare. Aquila: *Ad fiduciam*, hoc eſt, fiducialiter. Vt paulò ante dixi.

In Pſalm. Quartum Carmen Elegiacum.

VIX, Deus Alme, tuam pulſo clamoribus aulam
Cum grata voces percipis aure meas.
Namque meam iuſtè, vitam cauſamque tueris.

Qui

Qui mentem puram, geſtaque munda probas.
Et cum dira premant tot me diſcrimina mortis
Dilatas animum, lætificasque meum.
Né tua, Summe Deus, pietas me deſerat vmquam,
Nec mea deſtituas vota, fauore tuo.
At vos, ó homines clari, vos inclyta proles,
Cur veſtra afficitis pondere corda graui.
Cur ſtudia, heu cæci, vana, ac fallacia amantes
Mi vultis vitam tollere, & omne decus?
Res nota eſt, Dominus quod me pietatis amantem
Mirificans, regni ſceptra tenere iubet.
Ad quem vim patiens, quoties clamauero, iuſtas
Audiet é cœlo, protinus ipſe preces.
Vos iræ, ſi fortè, furor percellit iniquus,
Ingenuis ne diu, mentibus inſideat.
Tempore ſed potius, quæ ſunt iactata diurno,
Sub noctem, ſomnus cum capiendus erit,
Diſcutite; & ſcelerũ memores, ſtratiſque rubẽtes;
Crimina vos lacrymis tergite veſtra pijs,
Sic decet innocuis animis manibusque litare,
Vt placeat ſancto victima veſtra Deo.
In quo ſpem ſolo, ſemper defigite veſtram,
Largiri ſolus, qui bona cuncta valet.
Non deſunt multi, impietas quos occupat ingens,
Dicentes; Quis nos hæc bona habere docet?
Tu Deus, extollens victo velut hoſte trophæum
Oſtenta vultus lumen, opemque tui.

Tali

Tali ſæpè meum perfuſum lumine pectus
Exultat, laudes concelebratque tuas.
Diuitias quare ingrati ſibi deeſſe queruntur
Seque habuiſſe Dei munera multa negant?
Cum ſint plena nouo, ipſorum cellaria vino,
Vix triticum capiant horrea magna ſuum.
Non ſortem inuideo: cupio ſed tempus adeſſe,
Cum dabit amplexus pax, & amica quies.
Tunc potero tutus placido dare membra ſopori,
Integras noctes, atque iacere ſimul.
Nam te, Magne Pater, ſocijs me præ omnibus vnum
Hac in ſpe firmum, conſtituiſſe ſcio.

FINIS.

QVONIAM horum Commentariorum excuſsioni, impoſitus fuit finis in profeſto die, ſeu vigilia Conceptionis Beatiſsimæ Virginis Dei genitricis Mariæ, quam abſque labe Originalis peccati fuiſſe, pijſsime credo, atque profiteor; eiuſque deuotioni, ac defenſioni me non ſemel iureiurando obſtrinxi, idcirco viſum eſt hoc loco ſequens Epigramma venerationis ergo ſubijcere.

¶ AD



Digitized by Google

¶ *AD SANCTISSIMAM DEI genitricem ſemper Virginem MARIAM, abſque peccato originali conceptam.*

Auctoris Carmen ex voto.

VIRGO PARENS, hominum columen, ſpes vnica mundi,
Inventrix Vitæ, fulgida STELLA maris,
Plena Deo, Sanctæ TRIADI gratiſsima ſemper,
Immaculata, omni crimine ſola carens,
Diuini vultus SPECVLVM; PORTA inclyta Cœli,
FONS Sophiæ, PVTEVS viuificantis aquæ,
Vt SOL electa, vt rutilans pulcherrima LVNA,
VRBS fundata ſuper montibus alma ſacris,
TVRRIS, PALMA, CEDRVS, PLATANVS, CYPRESSVS, OLIVA,
MYRRHA fragrans, NARDVS, BALSAMA cuncta ſimul,
Spinoſas inter vernans ROSA candida, ſentes,
HORTVS clauſus, dans vndique delitias,
Tu, prius ex nihilo fieret quam machina mundi,
Et Cœlos mira conderet arte Deus,
Anteq; quam ſtabilis libraret pondera terræ,
Componens aptis cuncta elementa locis,
Ante maris vaſtas quam refrænaret Abyſſos,
Littoribus vallans (carceris inſtar) aquas.
Prima priuſquam lux tenebris ex orbe fugatis,

Princi-

Principium ſæclis, temporibuſque daret:
Cum nondum ſolido radiarent ſydera cœlo:
Nec geminus firmo ſtaret in axe Polus
Ante graui poſsent, quam mole exiſtere montes,
Ac varias Tellus promere poſset opes,
Iam TRINI fueras decreto NVMINIS alto,
Electa vt GENITRIX efficerere Dei.
Hinc eſt quod tibi non nocuere piacula ADAMI
Fœdauit mentem nec macula illa tuam,
Incurrit merito quam tota humana propago
Immunduſque ideo naſcitur omnis homo.
Primus enim Pomum, male ſuadi Dæmonis aſtu,
Deguſtans vetitum ſe dedit vltro neci.
Ac ſimul in Natos virus diffudit abunde,
Quo genus infecit (proh dolor) omne ſuum.
Te tamen, ò hominum fortunatiſsima PHOENIX,
Damna veneniferi non tetigere cibi.
Læſit originei nec te vis criminis ingens
Munitam auxilio, præſidioque Dei.
Aurea nam fauſti venit cum temporis ætas,
Quo tua compleuit viſcera caſta, Dei.
FILIVS, & noſtros mortales induit artus,
Vt ſæuæ mortem poſset obire Crucis,
Noſque ſuo largè profuſo ſanguine, gratos.
Reddens, æterno conſiliare Patri.
Te ſimul atque vtero ſterilis conceperat ANNA,
Cum tua mox eſſet viuificanda caro,
Illico præuenit diuina potentia culpam,
Arcuit, & colubri noxia iura feri.
Naturam altimodè præcedere gratia viſa eſt,
Cum maculæ in te non ſiuerit eſſe locum,
Immo tuam donis animam ſublimibus implens,
Fecit vt eſſet par fœmina nulla tibi.

Digitized by Google

Ipſe ſuo, vt monſtret vulnera ſacra, Patri:
Quo fit, vt ex Templo minitantia fulmina linquens,
Reddatur precibus mitior ille tuis.
O, Salue Cœli Regina, pijſsima Mater,
Lux, ſpes, dulcedo, gloria, vita, ſalus!
Salue; Clamores, gemitus, ſuſpiria noſtra
Suſcipe, quæ flentes nocte, dieque damus.
Dum procul à patria Cœleſti ob crimina pulſis,
Hac lachrymis plena degere valle licèt:
Eua Parens miſeros morti nos tradidit; At tu
Inverſo vitam nomine, reſtituis:
Eia ergo noſtros, miſerare Patrona, labores,
Et clemens ad nos lumina verte pia.
Denique, cum fati ſuprema acceſserit hora,
Et Lacheſis ſciderit ſtamina pulla ferox:
Tu IESVM, fructum nobis oſtende beatum;
Viſcera, nos propter, quem peperere tua.

AMEN.

AVCTORIS PROTESTATIO.

QVÆ ſunt his libris, à me conſcripta duobus,
Iudicio FIDEI cuncta ſubeſſe volo.
Credo animo prorſus, quæ ſunt credenda Fideli:
Sunt procul à ſenſu, dogmata falſa meo
Firmiter amplector SEDIS decreta ſupremæ,
Et veneror Sancti, quæ docuere Patres.

¶ *ORIOLÆ, Apud Ludouicum Beroſsium, Typographum. Die ſeptima Decembris, Anno Domini M. DC. XXIII.*

Digitized by Google

INDEX AVCTORITATUM SACRAE SCRIPTVRAE, QUÆ IN HIS ſuper Pſalmos Cōmentarijs citantur, & explicantur.

GENESIS.

1 CRESCITE, & multiplicamini, &c. 230.
2 Benedixit Deus diei ſeptimo, &c. 231.
3 Adam vbi es? 71.
4 Cur concidit facies tua? 199.
9 Dilatet Deus Iapheth. 249.
6 Noe, vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, ambulauitque cum Deo. 254.
11 Dixitque alter ad proximum ſuum,&c. 256.
6 Videntes filij Dei filias hominum. 253.
11 Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, &c. 253.
12 Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſquè benedictus. 230.
13 Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul. &c. Pagina. 309.
24 Benedixerunt Rebeccæ. 231.
22 Nunc cognoui, quod timeas Dominum. 71. & 73.
27 Tempus veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius, &c. Pag. 103.
47 Poſt hęc introduxit Ioſeph patrem ſuum ad regem, & ſtatuit

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EM. ... FARNESE ...

Digitized by Google

& ſtatuit eum coram eo, &c. 231.
49 Oculi eius pulchriores vino, & dentes eius lacte candidiores. 225.

¶ EXODVS.

14 QVID clamas ad me? 267.
15 Cantemus Domino glorioſe enim magnificatus eſt, &c. 4.
32 Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, &c. Pagina. 148.

¶ LEVITICVS.

26 Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, &c. 208.

¶ NVMERI.

18 Omnem medullam vini, olei, ac frumenti, &c. 304.

DEVTERONOMIVM.

6 ET ſint verba legis huius, iugiter in ore tuo, & meditaberis, &c. 34.
12 Non poteris comedere in oppidis tuis decimā frumenti, &c. 304.
32 Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Pag. 4.
32 Nonne ipſe eſt pater tuus, qui fecit te, & poſſedit te, & creauit te? 131.
32 Dentes beſtiarum immitā in eos, cum furore. 224.
32 Reddam vltionem hoſtibus meis, & ijs qui oderunt me retribuam. 217.
33 Habitabit Iſrael confidenter ſolus. 313.

¶ IOSVE.

1 NON recedat volumē legis huius ab ore tuo. 34.

¶ REGVM PRIMVS.

4 COnfortamini, & eſtote viri Philiſtim, ne ſeruiatis, &c. 101.
8 Non te abiecerunt, ſed me. 97.
13 Et egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt ſalutaret eū. 231.

25 Quapropter, ſuſcipe benedictionem hanc. 231.

REGVM SECVNDVS.

2 ET ſublimabit cornu Chriſti ſui. 98.
7 Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium. Pag. 138.
8 Miſit Thou Ioram filium ſuum ad Regem Dauid, vt ſalutaret eum, &c. 231.
17 Perſequar hac nocte Dauid, & percutiã eum. 191.
17 Congregetur ad te vniuerſus Iſraël à Dan, vſque Berſabe, &c. 214.

¶ REGVM TERTIVS.

19 DErelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata,&c, Pagina. 165.

¶ REGVM QVARTVS.

17 Secutique ſunt vanitates, & vane egerunt. 260.

¶ PARALIPOMENON. II.

20 DOmine Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cœlo, &c. 106.
31 Plurimas obtulere primitias filij Iſrael frumenti, &c. Pag. 304.

¶ IOB.

1 NE forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo, &c. 231.
2 Numquid conſideraſti ſervum meum Iob,&c. 27.
2 Benedic Deo, & morere. 231.
7 Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? 253.
10 Si impius fuero, væ mihi eſt, ſi iuſtus, non leuabo caput. 200.
26 Coram Deo, cœli columnæ contremiſcunt. 162.
29 Conterebam molas iniqui. 220.

Si vidi

Digitized by Google

31 Si vidi Solem cum fulgeret,& Lunam incedentem clarè, &c. 165.
35 Nunc enim non infert furorem ſuum, neque vlciſcitur ſcelus valdè. 110.

¶ PSALMI.

4 IN pace in idipſum dormiã, & requieſcam. 208.
5 Adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo. 162.
5 Dirige in conſpectu tuo viam meam. 71.
6 Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. 112.
6 Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum. 272.
8 Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? 253.
9 Sediſti ſuper Thronum, qui iudicas iuſtitiam. 246.
7 Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito, &c. 206.
10 Præparationẽ cordis eorum audiuit auris tua. 203
13 Dominus de cœlo proſpexit, &c. 106.
14 Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis aſcendet in monte ſancto tuo? &c. 282.
16 Mirifica miſericordias tuas. 265.
17 Et eduxit me in latitudinem; ſalvum me fecit, &c. Pagina. 248.
17 Cum ſancto ſanctus eris. 266.
17 Dilataſti greſsus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea. 248.
17 Populus quẽ non cognoui ſeruiuit mihi, &c. 22.
17 Et ab inſurgentibus in me exaltabis me. 200.
18 Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi. 162.

22 Dominus regit me,& nihil mihi deerit, &c. 152.
22 Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus. Pagina. 300.
23 Quis aſcendet in montem Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto eius? 282.
23 Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis,& potens: Dominus potens in prælio. 120.
24 Reſpice in me, & miſerere mei. 296.
26 Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, &c. 214.
26 Credo videre bona Dñi in terra viuentium. 289.
26 In petra exaltauit me, & nunc, &c. 199.
28 Vox Domini confringentis Cedros,& confringet Dominus Cedros Libani,&c. 154.
29 Vt cantet tibi gloria mea, & non cõpungar. 276.
30 Odiſti obſeruantes vanitates ſupervacuè. 260.
31 Lætamini in Domino,& exultate iuſti,& gloriamini omnes recti corde. 163.
32 Dominus diſsipat conſilia gentium, reprobat autẽ cogitationes populorum. 89.
33 Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. 231
33 Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. 309.
33 Accedite ad eum,& illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. 292.
33 Quis eſt homo,qui vult vitã diligit dies videre bonos? Pag. 24. & 279.
34 Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma,& ſcutum, &c. 217.
34 Retribuant mihi mala pro bonis, ego autem orabã. Pagina. 229.
33 Vultus autem Dñi ſuper facientes mala,&c. 296.

Fremue-

Digitized by Google

34 Fremuerunt ſuper me dentibus ſuis. 224.
35 Aſtitit omni viæ non bonæ. 71.
36 Stridebit ſuper eum dentibus ſuis. 224
36 Nouit Dominus dies immaculatorum. 71.
36 Os iuſti meditabitur ſapientiam. 36.
36 Apud Dominum greſsus hominis dirigentur, &c. Pag. 53. & 54.
37 Quoniam iniquitates meæ ſupergreſsæ ſunt caput meum, &c. 258.
39 Sacrificium, & oblationem noluiſti, holocauſtum & pro peccato, &c. Pag. 146. & 282.
39 In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem vo luntatem tuam, &c. 26.
39 Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt. 70.
43 Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terrã, &c. 292
43 Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas, &c. 207.
44 Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi. 117.
48 Quique terrigenæ, & filij hominum. 254.
49 Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo. 281
50 Docebo iniquos vias tuas. 71.
50 Quoniam ſi voluiſses ſacrificium dediſſem vtique, &c. Pag. 280.
51 Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. 50.
49 Illic iter, quo oſtendam ſalutare Dei. 72.
54 In domo Dei ambulauimus. 86.
55 In ira populos confringes. 89.
36 Dentes eorum arma, & ſagittæ. 224.
57 Deus conteret dentes eorũ in ore ipſorum. 220.
59 Oſtendiſti populo tuo dura. 289.
64 Replebimur in bonis domus tuæ. 289.

64 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 230.
65 In flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur in
ipſo. Pagina. 83.
67 Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem. 106.
66 Deus miſereatur noſtri, & benedicat, nobis illu-
minet, &c. 292.
70 Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, &
mala. Pag. 289.
70 Quoniam non cognoui litteraturam, &c. 13.
75 Dormitauerunt, qui aſcenderunt equos. 206.
76 Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & excer-
citabar, & ſcopebam ſpiritum meum. 272.
77 Attendite popule meus legem meam. 89.
77 Et excitatus eſt, tamquam dormiens Dñs. &c. 207.
77 Et elegit Dauid ſervum ſuum, & ſuſtulit eum de
gregibus ouium, &c. 264.
80 Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Ia-
cob, &c. 163.
80 Audi populus meus, & conteſtabor te. 89.
81 Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes. 132.
83 Gratiam. & gloriam dabit Dominus. 228.
84 Oſtende nobis Domine miſericordiã tuam. 289.
88 Domine in lumine vultus tui ambulabunt. 292.
91 Iuſtus vt palma florebit. 50.
88 Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo, &c. 117
92 Dominus regnauit, decorem indutus eſt, &c. 121.
94 Venite exultemus Dño, iubilemus Deo, &c. 163.
94 Hodie ſi vocem meam audieritis, nolite obdurare
corda veſtra. 141.
95 Dicite in gentibus, quia Dominus regnabit. 121.
100 Superbo oculo, & inſatiabili corde cum hoc non
edebam. Pagina. 249.
102 Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, &c. 106.

Et bene-

106 Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis. 230.
109 Dixit Dominus Domino meo, &c. 139. & 169.
109 Ex vtero ante luciferum genui te. 142.
110 Initium ſapientiæ timor Domini. 162.
110 Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, &c. 220.
111 Beatus vir, qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis. 161.
111 Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. 292.
112 Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, &c. 106.
113 Deus autem noſter in cœlo, &c. 106.
113 Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Pag. 106.
117 Impulſus euerſum ſum: vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. 197.
117 Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. 171.
118 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum, &c. 247.
118 Cogitaui vias meas. 7.
118 Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio eſt. 38.
118 Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum. 292.
119 Cum ijs, qui oderunt pacē eram pacificus. 266.
127 Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. 46.
138 Domine probaſti me, & cognouiſti me, &c. 70.
139 Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, &c. 67.
143 Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt. 299.
149 Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Pag. 163.

¶ PRO-

Digitized by Google

INDEX AVCTORITATVM

¶ PROVERBIORVM.

1 EGO quoque in interitu veſtro ridebo,& ſubſannabo vos, &c. 107.

8 Veritatem meditabitur guttur meum. 37.

8 Per me Reges regnant. 121.

18 Impius cum in profundum venerit peccatorum cõtemnit. Pag. 29.

21 Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis. 249.

23 Et eris ſicut dormiens in medio mari, &c. 211.

¶ ECCLESIASTES.

12 CVNCTA quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni tempore. 68.

¶ CANTICORVM.

2 ADiuro vos filiæ Sion, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, &c. 211.

4 Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ. 187.

5 Ego dormio,& cor meum vigilat. 211.

7 Aſcendam in palmã,& apprehendã fructus eius. 51.

7 Ego dilecto meo,& ad me conuerſio eius. 168.

8 Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuũ, vt ſignaculũ ſuper brachium tuum. 296.

¶ SAPIENTIÆ.

1 SPIRITVS enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum,&c. 61.

6 Ad vos ergo Reges hi ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam,&c. 158.

¶ ECCLESIASTICI.

10 REX, hodie eſt,& cras non erit. 142.

11 Sapientia humiliati,exaltabit caput illius,&c. Pagina. 199.

11 Ante mortem ne laudes hominem quemquã,&c. 32.

¶ ISAIAS.

1 FILIOS enutriui,& exaltaui,&c. 131.
1 Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? 279.
2 Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons Domus Domini,&c. 203.
2 Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob. 115.
2 De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem. 34.& 127.
10 Dicite iuſto quoniam benè; quoniam fructum ad inuentionem ſuarum comedet. 46.
7 Ne formides à duabus caudis titionum fumigantiũ iſtorum. 96.
8 Quia antequam puer ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam,&c. 123.
9 Factus eſt principatus ſuper humerum eius. 121.
9 Vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis,&c. 119.
9 Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. 115.
14 Conquieuit,& ſiluit omnis terra,gauiſa eſt, & exultauit. 275.
30 Subito,dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur,&c. 152.
30 Ecce nomẽ Domini venit de longinquo ardens furor eius,&c. 172.
35 In cubilibus in quibus prius habitabant dracones. Pag. 277.
40 Super montem excelſum aſcende,tu,qui Euangelizas Sion. 130.
43 Ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator, Pagin. 228.

50 Quis

Digitized by Google

50 Quis ex vobis timens Dominum, qui ambulauit in tenebris, &c. 292.
55 Et quomodo deſcendit imber de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, &c. 57.
49 Parum eſt mihi, vt ſis ſervus meus ad ſuſcitandas tribus Iacob, &c. 146.
58 Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: Clamabis, & dicet: Ecce adſum. 243.
66 Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat Idolo. Pagina. 231.

¶ IEREMIAE.

2 A Sæculo confregiſti iugum meũ, rupiſti vincula mea, &c. 103.
16 Ad te gentes venient ab extremis terræ, & dicent: Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit. 260.
17 Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, &c. 44.
22 Terra, terra, terra, audi ſermonem Dñi, &c. 63.
23 Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum. 116.
31 Creauit Dominus nouum ſuper terram, mulier circumdabit virum. 25.

¶ THRENI.

2 ABiecerunt in terra capita ſua virgines Ieruſalem, &c. Pagina. 199.
3 Bonum eſt viro cũ portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Pag. 27. & 103.
4 Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt pro peccatis noſtris. 97.

¶ EZECHIELIS.

37 ET ſervus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit, &c. 116.

Non

Digitized by Google

47 Non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, &c. 51.

¶ DANIEL.

2 IN diebus autem regnorum illorum, &c. 115.

¶ OSEÆ.

2 ARcum, & gladium, & bellum cõteram de terra, & dormire vos faciam, &c. 208.
6 Qui miſericordiam volui, & non ſacrificium. 281.
13 O, mors, ero mors tua: morſus tuus ero inferne. 92

¶ IOEL.

2 SCindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Pagina. 278.
2 Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, &c. Pagina. 304.

¶ AMOS.

3 TAntummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. 71.

¶ IONAE.

2 QVI cuſtodiunt vanitates fruſtra. 260.

¶ MICHEAE.

1 AVdite populi omnes, & attendat terra, &c. 89.
6 Indicabo tibi, ò homo, quid ſit bonum, & quid Dominus, &c. 67.
7 Habitantes ſolos in ſaltu. 313.

¶ HABACVC.

3 DEVS Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ſeruorum. Pag. 239. 168.
2 Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, &c. 249.
3 Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. 110.

¶ AGGAEI.

2 POnam te quaſi ſignaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum. 296.

¶ ZACHARIAE.

6 ECCE vir Oriens nomen eius. 275.
9 Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper, &c. 119.

¶ MACHABAEORVM PRIMVS.

1 ET ſiluit terra in conſpectu eius. 25.
7 Siluit terra Iuda dies paucos. 275.
8 Et vt auferrent ab eis iugum Græcorum. 103.

¶ LIBRI NOVI TESTAMENTI.

MATTHAEVS.

5 BEATI miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 266.
5 Nõ poteſt ciuitas abſcõdi ſupra mõtẽ poſita. 128
5 Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum. 283.
5 Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. 68.
6 Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, pagina. 277.
4 Dominum Deum tuum adorabis. 162.
9 Euntes diſcite, quid eſt, quia miſericordiam volo, & non ſacrificium. 281.
10 In viam gentium ne abieritis, &c. 144.
10 Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem, &c. 118.
12 Regina Auſtri ſurget in iudicio, contra generationem hanc, &c. 66.
15 Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus. Pagina. 44.
15 Non ſum miſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. 129.
15 O, mulier, magna eſt fides tua. 187.

19 In regeneratione cum ſederit filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ, &c. 66.
23 Væ vobis Scribæ,& Phariſæi hypocritæ,&c. 110.
23 Implete menſuram patrum veſtrorum. 270.
25 Amen dico vobis, neſcio vos. 71.
25 Quod vni ex minimis iſtis meis feciſtis, mihi feciſtis. Pag. 284.
27 Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt,&c. 190.
27 Confidit in Deo: liberet eum ſi vult. 192.
Vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Pag. 114. & 116.

* LVCAS. *

1 DAbit ei Dominus Deus ſedē Dauid Patris eius, & regnauit in domo Iacob in æternum. 116.
2 Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. 89.
10 Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. 120.
11 Si ergo Sathanas in ſe ipſum diuiſus eſt, &c. 92.
18 Oportet ſemper orare,& numquam deficere. 37.
21 Capillus de capite veſtro non peribit. 55.
23 Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? 43.
23 Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciũt. 201.
6 Eſtote ergo miſericordes,ſicut & pater,&c. 267.

* IOANNES. *

3 SIC enim Deus dilexit mundum,vt Filium ſuum. &c. Pagina. 147.
1 In propria venit, & ſui eum non receperunt. 181.
3 Qui autem non credit iam iudicatus eſt, &c. 65.
5 Scrutamini ſcripturas, quia ipſe teſtimonium perhibent de me. 34.
6 Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater,qui miſit me traxerit eum. 147.

Quis

8 Quis ex vobis arguet me de peccato? 92.
8 Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, &c. 120.
9 Operamini dum dies eſt, venit nox, quando nemo poteſt operari. 47.
10 Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. 56.
10 Pater maior me eſt. 139.
10 Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, &c. Pag. 83. & 186. & 289.
10 Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, &c. Pagina. 148.
10 Ego pono animā meam, & iterum ſumo eam. 209.
11 Nonne duodecim horæ ſunt diei? 38.
11 Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. 56.
12 Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora, &c. 218.
13 Quod facis fac citius. 270.
13 Mandatum novum do vobis, vt diligatis inuicem. Pag. 130.
14 Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit. 36.
15 Poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. 47.
15 Si opera non fecisſem in eis, quæ nemo alius fecit, &c. Pagina. 83.
14 Venit Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 92.
15 Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicē. 130.
17 Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deū verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 130.
17 Non pro eis rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt, &c. 146.
18 Regnum meum non eſt de hoc mundo. 114.

Pueri

21 Pueri, numquid pulmentarium habetis? 145.

ACTVS APOSTOLORVM.

1 ET eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & omni Iudæa, &c. Pag. 150.

1 Tu Domine, qui noſti corda hominum. 70.

4 Domine, tu es, qui feciſti cœlum, & terram, mare, & omnia, &c. 82.

5 Præcepiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, &c. 101.

5 Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu cõcilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV cõtumeliam pati. 246.

7 Stridebant dentibus in eum. 224.

13 Et nos vobis annuntiamus, eam, quæ ad patres noſtros, &c. 136.

14 Et quidem ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit benefaciens de cœlo, &c. 299.

¶ *Epiſtolæ Pauli ad Romanos.*

2 GEntes, quæ legem non habent, naturaliter quę ſunt legis faciunt. 34.

5 Gloriamur in tribulationibus, quia charitas Dei, &c. Pagina. 246.

5 Commendat autẽ Deus charitatem ſuam in nobis, &c. Pagina. 119.

5 Sed regnauit mors ab Adam vſque ad mortẽ. 92.

8 Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. 229.

8 Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti tribulatio, &c. Pagina. 216.

1 Obſecro vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, &c. 283.

Digitized by Google

13 Nam qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.
Pagina. 97.
13 Plenitudo legis eſt dilectio. 130.
14 Regnum Dei non eſt eſca,& potus, ſed iuſtitia, & pax,&c. 24.
13 Nox præceſsit,dies autem. 38.

Ad Corinthios prima.

1 QVI factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, &c. 198.
1 Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum gentibus autem ſtultitiam. 102.
10 Nos ſumus in quos fines ſæculorum deuenerunt. Pagina. 237.
10 Siue ergo manducatis,ſiue bibitis, ſiue aliud,quid facitis,&c. 37.
11 Quod ſi nos metipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur. 67.
15 In momẽto in ictu oculi in nouiſsima tuba.&c. 172.
13 Cum eſſem parvulus, &c. 145.

Ad Corinthios ſecunda.

3 NOS autem reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes,&c. 128.
5 Eum,qui peccatum non nouerat. 71.
15 Omnes quidem reſurgemus. 64.

Ad Galatas.

4 QVANTO tempore hæres parvulus eſt,nihil differt à ſeruo,&c. 145.
1 Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, &c. 264.
6 Ergo dum tempus habemus operemur bonum. 47.

AD

Ad Epheſios.

1 NVNC autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope, &c. 148.
4 Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. 290.

Ad Philippenſes.

4 ACCEPI, quæ miſiſtis odorem ſuauitatis. &c Pagina. 283.

Ad Coleſſenſes.

1 ET ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, &c. 116.
1 Complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare, &c. 309.
2 Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, &c. 129.

Ad Timotheum ſecunda.

2 COGNOVIT Dominus, qui ſunt eius. 71.
4 Pręedica verbū, inſta opportune, importune argue, &c. 225.
4 Alexander Faber ærarius multa mihi mala oſtendit, Pagina. 289.

Ad Titum.

18 VERBVM ſanum, irreprehenſibile, &c. Pagina. 225.

Ad Hebræos.

1 CVI enim dixit aliquando Angelorū filius meus es tu, &c. 133.
1 Qui cū ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, &c. 134.

INDEX RERVM, ET ſententiarum, quæ in his ſuper Pſalmos Commentaris continentur.

A.

ASSIDÆORVM ſecta vnde quare ſic dicta. Pagina. 266.
Admiratio quomodo cadat in Chriſtum. 187.
Abire in ſacris litteris quid. 29.
Anima in ſacris litteris quid ſignificet. 191.

B.

BAR, Hebræa dictio, quid ſignificet. 166.
Beatitudo duplex. 24.
Benedictus Arias Mõtatus de arte poëtica, laudatur. 6.
Benedicere quid in Sacra Scriptura. 230.
Bonum in ſacris litteris, quid. 289.

C.

CANTICVM Pſalmi, & Pſalmus cantici in quo differant. 3.
Caput Chriſti, quid ſit. 199.
Caput exaltare, quid. 198.
Chriſtus propriè, & perfecte vir beatus. 25.
Chriſtus ab omni ſtatu, & conditione hominum paſſus fuit. 84.

Chriſti

Chriſti regnum quale ſit. 114.
Chriſti vita tota fuit, quoddam continuatum ſacrificium. 123.
Chriſtus, quare à Magis dicatur Rex natus Iudæorum. Pagina. 125.
Chriſtus ſæpè orauit vocaliter. 201.
Chriſtus quare arbori comparatus. 55.
Chriſtus Filius hominis quare dicitur. 255.
Chriſtus quo pacto habuerit ſpem. 312.
Cœnaculi ſacri in monte Sion deſcriptio. 126.
Conſcientia ſæpè examinanda. 237.
Cordis dilatatio pro ſuperbia accipitur. 249.
Coram Domino aliquid fieri, quid. 161.
D.
DATIVVS caſus progenitiuo. 179.
Dauid primus inuector fuit Pſalmorum. 2.
Dauid ſciuit legere, & ſcribere, & habuit artium liberalium peritiam. 13.
Deus quomodo dicitur neſcire, vel ignorare aliquid. Pagina. 71.
Deus habitare in cœlis quare dicatur. 105.
Deus quomodo dicatur iraſci. 109. & 268.
Deus quibus modis pater dicatur. 131.
Dentes quid ſignificent, 220. & 224.
Diapſalma Græcè, Hebraicè Selah. 193.
Diſcrimen inter virum, & hominem. 252.
Doctores Eccleſiæ per dentes quare ſignificentur. 225.
Dormire, in ſacris litteris quid. 206.
Dauid valdè fuit miſericors. 266.
E.
ELOHIM nomen Dei quomodo alijs à Deo cõmunicetur. 193.
EZechiel quare filius hominis dicatur. 254.

Digitized by Google

Exultare Deo, quid ſit. 193.

F.

FICVLNEAM quare Chriſtus areſecit. 48.
Fideles in hac vita ſunt ſicut paruuli. 143.
Frangere in ſacris litteris, quid ſignificet. 153.

G.

GENTILIVM vocatio mera Dei gratia. 147.
Gigantum contra Iovem bellum. 104.
Gentes quam habeant ſignificationem. 87.
Gentiles quomodo Chriſtus petiuerit à Patre. 245.

H.

HAEREDITAS, quid 149.
Hæreſis ad intellectum pertinet. 30.
Homo quare arbor inuerſa dicatur. 40.
Hodie ſæpius pro tempore. 141.
Homini ad ſalutem tria neceſſaria. 156.
Hodie quid in Sacra Scriptura. 141.

I.

IEHOVAH Dei nomen ineffabile non licebat Iudæis proferri, niſi, &c. 34. & 186.
Improbi in die iudicij quatuor pœnarum genera patientur. 111.
Ira Dei in hac vita præſenti, quæ. 171.
Ira, & furor in Deo quo pacto differant. 110.
Irridere, & ſubſannare quomodo dicatur Deus. 107.
Irriſorum cathedra, quæ dicatur. 30.
Infideles quomodo iudicandi. 65.
Iudicandi modi duo. 69. 66.
Iudicium vniuerſale quare futurum erit. 68. 172.
Iudicium, & conſilium in quo differant. 68.
Iugum quid in ſacris litteris. 103.
Iuſtus arbori optimè comparatur. 39.
Iuſtorum proſperitas magna ſpiritualis. 53.

Iuſtitia

Digitized by Google

Iuſtitia vera in quo conſiſtat. 24.
Iuſtorum ſecuritas in periculis. 216.
Iraſci quot modis poſsimus. 268.

L.

LEX Domini quænam ſit. 33.
Lex Euangelica quare dicatur præceptum in ſingulari. 130.
Leo rex animantium dormire dicitur apertis oculis, ad denotandam Regis vigilantiam. 158.
Lex ſeu lumen Dei, pro eius fauore. 209.

M.

MALEDICERE, quid. 231.
Meditari in Sacra Scriptura, quid. 37.
Mortis memoria quam vtilis. 276.
Moyſes Hebraicè poëſeos autor primus, 4.
Manus quid in Sacra Scriptura. 12.

N.

NOTITIA in Deo duplex. 70.

O.

OLEVM quid in ſacris litteris. 300.
Orationis vocalis vtilitas. 201.
Oſculum manuum ſignum adorationis. 195.

P.

PAVLVS Samoſatenus hæreſiarcha Pſalmos Dauidis ab Eccleſia exploſit. 7.
Peccandi tres modi, ſeu gradus. 28.
Poëſim fuiſse apud Hebræos negauit Iulianus apoſtata. 6.
Principes Sacerdotum, qui dicantur. 93.
Pſalmorũ liber quomodo Hebraicè, & Græcè appelletur. 1.
Pſalmus quomodo differat à cantico. 2.
Pſalmi Hebraica lingua poëtice cõditi fuerunt. 3.

Digitized by Google

Pſalmi, quot fuerint. 15.
Pſalmorum collector quis fuerit. 15.
Pſalmorum Editio LXX. interpretum quare retenta ab Eccleſia. 18.
Peccator quare pulueri comparetur. 59.

S.

SACRIFICIVM iuſtitiæ, quodnam ſit. 288.
Silere in ſacris litteris, quid. 279.
Somnus in ſacris litteris non numquam pro peccato accipitur. 294. & 198.
Somnus etiam pro corporali morte. 195.
Somnus pro extaſi. 211.
Sion montis ſitus, & deſcriptio. 126.
Sion Symbolum Eccleſiæ Catholicæ. 126.
Sion interpretatur ſpecula. 128.
Suſcipere quid in ſacris litteris. 197.
Surgere in Deo quid. 217.

T.

TIMOR Dei quadruplex apud Theologos. 161.
Timor pro Dei adoratione, & cultu ſæpè ſumitur. 142.

V.

VIA in ſacris litteris, quid. 39. & 170.
Virga ferrea, quid ſit. 151.
Virga cum oculo ſuperius infixo bonum regem. 158.
Vita præſens ſtatus eſt paruvlorum. 145.
Vanitas in ſacris litteris, quid. 259.
Vultus Dei, quid. 291.

R.

RESVRGENTIVM quatuor genera hominum. 61.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

¶ *LAVS DEO.*

Digitized by Google